BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
F
7
NAPOLI

XLVIII
7
7
P. 137. 5.



ALBERTI

# KRANTZII,

## RERVM GERMANICA-RVM HISTORICI CLARISSIMI,

ECCLESIASTICA HISTORIA, SIVE

# Metropolis.

*De primis Christianæ religionis in Saxonia initijs, deq; eius episcopis, & horum vita, moribus, studijs & factis. Item de aliarum nationum, regum & principum rebus gestis, ad quas passim in alijs suis operibus lectorem author remittit.*

Denuò, & quidem multò accuratius & emendatius, quàm antè, edita.

*Cum præfatione ad Reuerendissimum principem ac Dominum, Dominum* IVLIVM *Episcopum Herbipolitanum, Franconiæ ducem &c.*
*Ioan. Wolfij I. C.*

Addito Indice locupletissimo.

FRANCOFVRTI AD MOENVM
Ex officina Typographica And. Wecheli.
M. D. LXXVI.

# AVTHORES, EX QVI-
## BVS COLLEGIT METROPOLIM SVAM CRANTZIVS.

Biblia sacra.
Acta Conciliorum.
Ius ciuile & pontificium.
Diplomata Romanorum pontificum, imperatorum, & archiepiscoporum Hamburgensium.
Cornelius Tacitus.
D. Augustinus.
D. Hieronymus.
Damasus Papa, qui scripsit vitas ante se pontificum Romanorum.
Continuator Eusebij.
Einhardus capellanus Caroli Magni, qui scripsit eius vitam, & bella Saxonum.

Annales ecclesiarũ quas describũt.
1 Osnaburgensis.
2 Halberstadensis.
3 Mimigardeuordensis, siue Monasterienſis.
4 Verdensis.
5 Hamburgensis, siue Bremensis.
6 Mindensis.
7 Hildesemensis.
8 Paderburnensis.
9 Aldenburgensis, siue Lubicensis.
10 Magdeburgensis.
11 Mekelburgensis, siue Suerinensis.
12 Raceburgensis.

Bauo Corbeiensis abbas, de sui temporis mirabilibus rebus.
Chronicon Hamburgensis & Bremensis ecclesiarum, scriptum tempore Henrici 4. ad Liemarum archiepiscopum Hamburgẽsem, ante annos 400. Hic liber adhuc habetur Hamburgi,

ex quo doctor Albertus Crantzius multa ad verbum transcripsit, non solùm in Metropoli, sed etiam in alijs suis libris historicis.

Saxo Grammaticus, insignis Danorum Historicus.

Helmoldus seruus ecclesiæ in Butzovu, de conuersione Vuandalorum ad fidem Christi, tempore Friderici primi: & de harum regionum ad mare Balticum situ, & rebus gestis.

Continuator Helmoldi, episcopus Raceburgẽsis.

Petrus Damianus.

Albertus abbas Stadensis, qui ingressus est ordinẽ Minorum, tempore Friderici 2. & scripsit annales & historias harum regionum.

Alphonsus Eremita, confessor, vt vocant, sanctæ Brigittæ viduæ & vatis.

Theodoricus de Nyem, de pontificibus Romanis suæ ætatis.

F. Hermannus, ordinis Prædicatorum, qui collegit ex varijs opus Chronicon magnũ, à Christi natiuitate vsq; ad annum 1438.

Blondus.

Platina de vitis Pontificum Romanorum.

Nicolaus Cusanus Cardinalis.

Speculum Saxonum.

INDEX

# REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IVLIO EPISCOPO HERBIPOLITANO, FRANCONIÆ DVCI &c. DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

REverendissime Princeps, Clementissime Domine: Cùm nulla pars sit historię, quę non maximos fructus in communem vitam effundat, tum rerum de religione gestarum commemoratio inter omnes præcipuè elucere atque excellere videtur. Nam vtilitas, quam quidem cæteræ historiæ nobis impertiunt, terminata est iisdem finibus, quibus vitæ huius spatium continetur, & tota cum morte obituque hominum extabescit: Sed quæ ex sacris historiis suscipitur, nullis terminis clausa, in huius vitæ cursum influit, longissimeque permanat, tum multo magis in sempiterna felicitate enitescit. Deinde reliquæ historiæ ad deuinciendam seruandamque hominum inter homines societatem & ciuilem mundi cultum externamque vitæ sanctimoniam pertinent: Sed in sacris diuinum numen eiusque colendi scientia & vera religio exemplorum perspicuitate in animos hominum imprimitur, in quo vno posita est summa animarum salus & perennis gloriæ expectatio. Quantò igitur diuina humanis antecellunt, perpetua, illis, quæ sunt in temporum atque conuersionum spaciis inclusa: tantò necesse est præ cæteris omnibus historiis splendidè enitere rerum de religione actarum scriptam memoriam: in qua clarissimè ante oculos palam proponitur, quam Religionem Deus, miraculis, sancti vitæ effusione, maiores nostri, bello & pace comprobauerint: quid eius religionis cultoribus, quid hostibus acciderit: quo modo diffusa in summam amplitudinem, ex tenuibus initiis per incredibiles calamitates creuerit: quibus interdum corruptelis deformata, quomodo mirabiliter ad lucem & veterem nitorem sit reuocata: & in qua, vt vno verbo dicam, traditæ in diuinis literis religioni nouum lumen accenditur. Nam cùm nostra religio & præceptis sit tradita & illustrata exemplis, etsi in præceptis maiora sunt authoritatis & dignitatis momenta, tamen animi hominum plus pelluntur exemplis, & quasi sti-

mulis fodiuntur, vt eam religionem suscipiant, quæ non tantum traditis præceptis, sed etiam exemplorum testimoniis continetur. Quis non afficitur, nisi planè sit omni religione improbus, cùm videt religionem tot seculis ad nos ductam, Christi & sanctorum hominum morte comprobatam, toties pressam & nunquam euersam esse? Quis Ethnicus aut alienus à fide non multò plus impellitur exemplorum luminibus, quàm simplici præceptorum explicatione? Quis contra dolore non ardet, cùm hodie pessimo exemplo conspicit, religione vna alteram pelli, optimam opinionem interire, nouam quotidie ferè fingi, Magistratum in subditos, subditos in Magistratum armari, terrestria cœlestibus, diuina humanis miscerì? Quem sanum vitæ non pudet, cùm cernit Ecclesiam Dei ab impiis vulnere & sanguine fœdari: peregrinis nouis & veteratoriis artibus res iniustissimas, horrenda ambitione contaminatas propugnari, cuncta dissimulari, verba dari, secundis rebus & arridente fortuna, excæcari, quid sui sit officii, planè negligi: & à pessimis hominum perditorum qui ex principum & patriæ ruinis, res suas constabiliunt, consiliis, ceu fluctu quodam longè à vero, iusto & æquo abripi: prætextu nescio quo, vi & armis amicos pariter ac inimicos, vexari dispoliari & interuerti? Hæc quotidianis exemplis nota sunt, & iudico veteres omnes eò respexisse, vt religionem cum exemplis coniungerent, neque vllam penè de diuini numinis cultu lineam traderent, quam non statim illuminarent eorum exemplis, qui aut religione obligati, præmium: aut impii, supplicium tulissent, vt homines exemplis incitati, plus voluntatis & studii ad religionem afferrent. Arduum enim est, absque exemplo res magnas lucidè ostendere: longumq; est iter per præcepta: breue & efficax per exempla: Plus ex moribus quàm verbis trahimus. Antiquorum namque exempla, ad insinuandam huius vitę instabilitatem intuenda sunt, & sermo viuus & efficax, exemplum operis est. Ita spiritus sanctus in veteri testamento, non tantum inter leges passim sparsit ac disseminauit historias, verum etiam integros libros exarauit, de vita & exitu eorum, qui aut ornassent religionem, aut flagitiosè dedecorassent: non certè vt simpliciter, res gestas ad orbis terræ sempiternam memoriam propagaret, sed vt facilius in illis tanquam in speculo sanctitas Deique colendi scientia cerneretur. Ita in Euangelio, quàm artificiosè, quàm venustè sancti authores Euangelii, fidem miraculorum & historiarum varietate distinxerunt? Et præterea plenum ostentorum, quę Deus per Apostolos edidisset, reliquerunt librum, vt perculsi lectores mirabilium factorum testimoniis, studium ad testatam signis & prodigiis religionem applicarent, quam nudè simpliciterque traditam abiecissent. In quo illud maximum momentum habet, quod eadem authoritas & cæteris & historicis libris tribuitur: ne quisquam dubitet, sanctis historiis clarissimam lucem in religionem importari. Deinde post Apostolorum memoriam, quanta contentione, quanta assiduitate sanctissimi patres incubuerunt, vt religionis incrementa, prodi-

*Plato de Reg. Sen. in epist. 6. Gregor. 4. mor. Bern. Serm. 56.*

prodigia & præsertim exempla eorum, qui testimonium religioni sanguine reliquissent, non solum frequenti cómemoratione in animos hominum impellerentur, verum etiam ad posteritatem, consignata literis peruenirent. Quod tametsi omnes elaborarent, neque vllus penè antiquus theologus extitit, qui non de religione superioris & sui temporis aut plenos commentarios confecerit, aut obscuram singularis memoriæ particulam reliquerit: tamen præ omnibus plurimum studii & diligentiæ posuisse videtur, Hegesippus, Eusebius, Sozomenus, Socrates, Theodoritus Cyrensis, Basilius, Philostorgius, Theodorus lector & alii, qui conseruatis notatisque temporibus religionis historiam literis mandarunt, non vt inane pueris oblectamentum parerent. Sed vt eam doctrinam comprobarent, quam tot illustres sanguines obsignassent: quæ esset oblatæ mortis contemptione à Sanctis per tot suppliciorum acerbitates defensa: quæ toties omnibus viribus oppressa, tandem caput euictis & conculcatis hostibus cum amplissima dignitate extulisset. Nam vt ex Sybillinis versibus, quos de Athenis scribitur edidisse, constat,

*Mergitur interdum, sed non submergitur vnquam*
*Saluificum Christi seruans Ecclesia verbum.*

Ac vtinam posteri eandem curam ad sese perductam retinuissent: aut vtinam Germani etiam fidei historias publicis monumentis & literis consecrassent, ex quibus erui posset, quando ad eos propagata esset religio, quomodo progressa: à quibus regibus vel afflicta, vel subleuata: quinam prima semina iecissent: qui animas & vitas profudissent. Verum sicut nobis in maiorum nostrorum susceptis fortiter, & gestis præclarè omnibus rebus accidit, vt, cum nullis literis retinerentur, temporis diuturnitate ex animis & memoria dilapsæ, interirent: idem etiam hîc vsu venit, vt veteris religionis initia, auxilia, & testimonia nullis scriptis plenè tradita, magnam partem à nobis peregrinentur: quæ si omnia fuissent animaduersa, & in publicis monumentis infixa, nullis Græcis, nullis Italis cederemus aut Martyrum gloria, aut tandem nostrorum hominum sanctitate & beneuolentia in religionem. Nunc præter pauca & ea plerumque multis mendaciunculis, prodigiis fabulosis, portentis, & rebus commentitiis aspersa, omnia nobis erepta sunt vetustate, nisi quòd hinc inde in diuersis libris sunt quædam tenuia exempla sparsim effusa & disiecta: Et nemo planè extat, qui animum appulerit, vt singulariter primarum in Germania Ecclesiarum ortus & progressiones describeret. Soli ex omnibus Albertus Krantzius vir religione, doctrina & fide clarissimus, & alius Wernerus ex maximis miserrimisque veterum sacrorum naufragiis quasdam quasi tabulas collegerunt, & Ecclesiasticos integros libros, de suarum ditionum religione confecerunt, quando & à quibus sit Christiana fides inducta, quibus adminiculis conseruata, quot illustrium animarum profusione vetus superstitio obliterata atque euersa: Et Wernerus quidem nimis concisè solùm de Westphalis: Krantzius est vberrimè

de tota Saxonia & partim etiam vicinarum gentium historiam prosecutus, & gloriam omnem Wernero ex manibus eripuit in hoc libro, quem metropolim ipse inscripsit, ab Hamburga Saxonicarum Ecclesiarum metropoli, in qua, sicut in Dania nuper prolixè diximus, vitam degebat. Incepit autem ab anno 780, & inde continuatam perpetuo ordine fortunam Ecclesiæ Saxonicæ ad annum 1504 perduxit: In qua perenni multorum annorum memoria, Deus bone, quantos, quàm mirabiles vtilitatis fructus omnibus præbet? quantos stimulos incutit ad imitandam maiorum nostrorum pietatem? cùm percenset, quanto periculo CAROLVS MAGNVS, quot hominum interitu, quot Martyrum innocentia, publicam Christianæ fidei professionem in aduersantem & repugnantem Saxoniam protulerit: quomodo Hamburgæ, Salingstadii, Padeborniæ, Mymingrodii, Werdæ, Bremæ, Mindæ, Hildesheymii & alias Ecclesias erexerit: quo pacto deinde collegia Hamburgæ & alibi tanquam omnium linguarum, artium & religionis ludos & officinas aperuerit, & præsertim cùm noua necessitudo, in quam cum Græcis venerat, cognitionem Græcæ linguæ desideraret, iusserit Osnaburgi perpetuas vtriusque
*Lib.1.ca.2* linguæ Scholas haberi, in quibus sacerdotes eius cœnobii erudirentur, vt inde posset Episcopus Orator ad Impp. legari Constantinopolim. A cuius viri sanctimonia & religione, quantum nostri principes degenerant? qui patiuntur monasteria aut desidiosissimo inertissimoq; otio occupari, aut profana haberi, & in nefarios externos vsus conuerti: cùm meritò ac iure semel Deo dicata, Ecclesiis, Scholis, pauperibus & Xenodochiis tantùm, non autem vt fit, rebus ab omni religione remotis, & aulicæ luxuriæ deuolui conueniret. In quo malunt turpis Græculi Imperatoris
*Zonar. Ant.to.3. in vita Copron.* Copronymi, qui sublatis multis orthodoxorum millibus, eorum domicilia partim demolitus est, partim militibus distribuit, imitatores esse, quàm in perenni contestataque maiorum virtute persistere. Neque illa tantùm Krantzius, sed plura fidei capita grandioribus exemplis ita ante oculos ponit, ita perspicuè exprimit, vt magnum lumen religioni præferat: neque solum exempla & historias nudè recitat, sed omnia ad religio-
*Eccles. sta. tum, lib.1. ca.23.24 32. libr.2. ca.27. & 28. lib.4. ca.1. li.10 ca.45. lib. 11. ca.39. Imperii. li. 5. cap.13. lib.8. cap. 27. & 40 li.10. cap. 31. & 41.* nis regulam aut sanctimoniæ alicuius normam dirigit, & interdum fructum etiam aliquem in communem vitam deriuat operæ historiæque suæ. Vt autem maiorum virtutem extollit, ita sui temporis vitia asperiùs obiurgat, & quædam flebiliter lamentatur, quòd vir optimus & summa religione præditus doleret vnam Christi fidem in multas familias & factiones dissipari: Ecclesiam corruptelis & superstitionibus imbui: totumque Imperium turbulentissima iactari seditionum & discordiarum tempestate.

Hunc igitur, Reuerendissime PRINCEPS, non librum sed thesaurum, de sacris historiis, summa fide & diligentia scriptum, quis dubitet dignissimum esse, qui typis excusus, ad immortalem memoriam posteritati consecretur? Quæ etiam me res impulit, vt Wechelo Typographo, viro Cla-

ro Clariſſimo, eius excudendi ſuaſor eſſem: quòd cætera omnia eiuſdem authoris, veterum rerum & ſeculorum monumenta nuper in publicam lucem emiſiſſet. Viſum eſt enim perabſurdum eſſe, cùm profanis Krantzii hiſtoriis diligentem cultum tribuiſſet, vt magno ſplendore poſteris luceant, ſi ſacras præteriret, & deſertas incultasque iacere permitteret, quas diximus vtilitate & dignitate & perpetuitate cæteris antecellere. Quod cum Wechelus pro ſumma propenſaque voluntate, quam in poſteros habet, comprobaſſet, venerunt tandem, vt vides, ſacræ & profanæ hiſtoriæ Krantzii plenæ abſolutæque in conſpectum hominum, & quidem ſub nomine TVÆ CELSITVDINIS: quod eam non grauatè laturam eſſe ſciebam, cùm inſtituti mei ſuſceptique conſilii cauſas intelligeret. Primum enim cùm non ignorarem, quanta eſſet noſtrorum hominum procliuitas ad carpendos publicos labores, nihilque penè tam ſanctum exeat, quod non maximis conuiciorum aculeis configatur, vel laceretur calumnia: & ob eam rem liber ſingulari ſubſidio egere videretur: circumſpectis omnibus rebus, ſubductisque rationibus, in nullum incidi, cùm omnes mente colluſtraſſem, qui te vel melius poſſet, vel libentius vellet authori auxilium ad obtrectationes porrigere. Nam cùm in cæteris quædam obſcurè inſint, in te omnia clariſſimè ſplendent: ampliſſima Imperii poteſtas, maxima religio, incredibilis doctrina, ingens natura, incenſus literarum amor, ſumma comitas: vt authoritate & doctrina poſſis: literarum amore non pudeat: religione & comitate, non recuſes, religioſo ſcripto & authori opem ſubſidiumque ferre. Inuaſit hodie multorum principum animos & penè oppreſſit, immanis & turpis opinio, vt ſuam dignitatem putent, his librorum inſcriptionibus aut ſi literis animum præbeant, dedecorari: multique (vt Wimpfelingi verbis, etſi non eleganter latinis, vtar) literas ita odiunt, vt latinum ſermonem, etiam ſi ſciant, loqui erubeſcant. Quoniam aſſentatores, inquit, & calamiſtrati qui principibus dies & noctes, ſicut ſanguiſugæ, adhærent, auertunt innocentiſsimos eorum animos, dicuntque eſſe indecorum principi diſcere & loqui nobiliſsimam linguam. Timent enim impudici canes, & mancipia diaboli, ſi principum ſpiritus inuadat ſanctus ardor ſapientiæ, ſtudii literarum, prudentiæ, virtutum, hiſtoriarum, ſeſe qui barbarie pleni ſunt, contemptum iri: doctosque & graues viros ſibi præponi: qui nihil didicere aliud, quàm aucupio, venatu, furore, blaſphemia, crudelitate, luxu, ocio, ludo, libidine, humani ſanguinis, eccleſiaſticarum rerum ſiti, & omni veſtium, verborum, operum leuitate, calamiſtraturaque, noſtram nationem infamem deſpectamque reddere, ac mirum in modum apud exteros contemptam atque abiectam. Perſuadent etiam principibus noſtris hæ ſanguiſugæ, poſſe Reſpubl. feliciter gubernari abſque doctis & literatis hominibus neſcientes quod ſcribit Iulius Capitolinus hiſtoriographus elegantiſsimus, Marcum Impp. ſemper in

*Iac. Wimp. rerum Germ. ca. 48.*

ore habuisse illud diuini Platonis, florere ciuitates, si aut Philosophi imperarent, aut Imperatores Philosopharentur. Sed hæc de te ne suspicari quidem in mentem mihi venit, qui & ipse animum linguis & artibus dignis nobili homine perpoliuisti, & adhuc in summo dignitatis splendore faces, quas natura in te accendit, erga literatos & studia retines.

Deinde Clementissime Domine, postquam te Dei voluntas, tuaque illustris virtus ante hoc tempus ad celsissimam amplissimæ dignitatis sedem euexisset, sæpe multumque optaui, vt pro singulari beneuolentia, quam mihi semper in Gallia tribuisses, eam tibi amplitudinem & fortunam gratularer: Itaque diem ex die expectaui, dum tempus idoneum & aptum eluceret. Quod cùm nunc in hac sacra Krantzii historia scripta de veterum maiorum pietate nactus essem, fui incredibiliter exhilaratus, neque vlla ratione committendum esse iudicaui, quin publico scripto voluptatem meam exprimerem, quam ex amplissimo honore tuo cepissem. Præuidi ego multò antè ex tuarum splendore virtutum: quæ magnificè enitebant, quanta gloria & fortunæ altitudo esset prosecutura: cogitaui etiam ipse mecum, quàm felix longeque beatissima ditio futura esset, in qua tu regnares Philosophus, id est, pietatis & omnium doctrinarum virtutumque clarissimis luminibus illustratus: meminique me sæpe amicis de illis omnibus quasi vaticinari: vt me nunc & honorum tuorum illustris meritaque claritas, & meum iudicium euentu comprobatum, oblectet. Audio enim cum ad summam celsissimumque gradum tui Magistratus ascendisses, statim documentum virtutis feciſſe, & ad eam solum curam animum applicauisse, non vt sanguisugas improbos fisci lienes, & assentatores vel ciuium tuorum expilatores, quod plerique Principes faciunt, sed vt viros literatos, authoritate, prudentia, & eruditione præstantes in tuam familiam cooptares, qui tuos labores in amplissimo imperio leuarent, & moderatis consiliis summaque intelligentia tecum ciues tuæ potestati subiectos pacatè regerent. Quod profectò, vt pro multis vnum tanquam veteri consuetudine mihi coniunctissimum, honoris causa nominem, es cumulatissimè assecutus, cùm consiliis tuis adiungeres Iohannem Christophorum ab Hornstein, virum vetustissimis equestris familiæ maiorumque suorum honoribus, admirabili rerum omnium, & præcipuè iuris doctrina, incredibili virtute, & singulari integritate clarissimum, qui vnus in magno imperio loco multorum eruditione gerendæque Reipublic. scientia splendere posset. Cùm igitur tam illustris de te fama per vniuersam Germaniam peruagata in omnibus locis percrebuisset, & passim nunciaretur, quantum meam præsensionem non solum sustineres, sed etiam vinceres: fui ita sicut dixi inflammatus, vt nactus edendi huius libri occasionem omnino tibi in eo tùm Imperii tui, tum florescentis in te ad summam gloriam virtutis, gratulationem faciendam esse iudicarem: sicut nunc & librum

*Vt illos Vlp. Tra. vocabat.*

brum humilimè in tuam curam & defensionem tanquam in sacrum tem plum consecro, & præterea Deũ oro, vt in illa summa fortunæ tuæ splendorisque dignitate diutissimè sine omni offensione florere & Imperio Ecclesiæque plurima honorum tuorum ornamenta præferre possis.

Intelligis Reuerendissime princeps, quibus honestis causis incitatus, librum ad te miserim: eoque mihi vt spero, non gravatè veniam dabis: au thoremque ipsum patrocinio, & me (quandoquidem a facie principis tristis nemo recedere debet,) tuæ Celsitati addictissimum beneuolentia atque gratia humanissimè complecteris: quod vt sperem, virtus tua: vt humilimè orare audeam, clementia facit & celebrata omnium sermone comitas. *Dictum Imp. Tit. Vesp.*

Quod superest, clementissime Domine, commendo te omnipotenti Deo, vt totius longissimæ vitæ tuæ cursum amplissimis fortunis, maximis honoribus, & optima sanctissimaque religione conficias, & tandem post multorum annorum conuersiones, mundi facietate affectus, ad celestem animorum sempiternam felicitatem emigres. Ex Mundelsheim. Anno Domini 76. mense Martio.

*Tuæ Celsitud.*

*Addictissimus*

*Jo. Wolfius V. I. L. Illustrissimorum Principum, Phil. Lud. Palatini & March. Caroli Bad. Consiliarius.*

# ALBERTI KRANTZII
## HAMBVRGENSIS, HISTORICI CLARISSIMI, METROPOLIS.

## PRÆFATIO.

Argumentū & causa huius operis suscepti.

DEBEMVS hoc Christianissimo, qui solus nostris prouinciis, (vt cæteris) omnem, qua fruimur, ciuilitatem inuexit, vt sepositā commemoratione, sacræ religionis rationem habeamus: ostendentes, per quos viros, quoq; tempore, munus hoc æternitatis prouenerit eis, quas commemorando percurrimus, nationibus: vt reddatur sanctis pontificibus suus honor, qui hoc suis temporibus & omni posteritati præstiterunt, vt veram & sanctissimam Christi religionem amplecterentur. Quibus perinde magis sumus obnoxij, quòd æternæ salutis nobis vias aperuerunt, vestigiaq; signarunt, quibus innitentes aberrare non possumus. Gladio quidem vibrato seculares principes adegerunt dura pectora cedere religioni: sed ipsi pontifices, diuini verbi penetrabili gladio, ad diuisionem animæ ac spiritus (hoc est, mundanæ conuersationis ac spiritalis sanctimoniæ discretionem) peruenerunt. Vtrisque coniunctas laudes reddere minores debent, quòd alterum sine altero infructuosum perduraſſet. Primus quidem Magnus Carolus victoriosus princeps, rex pridem Galliarum ac Germaniæ, patrio atq; auito zelo Saxonibus, gentilitatis errore vsque ad sua tempora insordescentibus, imminebat, perurgens Christi sacram ambire religionem: sed fuit illi diuturnus ille labor, quòd aliarum quoque prouinciarum illi cura impendebat. Turbauere Sarraceni Hispanias ad vicina vsq; Galliarum: occurrendum illis erat. In Italia Longobardi Romanam sedem afflictauerant: erant & illi coercendi. Bauari (quos veteres dixere Baioarios) arma pro Longobardis commouerant: quibus Huni vires auxerant, & animos fecerant. Vtriq; per Carolum sub iuga mittendi. Igitur in multas partita prouincias, Saxonibus minora

Euāgelium sine armis non staret.

*videbantur Gallorum arma, quàm vt illis cederent. Vbi tamen memoratis prouincijs ad iuga domitis, ipse Carolus totis iam viribus immineret Saxoniæ, effecit vt mandata facere pollicerentur. Lex pacis non alia fuit victorioso principi, quàm vt contemptis idolis, veram & sinceram atq; æternam Christi religionem amplecterentur. Quumq; perspiceret optimus rex, gentem duræ ceruicis non ferre iugum terrenæ dominationis, partitus est prouincias religiosis Christi sacerdotibus, quos iussit episcopos consecrari: quibus à summo pontifice & legatis eius, cùm attributus esset ensis ille spiritalis districtionis, ipse Carolus suum illis adiecit: vt haberent quo contumaces & terrerent & distringerent. Ex hac Saxonia, iam Christiana, egressi sacerdotes in regna Aquilonis, illa quoq; legibus Christianis imbuerant: primusq; Ansgarius Hamburgensis archiepiscopus, in omnia Aquilonis regna cum successoribus diu suis Apostolicæ sedis legatus, verbum vitæ in Daniam Suediamq; propagauit. Et vbi recruduit seuiens gentilitas (vt proiecta noua religione, iterum error vetus innouaretur) Otto primus ex Saxonibus Imperator, vltrice gladio reuexit labefactatam religionem. Sed neq; sic diu in prouincia valebat publicè suscepta religio, donec Zuenorex, ab memorato Ottone sacro de fonte leuatus, multis calamitatibus perdomitus resipisceret, & sua sponte resumeret abiectam Christi sacram fidem. Ex eo tempore perseuerantèr in regnis perdurabat, vsque in Norwagiam & Phinniam propagata. Wandali, gens quondam in nostri maris littore potens, nunc à Saxonum populo in mediterranea retropulsa, & ad magnam tenuitatem perducta, tum suis vrbibus & opibus florẽs: diu Christianum nomen exhorruit, singulari superstitione idolis suis dedita: donec ab Danorum rege à mari, & ab Oriente à principibus suæ gentis Pomeranis, & à meridie à Christianis principibus per arma cogerentur subire Christianismum. Laborabat in ea magnus Otto, & ad bonum modum prouexit gladio suo religionem: sed in morte nepotis sui rebus perturbatis, rediit prouincia ad vomitum gentilitatis. Iterum arma intentantur à mari atque terra, diu frustrà. Sed Waldemarus rex Daniæ, eius nominis primus, & Henricus cognomento Leo, dux Saxoniæ, multis malis afflixere gentem, donec in iuga iterum concederet Christianitatis. Sed hæc in præfatione sint dicta. Cæterùm absolutior harum rerum narratio & in Saxonia, & in Dania, & in Wandalia nostra, locum suum tenent. Infrà quoque, vbi temporum series admonebit, ad ea commemoranda redibimus.*

Episcopi arma militiæ suæ etiã carnalia habẽt.

MISERA-

MISERABILIS statvs prouinciarum, ante veri Dei notitiam: quando armis & opibus licet floreſcentibus, immanis tamen cultus idolorum omnes colentes miſit in interitum. Quumq; in cæteris prouinciis, vbi Chriſti nomen per Apoſtolos & Apoſtolicos viros inclaruit, annis pluſquam trecentis, primitiua laboraret eccleſia, multa ſunt millia ſanctorum martyrum coronata. Interim borealis Germania ſalutari bono ſacræ religionis carebat, quòd nullus in hanc barbariem auderet penetrare. Ferunt tamen ſine certo authore plurimi, iam tum Neronis Imperatoris temporibus, quum diuus Petrus Romæ verſaretur, ex diſcipulis eius vnum veniſſe Bardewicum (quæ tum in mediterraneis vna in omni prouincia dicitur vrbs floruiſſe) ibiq; nomen Chriſti prædicaſſe, & longanimiter gentis totius conuerſionem piè præſtolantem, diem ibi ſuum obiiſſe. Religioſè per annos mille & ſuprà, eius ſepulcrum inter omnes habitum: donec Henrico Leone vrbem captam euertente, rex Daniæ Kanutus, qui illi aderat, expeditionis mercedem acciperet à ſocero, oſſa ſacra primi prædicatoris. Hæc fama feruntur, ſed non leguntur in Annalibus, qui abiſtis antiquitatibus pene nulli extant. Sed nobis initium narrandi naſcitur ab annis Caroli Magni, qui primus victo regladio Saxonibus Chriſti nomen inuexit. Angebat optimum principem vicinæ narionis perfidia. Meminerat, auum Carolum Martellum, virum glorioſiſſimum, & patrem Pipinum, qui primus regiam dignitatem in familiam ſuam pertraxit, diu armis luctatos cum vicinis Saxonibus, vt Chriſti fidem acciperent: ſed quod illi egerunt, nec peregerũt, ipſe feliciter ad exitum perduxit. Erat tum annus à Chriſto nato ſeptingenteſimus ſeptuageſimus, paucis adiectis, quum per duces Carolus ſæpe Saxonibus conſtigeret, & victis per partes nõ alias leges imponeret, quàm vt verum Deum in cœlis agnoſcerent, & quem ille miſit vnicum ſuum Ieſum Chriſtum. Dedere manus plurimi, ſacrumq; ſubiere baptiſma: datis etiam obſidibus, q. in fide Chriſti & regis permanerent. Quum arma auerterentur, vel qui baptizati erant, ad ſordes redierunt, vel needum baptizati, alios ſecum rebellare coẽgerunt. Wedekindus tum princeps erat in gente. Is diu reſtitit Carolo, & cum ducibus eius crebrius cõflictatus eſt, variante ſæpe victoria. Fugatus tandem, quum magno prælio cederet, peruenit in Daniã, ad eius gentis regem, cuius filiam tenebat coniugem. Operæprecium eſt intueri, quis tum fuerit rerum ſtatus per Saxoniam. Ferunt, gentem indomitam regibus ſubeſſe nõ paſſam, duodecim primarios viros præfeciſſe, qui per omnem prouinciam publicæ vtilitati inſeruirent, conſulentes in medium de rebus gerẽdis. Annuus erat inter illos per vices magiſtratus. Quem verò publicum deforis bellum illatum, in magiſtratu deprehendiſſet, is durante bello rex appellabatur, cuius imperio parérent vniuerſi: bello autem pace mutato, regium nomen pariter deponebat. Sic Edelhardus, vnus ex duodecim proceribus, paulo ante Wedekindum rex inſcriptus legitur: & ab vrbe Oſnaburga quingentis vix paſſuum ſpatiis, reliquias arcis eſſe hodie commonſtrant: quam arcem, regiam vocant Wedekindi.

CAP. I.

*Fama incerta de vno è Petri diſcipulis apud Saxones prædicante.*

*Quo pacto Saxonibus regea erant.*

ANNVS erat à mundi ſalute ſeptingenteſimus octuageſimus, quum rex Carolus, magna expeditione in Saxoniam facta, cõgreſſus eſt Wedekindo, iam vires totius regni in arma ducente: ibiq; dum acriter pugnatum diu eſſet, ceſſit fugiens Wedekindus. Carolus autem, qui prælio ſupererant Saxones, ea lege ſeruauit, vt Chriſti fidem cum religione ſuſciperẽt. Igitur in loco Oſnaburga, habitatoribus ſatis frequente, quum vicinam Wedekindi arcem iam captã impoſito firmaſſet præſidio, eccleſiam exædificauit primam in prouincia epiſcopalem, eiq; virum ſanctũ præfecit Wihonem, primum eius loci pontificem, hominem gẽte & originc Phriſium: q. in ea gente, per Bonifacium archiepiſcopum Moguntinum, ibi martyrem, multi iam Chriſto credidiſſent. Cui de prouinciæ prouentib. aſſignauit vnde cum ſuo clero viueret, ad cõfirmandos recens baptizatos in ſuſcepta Chriſti religione. Egit vir ſenſatus, pro zelo ſacræ religionis, ſatis verbo inſiſtens & opere, vt creditas animas & ſeruaret, & multiplicaret. Ferũt indictas populo decimas, de more Chriſticolarum, non proueniſſe pontifici primùm, ſed regiis præfectis, vt inde ſtipẽdia

CAP. II.

*Wiho primus apud Saxones pontifex.*

militibus & sumptus facerent crebrarum in eam gentem expeditionum. Tributorum nomen horrebat libertati assuetus populus: sed decimarum exactionē recusare non poterant. Interpretātur annales hinc ortum, vt multarum hodie decimarum exactiones sint in manibus laicorū. Ego aliam huic rei causam acceſſiſſe conii cio, quum non satis fiderent pontifices sua iura ab laicis principib. tueri, dediſſe ar-
*Episcoporum largitiones ad parandū subsidium.* bitror partem decimarum principibus in manum, perſpeciem feudi & beneficij, malentes amittere dimidium quām totum: inde factum vt à principibus tranſirēt in miniſteriales, qui nunc militares appellantur. Etiam ſublimius nomē ex miniſterialibus nunc aucupantes, Nobiles ſe dici volunt: quum ſit infimus Nobiliū gradus in Baronibus: ſed hæc aliàs. Quumq; hanc inſignē eccleſiam Oſnaburgenſem moliretur, vſuuenit Magno Carolo, vt multo mercaretur habuiſſe tū ſe viros linguæ Græcę gnaros, quos opponeret legationi, quę ei tum venerat ex Conſtantinopoli, ab Irene regina & Nicephoro patricio, qui tum Orientis imperiū occupabat. Admonitus autem ea re Carolus, dedit priuilegium nouæ eccleſiæ, vt vtriuſq; ibi linguæ ſcholæ haberētur, præſſentq; doctores viri inſignes. Sed nouitas Chriſtianiſmi in populo necdum bene firmato, & crebræ Saxonum ac diuturnæ rebelliones, hoc inſtitutū interceperunt. Extat tenor priuilegij in hunc modum: In nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis, Carolus Imperator Auguſt⁹, Romanū gubernans impe-
*Caroli Imperatoris priuilegium.* rium, dominus & rex Francorū & Longobardorū, necnon dominator & Saxonū. Notum ſit omnib. ſanctæ Eccleſiæ fidelibus, noſtriſq; præſentibus & futuris, q⁹ nos ob noſtræ mercedis augmentū, Wihoni epiſcopo Oſnaburgenſi, ſuæ eccleſię (quā nos primam in omni Saxonia, in honorē ſancti Petri principis Apoſtolorum, & ſanctorum martyrum Criſpini & Criſpiniani cōſtruximus) quoddam nemus vel foreſtum intra hæc loca ſitum, *Farnewinckel, Ruſtenſtein, Angara, Oſningſenethe, Dershouet, Egeſterfelde*, innumera collaudatione illius regionis potētum, cum omni integritate, in porcis ſylueſtribus, ceruis, auibus & piſcibus, omniq; venatione quæ ſub ban no vſuali ad foreſtum deputatur, ad ſimilitudinem foreſti noſtri Aquiſgrani, pertinentes in ſyluaOſningi, in perpetuū proprietatis vſum donauimus. Ea videlicet ratione, q⁹ ſi quiſquam hoc idem nemus noſtro banno munitum, ſine prædictæ ſedis epiſcopi licentia, ſtudio venandi, vel ſyluam extirpandi, vel aliud agendi vnquam introierit, ſciat ſe tam diuinæ q̄ regiæ vltionis vindictam incurſurum: necnon pro delicto LX. ſolidos noſtri ponderis (quos nobis pro banno violato deberi ſtatuim⁹) redditurū. Inſuper verò eidem epiſcopo, eiusq; ſucceſſoribus, perpetuam cōcedimus libertatē, & ab omni regali imperio abſolutionem. Niſi fortè cōtingat vt Imperator Romanorum, & rex Græcorū, coniugalia fœdera inter filios eorū contrahere diſponāt. Tunc eccleſiæ illius epiſcopus, cum ſumptu à rege vel Imperatore adhibito, laborem ſimul & honorē illius legationis aſſumet. Et ea de cauſa ſtatuimus,
*Græcarum & Latinarū lite rarum ſtudia.* q⁹ in eodem loco Græcas & Latinas ſcholas in perpetuū manere ordinauimus, nec vnquam clericos vtriuſq; linguæ gnaros deeſſe cōſidimus. Et vt hæc authoritas firmior habeatur, & diuturnis temporib. melius cōſeruetur, manu propria ſubter ea roborare decreuimus, & annulo noſtro ſigillare iuſſimus. Datum XIII. Cal. Ianu. anno IIII. (Chriſto propitio) Imperij noſtri, XXXVII. regni noſtri in Francia, atq; XXXI. in Italia. Actum Aquiſgrani, in Palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

CAP. 3. PROXIMAM deinde fundaſſe eccleſiam ferunt Carolum in orientali Saxo-
*Saxonia orientalis & occidentalis.* nia. Dirimit autem occiduam & orietalem prouinciam (vt alij Weſtphali, alii Oſtphali dicantur) fluuius olim Viſurgus, nunc Wiſera dictus, limes olim prouinciæ Saxonum: quum vltra fluuiū ad Orientem habitarent Wandali, latè per regionem fuſi, vſq; ad Albim fluuium, & inde vſq; ad Oceanum Germanicum, quem per littora tum etiam Wandali tenuere. Sed quum (vt eſt hominū ritus) vicinæ gentes fœpe de limitibus inirēt certamen, Saxones animati, tranſito flumine (vt eſt vadabilis in pleriſq; locis) à ripa Wandalos ſubmouerunt: & occupata prouincię parte, habitare ad Orientem eius fluminis cœperunt, vſque ad Hercyniam ſyluam, hodie Harticos vocant montes: vt orientales exinde Saxones dicerentur. Poterat etiam bellotum Gallico ex Weſtphalia (quæ vera & vetus Saxonia eſt) maior multitudo fluuium tranſiſſe, & inter congentiles habitaſſe, vt maiorem etiam ibi laborem Carolo

rolo excitaret. Sed rex inuictus, transito fluuio, eam quoq; partem gentis edomuit, impositoq; Christianitatis leni iugo, & onere suaui. Extruxitq; in loco *Salingstede* insignem ecclesiam, quam in honorem diui Stephani iussit cõsecrari: præposuitq; primum ei episcopum, egregium virum, Hildegrinum, germanum fratrem Ludgeri, quem deinde Miningrodensi (nunc Monasteriensi) præfecit ecclesiæ. Sed is episcopatus posterioribus seculis de hoc loco, quem tum *Salingstede*, nunc vocant *Osterwyck*, in Halberstadium est translatus: quod suo tempore commemorabitur. Subuertit vbiq; rex Christianissimus idola regionis, q̃ tum frequentia Saxones ad eum diem coluerunt. Krodo nomen erat idolo, quod Saturnum sunt arbitrati. Locus culturæ eius, in Hartesborg veteri arce. Permanet hodie in gẽte execrationis vocabulum, vt quoties abominanda res est visa, *Krodo* cum indignatione dicant. In Magdeburg (quæ ripam tenet Albis fluminis) arx ab olim præcipua, quã ego limitaneis Romanorum ducibus extitisse crediderim, quum, iubẽte Augusto Cæsare, Transalbianos Romani non attingerent: ne tamen illos viderentur formidasse, in ripa fluminis ad hostes versa, præsidium constituerunt. Ibi Veneris simulacrum in curru stantis, cum tribus Gratiis colebatur. Vnde nomen natum est loco, vt Magdeborg, (hoc est Parthenopolis, seu puellarum vrbs) diceretur, quum cygni & columbę, alites Veneri dicatæ, iuga ducerent ad temonẽ. Sed rex cordatissimus nõ passus durare superstitionem, subuertit simulacrũ. Sed quoniam Wandalis qui locum tenuere, necdum iugum imposuit, ad reliqua conuersus abiit, cõtentus subuertisse vanã religionem. Hunc locum Otto Magnus postea insigniuit ad instãtiam Edittæ reginæ: celebrem ex oppidulo vrbem fecit, dedit q; loco archiepiscopũ, quod suo tempore memorabitur. Hildegrinus autem pontifex quum diu præfuisset ecclesię, auctus rebus & populo, illustrius Deo templum cogitauit erigere. Hac dum cogitatione torqueretur, monitus est ab angelo, alium esse Deo placidiorem locum, quo nouum templum erigeret & cõsecraret: monstrauitq; Halberstadium, populo frequentiorem locum. Ibi tum pontifex constituto templo ac consecrato, sedem esse suam constituit. Ibiq; præfuit annis septem, quum priore loco totos exegisset quadraginta, dormiuitq; in pace, plenus dierum ac operum bonorum, sanctitatis opinione non parua inter omnes relicta, magnoq; sui desiderio.

*Carolus bellũ vltra Visurgim profert.*

*Idolum apud Saxones præcipuum.*

*Magdeburgensis nominis etymon.*

NON quieuit rex Carolus ab incepto, donec ecclesiis per prouinciã multiplicatis, populum magis atque magis firmaret in fide: tametsi Wedekindus Saxonum princeps, necdum manº dedisset, sed rebellionem toties renouasset. Paderburnã, locum regi visum idoneum, quẽ sæpe honorasset præsentia sua, duxit ecclesia constructa illustrandum. Igitur datis sumptibus, templum erexit in loco venerabile: & quoniam necdum fideret genti (quòd princeps eius necdum rebellionem posuisset) episcopum consecrari loco necdum voluit: sed ecclesiam Wirtzeburgensi episcopo commendauit, reliqua obiens munera prouinciarum ac regnorum, quæ illi latissima patebant. Sed quum iam Wedekindus toties rebellans ad cor rediret, secum reputans quid tanto labore mercaretur, quidve tanti sanguinis impendio eui taret, quum neque de principatu certaret, neq; de vita, sed de sola religione, quam tot prouinciæ diu feliciter sequerẽtur: sumpto secum Albione viro nobili, & inter Saxones primario, qui ditionem vltra Albiam teneret (Holstatiã nunc vocant) contendit ad Carolum, præmisso ex aulicis regi, qui securitatem ad eundi & (si videretur) redeundi, impetraret. Erat tum annus post septingentos à Christo octuagesimus quintus, quum à rege dux honorifice excepº, reddita vtrinq; factorũ ratione, dux se cõtulit in gratiam regis. Ibiq; factus catechumenus, instruitur in fide, & deinde cum Albione sacrum suscepit baptisma: iampridem magno victus prælio, ad fluuium Hasam. Erãt deinde res per omnem Saxoniam tranquilliores. Vnde factũ est vt multiplicarentur ecclesię per prouinciam, cunctis iam sub suo principe quiescentibus. Arces nonnullas firmauit præsidiis rex: sed alias duci restituit: nec tamẽ satis discernunt Annales quas ab rege receperit. Arcem tenebat ad ripam Visurgis dux, in quam à prælio victus ad Hasam se contulit, eamq; suo iure seruauit, quoad in eodem loco (quod dicemus) episcopatum rex constitueret. Tum facta commutatione duci atque pontifici mansio illa, quæ Minda dicitur.

CAP. 4.

*Wedekindus Saxoniæ princeps, Christianum officit.*

*Mindensis ecclesia.*

CAP. 5. TERTIAM deinde episcopalem ecclesiam rex erexit in mediterraneis Saxoniæ, nunc Westphaliæ, in Mimingrode, loco populoso ac celebri, qui postea ab insigni ibi fundato monasterio dominarum nomen mutuabatur, vt vrbs tota Monasterium vsq; hodie diceretur: locumq; iussit cõsecrari in honorem diui Pauli, præpositiq; loco pontificem sanctum virum Ludgerum, natione Phrisium, fratrẽ Hildegrini Halberstadensis pontificis. Quippe regio Phrisiorum, prædicatione illustrata diui Bonifacii archiepiscopi Moguntini, multos iam tum habebat & emisit Christianos: inter quos & Ludgerum, virum ab vtero sanctificatum, qui prædicationis sancto officio tam ardenter incubuit, vt meritò Saxonum apostolus & memoraretur, & esset. Hunc Wedekindus princeps exinde consiliis sibi semper intimum fecit. Alcuinus apud regem Carolum vir primarius, cuius cõsilio (præsertim in sacris rebus) omnia gerebat, hic regi primùm suggessit de Ludgero. Datis ergo literis ad Franciæ monasterium, cui nomen Beneuentum, euocauit Ludgerum, qui illic in studio pietatis & religionis adoleuerat: ipsumq; præfecit congregationi canonicorum, quam aliquot annis laudabiliter rexit: donec sopitis motib. Saxoniæ, & pace firmata, de ampliandis & multiplicandis ecclesiis cogitaret. Vocauit igitur rex de monasterio, quem præfecit, eundem Ludgerum, eiq; commendauit ecclesiam Mimingrodensem, quam duodecim annis pastor fidelis gubernauit: donec iubente eodem rege, accersitus est venerabilis Hildebaldus Colonien sis archiepiscopus, qui eum dictæ ecclesię consecrauit pontificem. Hunc itaque Ludgerũ pro sanctitate vitæ, & claritate doctrinæ, institui iussit rex primum Mimingrodensi ecclesiæ episcopum. Sunt qui contendunt eum fuisse professum ordinem sancti Benedicti, ex quibus sunt, qui nunc vsq; ordinem dictum consectantur: aliis contrarium asserentibus, quòd canonicis regendis præfectus, canonicam duntaxat institutionem (qualis illa tum fuit) sit professus. Vtcunq; fuerit, mihi persuaderi non potest, virum sanctum, si monachus fuisset, in episcopatu, professionis suæ oblitum, desereuisse habitum, & carnibus in mensa vsum fuisse, præter morem & institutionem Benedicti: quippe quem in vita pariter & in morte multis miraculis constat claruisse. De facultatibus patrimonii sui ædificauit celebre monasterium ordinis diui Benedicti, in Werdena, super Ruram fluuium: quod superioribus aliquot annis miserabiliter collapsum, nostra vidit ętas per reformationem egregiè in staurat um. In quo sanctus vir sepultus, diem se nouissimum expectaturum Domino reuelante prædixit. Emigrauit autem anno octingentesimo nono.

*Monasterium ecclesiæ.*

CAP. 6. EODEM ferme tempore in orientali Saxonia, vltra Visurgum, quartum iussit rex esse episcopatum in loco *Konende*, illo tempore satis celebri, atq; habitatoribus frequenti. Sed commodiorẽ deinde conspicati locum, in Verdam (oppidum tunc quàm nunc celebrius) transtulerunt. Ibiq; consecratus est iussu regis episcopus, vir magnæ sanctitatis, Swibertus, professione monachus, Abbas, natione Anglicus, qui ea prouincia iamdudum per annos supra ducẽtos, à memoria diui Gregorii, primi eius nominis, summi pontificis (qui primus Angliæ prædicatores immisit) quũ iam diu abolita esset in prouincia religio Christi, quam Lucius quondam Britanię rex, ab Alexandro primo eius nominis summo pontifice, impetrauit in insula prædicari. Swibertus autem, in Anglia moratus, quum audiret congentiles suos Saxones Anglos (qui nomen insulæ mutarunt, vt ex Britannia diceretur Anglia) iam auscultare Euangelio, domitos armis Caroli, præstitit hoc Christo, præstitit hoc genti (quam sibi & suis cognatam intellexit) vt transito mari conuolaret in prouinciam prædicatoribus indigentem, quòd messis multa, & pauci cernerẽtur operarii. Huius viri zelũ cernens rex Carolus, iussit ecclesiæ nouæ Verdensi primum episcopũ consecrari. Vir autem sanctus, zelo Dei satis feruens, prouinciam sibi creditã foler ter obiuit: serẽs verbum Dei in agro cordis humani, multos conuertit ad Christũ, & sacrę religionis adeo impleuit officium, vt & populum Deo credulum quotidie multiplicaret, & ipse bonis exemplis iter cœlestis regni commonstraret: multis claresceus miraculis, dum viueret: pluribus etiam effulgens, dum iam seculo & vita functus, migrasset ad Christum. Celebrem seruant prouinciales memoriam magni itineris, quod pro Christo & eius religione, vno illum sole memorãt peregisse.

*Quando primum in Anglia euangelium prædicari cœpium.*

*Verdensis ecclesia.*

Exigit

Exigit rerum diuinarũ magnitudo & perennitas, vt magnis nitantur authoribus, alioquin non prosperanda: & vt habeant patrocinium in magnis patribus, qui ecclesiarum iecerunt fundamenta, post Christũ angularem totius ecclesiæ lapidem.

BREMENSIS quoque ecclesia per eadem tempora sumpsit exordium, au- CAP. 7. thore Carolo Francorum inuictissimo rege, iam Saxonum & multarum nationũ victore. Erat in prouincia illa Willehadus Anglicus genere, ab rege & pontificibus Anglicanis missus, imò potiùs dimissus in eam gentem, quia ius potestatis, vt mitterent in prouinciam, non habebant. Ipse verò Willehadus, flagrans desiderio, vel martyrium facere pro Christo, quo modo post multos & Bonifacius, Mogun- tinus archiepiscopus, ante non multos annos in gente Phrisonum fecerat (quæ veteri olim Saxoniæ annumerabatur) aut animas Christo per Euangelium eius lucrifacere: impetrata abeundi ab rege & pontificibus in concilio Anglicano venia, nauigabat in Phrisiam, multa faciens, plurima passus, vt in fide confirmaret, quos memoratus martyr & pontifex Domino quæsierat: simul & multos (si fieri posset) Domino cõgregaret: Magnatum liberos literis imbuebat, & per occasionem, veritatis prædicationem populo inserebat. Multis annis perfecit, vt multos Christo aggregaret. Quoties verò turbo persecutionis, authore Wedekindo, recrudescebat per Saxoniam, sensere Phrisij, & illi fæuierunt. Captus aliquando vt morte absumeretur (quod ille valde cupiebat pro Christo dare animam) sorti- bus gentis (quas Tacitus in omni Germanorũ gente valuisse commemorat) vix ad vitam est seruatus. Discipuli eius aliquot Bremæ, & alij aliis locis crudeliter truncidantur, quum ille vix elaberetur: dum intelligeret diuinam esse voluntatem, vt ad salutem multorum ipse se melioribus temporibus reseruaret. Hunc virum zelo feruentem bono, quum rex intelligeret bene de omni maritima promeritum, remunerare constituit se digno pontificatu. Igitur cuocatum ad se hoc anno, qui erat à Christo nato, DCCLXXVIII. iussit episcopũ consecrari in loco Bremon, nunc Bremam vocant, Phrisiis atque aliis terresstribus Saxonibus æquè continentem. Satagebat interim optimus pontifex ministerium suum iam feruentius implere, ex eo die quo se maioris loci reddere rationem intelligebat. Extat priuilegium, eidem ecclesiæ ab memorato rege collatum in illa ecclesia, in cuius præfatione testatur idem rex, quod antè de illo diximus: Saxones, inquit, quos à progenitoribus nostris, à suæ pertinacia perfidiæ semper indomabiles, ipsiq; Deo & nobis tam diu rebelles, quousque illius (non nostra) virtute ipsos & bellis vicimus, & ad baptismi gratiam, Deo annuente, perduximus, pristina libertate donatos, & omni nobis debito censu solutos (pro amore illius qui nobis victoriã concessit) ipsi tributarios & subiugales deuotè addiximus: videlicet vt qui nostræ potestatis iugum hactenus ferre detrectauerunt, victi iam (Deo gratias) & armis ac fide, Domino ac saluatori nostro Iesu Christo, & sacerdotibus eius, omniũ suorum iumentorum & fructuum, totiusq; culturæ decimas ac nutrituræ, diuites ac pauperes legaliter constricti persoluant. Proinde omnem terram eorum, antiquo Romanorũ more in prouinciam redigentes, & inter episcopos certo limite disterminantes, septentrionalem illius partem (quæ & piscium vbertate ditissima, & pecoribus alendis habetur aptissima) pio Christo, & Apostolorum suorũ principi Petro, pro gratiarum actione deuotè obtulimus, sibiq; in Wigmodia, in loco *Bremon* vocato, super flumen Wirraham, (Weseram dicere voluit, Gallis omnia nostræ linguæ vocabula corrumpentibus) ecclesiam & episcopalem constituimus cathedram. Huic parochiæ pagis 70. mansos cum suis colonis offerentes, totius huius parochiæ incolas decimas suas ecclesiæ suoque prouisori fideliter persoluere, hoc nostræ maiestatis præcepto iubemus, donamus & confirmamus. Adhuc etiam summi pontificis & vniuersalis Papæ Hadriani præcepto, necnon & Moguntinensis episcopi Lullonis, omniumq; qui affuere pontificum consilio, eandem Bremensem ecclesiam, cum omnibus suis appendiciis, Willehado probabilis vitæ coram Deo & sanctis eius commisimus: quem etiam primum eiusdem ecclesiæ, III. Idus Iulij consecrari fecimus episcopum, vt populis diuini semina verbi, secundum datam sibi sapientiam, fideliter dispensando, & nouellam hanc ecclesiam canonico

*Bremensis ecclesia.*

*Sortium vsus apud Germanos vetustus.*

*Bremensi ecclesiæ munera amplissima collata.*

ordine & monasteriali competentia instruendo, interim plantet & riget: quousq; precibus sanctorum suorum exoratus, incrementum det omnipotens Deus: & reliqua.

CAP. 8. HÆC de literis serenissimi Regis Caroli, ad verbum transcripsimus, vt fideli testimonio pernoscamus statum Saxoniæ, quem victorioſus rex post impositum iugum Christi, reliquit in prouincia, vt liber esset populus à iugo tributorum, cæterùm ecclesiis & pontificibus iure decimarum obnoxius permaneret. Adiecit in eisdem literis Phrisiæ partem eidem diœcesi: vt obstruatur os friuolè blaterantiũ, omnem Phrisiam à Carolo omni exactione liberam esse constitutam: aut quòd post eius tempora paluſtris terra accesserit prouinciæ, & perinde nullis legibus pontifici obnoxia. Verba literarũ ad fidem sunt ponenda. Innotuit etiam (inquit) idem venerabilis vir (hauddubiè Willehadum insinuans) serenitati noſtræ, eam quam diximus parochiam, propter barbarorum infestantium pericula, seu varios euentus, qui in ea solent contingere, ad sustentacula siue stipendia Dei seruorum inibi militantium, minimè sufficere posse. Quamobrem, quia Deus omnipotens in gente Phrisonum, sicut Saxonum, ostium suum aperuit, partem prænominatæ regionis (videlicet Phrisiæ) quæ cõtigua huic parochiæ esse dinoscitur, eidem Bremensi ecclesiæ, suoque prouisori Willehado episcopo, cuiusque successoribus perpetualiter delegauimus retinendam. Et quia casus præteritorum, cautos nos faciunt in futurum, ne quis (quod nõ optamus) aliquam sibi in eadem diœcesi vsurpet potestatẽ, certo eam limite fecimus terminari: eiq; hos terminos, mare Oceanum, Albim fluuium, Liam, Stenbach, Hasalam, Wimarchã, Sneielbach, Ostam, Mulinbach, Motam paludem, quę dicitur Sigefridesmoer, Quistinã, Chisenmor, Aschbroch, Wisebrock, Biuernam, Vternam, iterumq; Ostam. Ab Osta verò, vsquequo perueniatur ad paludem, quæ dicitur *Caldenbach*. Deinde ipsam paludem vsque ad Wennam fluuium: à Wenna verò Bicinam, Farstinam, vsque in Wisram fluuium. deinde ab Orientali parte eiusdem fluminis, viam publicam, quæ dicitur *Hessenwech*, & reliqua quæ literis illis multa continentur, ad limitem prouinciæ, siue diœcesis, quæ omnis debuit iure ecclesiastico censeri. Cuius determinationis præuaricatores multi sunt posterioribus seculis inuenti. Nam duces Saxoniæ de genere Hermanni Biling (quem Otto primus ex infimo militaris generis gradu prouexit ad ducalem honorem) obliti regalis donationis, multa sibi in memorata regione vsurpabant: & nonnulli nobiles ex Sueuia per dominam Idam, imperialis ab Henrico tertio sanguinis, in ea regione plurima possedérant. Sed & Henricus Leo, dux Saxoniæ, etiam in ciuitatem Bremam sibi vendicauit potestatem. Hoc autem vnde factũ sit, in Saxonia noſtra memorauimus. Stadensem etiã comitatum ecclesiæ detraxerunt nonnulli. Sed hæc suis leguntur in Saxonia locis. Nunc tantisper commemorasse nobis satis est, oblitos esse illos magnæ in ecclesiam ab Carolo rege donationis. Sed ad Willehadi & ecclesiæ suæ iura, quæ scribimus, reuertamur. Sedit in ecclesia Bremensi beatus Willehadus, post ordinationem suam, annos duos, menses tres, dies vigintisex: prędicauitque tam Phrisiis quàm Saxonibus, post martyrium sancti Bonifacij, omnes annos 35. Obiuit autem senex, & plenus dierum in Phrisia *Plecca fixe*, nunc vocant Plexen in Rustris: ita vocant ditionem illius Phrisiæ partis. Corpus eius Bremam deportatum, in basilica sancti Petri, quam ipse exædificauit, sepultum est. Transitus eius celebratur festiuis gaudiis VI. Idus Nouembris. Ordinatio fuit, vt diximus, III. Idus Iulij.

*Decime loco tributorum apud Saxones*

*Phrisia eccle-sie Bremensi attribuitur.*

*Bremensi eccle-sie multa sequentibus annis sunt adempta.*

CAP. 9. MINDENSIS ecclesia proxima est huic in ordine fundationis, cuius eam referunt originem. Wedekindus Saxonum primarius princeps (siue regem illum dicere collibeat) magno prælio apud Hasam fluuium victus, se ex fuga recepit in arcem, quæ illi fuit ad ripam Visurgi siue Wiseræ fluminis. Eam rex cinxit obsidione. Elapsus ipse, quum defensioni diffideret, peruenit in Daniam. Sed nõ diu pòst assumpto (quod diximus) Albione, concessit in gratiam regis: qui vbi comperit elapsum Wedekindum, obsidionem posthabuit, præsertim quòd in hyberna ducendum esset. Rex castra tum habuit ad Oram fluuium, in loco *Wolmerstede*, in orientali Saxonia. Incessit cupido principi Wedekindo lustrare regis castra: quod

etsi

etsi palam iam recõciliato liceret, libuit tamen ignoto habitu liberius omnia scrutari. Vicina erat Paschalis solennitas, & rex cum vniuerso milite pro Christiana pietate se tum sacris imminentibus apparabat, commemoratione Dominicæ passionis, & expiatione criminum in purgatione conscientiæ. Wedekindus mendici habitu per fluuium in nauicula allabitur: & quo minus noscceretur, mendicus cum mendicis ad stipem sedebat. Ingens quippe pauperum regionis multitudo quotidie assectabatur. Rex illis largam stipem iussit erogari. Wedekindus, vbi ad eum peruentum est, dexteram & ipse protendit. Attendit, qui distribuit, incuruum in manu digitum, qualem sciebat habere Wedekiudum. Vultum eius diligentius intuetur: agnoscit arridens, qui largiebatur: quid ita mendicus inter mendicos sederet princeps ditissimus, percontatur. Ille nihil ad hæc, sed ad regem se iubet introduci. Erat tum sanctissimus Paschæ dies. Rex hilariter excepit venientem, percontatus quid sibi vellet indignus principe habitus. Ille sub hæc, Volui, serenissime rex, hoc habitu incognitus (vt sperabam) lustrare secreta gestorum: quæ cognitus non tam fideuter adspicerem. Curiositas induxit, vt latibulũ quærerem: qui inter tuos nunc in gratiam susceptus, propalam poteram percontari quæ vellem. Quid igitur, inquit rex, vidisti, quod te vidisse delectat? Ille (vt erat adhuc rerum Christianarũ rudis) subintulit, Vidi, quod mirabar, ante biduum te vultu dimisso tristem, incertus quid contigisset, quod tantũ regem contristaret. Commoratio fuit Dominicæ passionis, quæ die Paraseues regiũ vultum obscurasset. Rursum, inquit, vidi hodierna te die primùm solicitũ, & ad rẽ attentissimũ: postea quã verò mensam adieras templo mediã, ita hilari mihi conspectus es vultu, vt repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quòd de manu purpurati sacerdotis singuli pulchellũ puerũ in os susciperent, quẽ quibusdã ludibundũ arridere, vltro properare: aliis verò abhorrentem, auertisse vultum, & tamen in ora demissum, nec redeuntem adspexi. Hoc quid sit, necdum accipio. Tum rex, Bene, inquit, profecisti: plus tibi aliquid, quàm cunctis sacerdotibus & omnibus nobis ostensum est. Inde mutata veste, manu secũ abstractum, docuit grande pietatis mysteriũ in altaris sacramento. Quia re cognita, exhilaratum ducem orasse, vt propriũ illi sacerdotem permitteret, qui diuinæ rei curã haberet, crebriusq; in cõspectu perageret altaris sacratũ ministerium. Rex etiã pontificem illi daturũ promittit, modò illi habitationem episcopo dignã prouideret. Ducem verò arcem suam ad Wiseram vtriusque capacem ostendisse, deditq; in eiusdem arcis non exiguo circo locum ædificandæ ecclesiæ. Ferunt perinde nomen ecclesiæ prouenisse, quod Meum & Tuum, quasi cõmunis duorũ possessio, sonat in lingua Saxonum vernacula, *Min, din*. Erat vir præcipua religione Herimbertus: qui quum Carolũ latere non posset, dignus est habitus quem primũ præficeret ecclesiæ Mindensi episcopũ. Adiecit illi ministeriales non paucos nec paruos, vt haberet ecclesia defensores suos. Illi verò, quia eximo gradu in nobilitatem excreuerant (vt partim comites, partim duces fierent) spreuisse matrem videntur. Ornata est autem ecclesia iam tum ab initio multis sanctorũ reliquiis, Feliciani, Fulginatis episcopi & martyris, Theodori episcopi, Carpophori & Habundi martyrum. Profecit autem ecclesia tam in spiritalibus quàm temporalibus, sub hoc pontifice: agente nouitio feruore in populo recens conuerso, instãte nihilominus bono pontifice, qui frugem diuini verbi curauit in populo multiplicari. Quantis autem annis præfuerit, Annales non tradunt. Cæterum transitus eius ex hac vita in meliorem, scribitur fuisse ad diem Primi & Feliciani martyrum.

*Wedekindus habitu mendici stipem petens ad Carolũ adducitur.*

*Homini nondum Christiano Christus propriis accidentibus in Eucharistia apparet.*

*Mindensis ecclesiæ etymon.*

HILDESEMENSIS ecclesiæ tale ferunt sub eodem Carolo, necdũ Imperatore, principium. Moram fecit rex in orientali Saxonia, quòd fidem quorundam sentiret vacillare, respicientium in Wandalorum arma auxiliaria. Castra firmauit inter duos riuos, in ea prouincia confluentes. Aulicam aulici locum dixere, quòd crebrius ibi rex gloriosissimus, quum esset in prouincia, resideret. Circunspiciens autem opus esse & his populis proprio sacerdote, quòd longius abesset Salingstedensis (nunc Halberstadensis) episcopus: igitur ecclesiæ suæ ibi exædificatæ, pontificem iussit consecrari, venerabilem sacerdotẽ Guntherũ, qui illã inibi

*Cap. 10.*

*Hildesemensis ecclesia unde ita dicta.*

rexit per reliqua Caroli Magni tempora, vsque ad Ludouicum eius filium & regni & Imperij successorem. Quem ferunt obequitantem in prouincia, & fortè venationi (quæ maxima est Gallorum voluptas) intentum, in loco vastæ solitudinis ad arborem, quum oraret, iussisse deponi sacram diuæ Mariæ, quam vbique circunferebat, imaginem. Coram qua iam oratione finita, quum rex concitò abiisset, capellanusq; sacrorum minister, festinabundus, Imperatorem vt sequeretur, minus meminisset depositæ imaginis, non antea rediit in memoriã quid omisisset, quàm vbi in Aulica iam sacra essent peragenda, primùm apparuit sacram deesse imaginem: nec mora, rediit in locum quo meminisset depositum, vixq; inuentã, amoliri nulla vi potuit. Stupidus rei nouitate hærebat: iterum atque iterum retentans, tantundem profecit. Quid faceret? Vacuus rediit ad dominum, mirantem quid esset. Somnio monitum ferunt Ludouicum, eo loci delegisse sanctissimam Virginem sacrarium sibi instaurari. Non contempsit ille diuorum monitus: sed qua potuit fieri instantia iussit moliri noua ibi templi noui fundamenta, in honorem diuæ Virginis consecrandi. In quem locum mox translata est Aulicensis ecclesia, vt deinde à nouo loco diceretur Hildesemensis. Nominis autem ratione à niue quidam comminiscuntur, vt ibi templum firmaretur, quo solo loco nix visa est terrã

*Fabulas à veris narrationibus differre cuius tandem est?*

operuisse. Sed illam fabulã traductam arbitror ab Romano diuæ Virginis Mariæ, nunc Maioris, quondam Niuis, templo. Vtcunque fuerit de nomine, certum est, Aulicensem ecclesiam nunc esse Hildemensem, opibus, religione, splendore non in postremis cathedralibus Germaniæ ecclesiis. Sed ad Carolum (cuius tempora sunt in manibus) reuertamur. Quo tempore Wandalis rex victoriosus conflictatur (qui Wilsi ferebantur, & Sorabi) bonam illi nauasse operam Phrisij memorantur, duobus stratis pontibus super Albim, vt ad hostes perueniret, vtrinque impositis ad exitus pontium turribus cum firmis præsidiis, quò illi cum agmine toto repedare tutò liceat. Aderat illi ad omnia moriger Wedekindus, nec deerat Ludgerus, vir sanctus, Mimigardeuordensis episcopus: qui accepta ab rege licentia, opportuno loco oppidum *Helmestede* communiuit, quò esset illi ad Wandalos prædi-

*Suum sub ecclesiasticis principibus iugum, graue est alioru dominatus.*

canti (quod cogitabat) tutus receptus. Eum locum subiecit abbati Werdensi, cuius in dominio permansit ad nostra vsque tempora. Quibus diu contumax oppidum parêre abbati dum contemnit, inutilem monasterio locum, longeq; distantem, accepta pecunia ab Henrico de Brunswigk duce, omne illi dominium loci permisit. Pœnituit oppidanos mutasse dominum: sed quando ranæ regem contempsere ignauum, accepere pro illo ciconiã, quæ regit in virga ferrea subiectos.

CAP. II. PADERBVRNENSI oppido ab rege Carolo non in postremis habito, dum in prouincia moraretur, etsi dudum ecclesiam Wirtziburgensi episcopo cõmendatam haberet, pontificem tamen non antè dedit Carolus, quàm omnem prouin-

795. ciam pacatam relinqueret. Erat annus à Christo nato post septingentesimum nonagesimusquintus, cum Harimarum Wirtziburgensis ecclesiæ canonicum, natione Saxonem (quem parentes eius superiori bello dederant regi inter alios obsidem) virum grauem, & qui sub magisterio D. Burchardi Wirtziburgensis episcopi profecerat in omni religione & sanctitate. Ex hoc tum loco profectus cum expeditione militari, prouectus est in vltima Hadeleriæ, quò dinde motus rebellionis à gente renunciaretur. Monstrant insulæ locum, in quo castra fixisse rex diceretur: *Karlesstandt* vocant. Vnde ad iuga domitis habitatoribus, victorem exercitũ reduxit incolumem. Huius autem pontificis anno quarto, descendit ab vrbe Roma Leo pontifex maximus, exactus & extrusus iniuria fœuientium Romanorum. Confugerat vir sanctus ad Carolum Regem Franciæ, tunc in Saxonia demorantem, in Paderbrunna. Rex venientem pontificem excepit pro sua atque illius dignitate, pollicitus vindictam in contumaces. Vastata erat proximè ab rebellibus

*Paderburnensis ecclesia vastata instauratur.*

Saxoniæ Paderburnensis ecclesia, & in cinerem redacta: iam verò sub aduentum pontificis noua de repente renouata est ecclesia: quam rogatus cõsecrare Leo pontifex, dignanter aggreditur. Altare in honorem diui Stephani, de cuius reliquiis (quas à Roma secum veniens attulerat) inclusit, consecrauit, multas indulgentias de largitate primæ sedis loco contulit in diem annuum dedicationis, qui est VIII.

Idus

Idus Decembris. Quumq; pontifex quod suum erat, impendisset, vicissim rogabat regem, vt illustrandæ ecclesiæ conferret de prædiis secularibus in stipem Domino militantium in ea. Dedit re x cum attinentiis arcem Iborch, vetustum Saxonum receptaculum: nunc paulisper de torto vocabulo, *Drisborg* vocant.

VENERAT tum Carolus Magnus cum exercitu in transalbinam regionem, quæ nunc Holsatia est. Oppidum vnum reperit ad ripã eius fluminis Hammaburgum, in quo louis dicitur fanũ destruxisse, & duodecim cum illo deorũ simulacra vtriusq; sexus subuertisse in eodem oppido, quod ab Hammone nomen volunt traxisse. Sed hæc fabula de Romana historia est emendicata. Quis enim Hammonis nomen ex Libya, vbi idem in specie arietis (quem Punica lingua Hammonem dicit) in arena percolitur, huc transtulisset? Quę commercia huius gentis tam barbaræ, ad tam longinquam nationem? Non erant fana viciniora, vnde idola conscisceret? Sed fortè dicis, Wandalos ante aliquot secula in Africam transgressos, potuisse originis suæ memores, in hanc prouinciã sua numina contulisse. Sed hoc friuolum est. Nam eò transgressi Wandali, iam erant, aut statim facti sunt Christiani, fed Arriani: nec est quisquam inde regressus in antiquam patriam. Facessat inanis fabula, quam leuissimi homines, volentes haberi scioli, de nominis vicinitate emendicant. Docuimus alibi in historia huius oppidi, vocabulũ vnde sit dictum, non ab Hammone loue, fed ab Hama pugile, qui in duello victus ab Starcutero fortissimo Danorũ propugnatore, reliquit loco nomen: quod in Dania diximus. Nec remansit optimo regi quod ille purgaret in hoc loco: quum Albion earũ principatum, iamdudum cum Wedekindo principe (quod diximus) sacram religionem subierit. Præfectum quendam ex suis cum præsidio reliquit eo loco, qui in fide & Christi & sua tueretur eam gentem. Sacerdotem quoque eo loco postea constituit, qui populũ in rudimentis fidei instrueret: quem etiã destinauit episcopum relinquere: sed remoratus est per causas, quas suo loco & tempore infra com memorabimus. Hoc tamen tẽpore motus magni erant intra Albim & Visurgum, quòd nonnulli ex primoribus, qui hactenus apud Danos latuissent, regressi, terrã omnem iam Christianam, igni & ferro sunt depopulati. Transalbianos quoq; Caroli limitaneos milites obtruncant, & in vicinos Obotritos iam Carolo fœderatos, ex illo die, quo, facto super Albim gemino ponte, cum exercitu transiuit in eam prouinciam. In eos versi tum rebelles Saxones, duce Trasicone, quatuor millia ceciderunt. Rex autem ad Visurgum castra tenuit. Manet hodie loco nomen, vt *Heerstelle*, hoc est, principum stabula, nuncupetur. Inde missis ducibus, repulit perduelliones. Quod per singulos fere annos regi curandum erat. Nam tametsi Wedekindus cõquiesceret, qui tamen antè illi fuerant dignitate pares, inuidebãt illi principatum, & habebat quisque in omni prouincia dissem inatos amicos conniuentes, si non auxiliantes. Crebræ igitur vastationes: nam rarior erat obsidũ de fide traditio. Quare optimum principem sæpius placauere.

*Hamburgum vnde nomen habuit.*

*Constituit ipse nouibus motus coerbitur.*

IAM Willehadus primus Bremensis episcopus cælo concesserat: & suffectus est illi in pontificatu Willericus, vnus ex discipulis eius, qui ad annum quinquagesimum peruenit gubernationis in ecclesia, per omnia tempora Caroli Magni reliqua, & deinde filij eius Ludouici, qui patri optimo bonus filius successit in regno & Imperio. Non erant tamen tempora huius pontificis vsquequaque tranquilla. Nam & Hadelerij (quod diximus) & Phrisij, & ipsi mediterranei Saxonces, magnis sæpe motibus recruduerunt, vel ob decimarum exactionem, quæ genti dudum liberæ grauis videbatur: vel ob Francorum imposita ab rege præsidia, quæ inuiti viderant: vel propter eos qui cesserant è prouincia, regressos absente rege: vel ob inuidiam in Wedekindum, qui & regi & Christo manus iam dederat: siue quibusdam harum, siue omnibus de causis: res enim in obscuro mansit, per inopiam scribentium illis temporibus. Hoc tamen non silent annales, motus crebros fuisse rebellionum per Saxoniam, etiam post Wedekindum iam baptizatum, in quibus laborasse locorum pontifices non est ambiguum. Obibat ergo bonus pontifex commendatam prouinciam, & verbum Dei disseminabat, in fide confirmans quos accepit commendatos: alios aggregans, qui ad eum diem mali

*Cap. 12.*

*Rebellio in Saxonia emergit*

*Cap. 13.*

*Willerici diligentia in propagando Dei verbo.*

Christiani haberentur. Transiuit quoque per opportunitatem in Transalbinam regionem, Tiethmarsos inuitans ad fidem in oppido Miliendorp, nunc *Meldorp* vocant: originem tamen nominis ex vicino riuo, qui Milte dicitur, esse, perspicuú est. Deinde in Holsatiam transiuit, & in oppidum Hammaburgum: quanquã hoc formidolosius videretur, propter Danorum ac Wandalorum crebras ac feroces incursationes. Quorum Wandali (præsertim Obotriti) etsi fœdere iuncti Francorum regi Carolo essent, tamen non sunt passi audire verbum de noua religione: & tamen pontifex Willericus, quia ab eodem rege commendatã habebat cum Verdensi episcopo regionem Transalbinam (quam crebrius tum & pòst Nordalbingiam dixere, conflato vocabulo ex Saxonica & Latina linguis, quod idem vsuenit & in aliis nationibus) non omisit in illam quoque pro opportunitate penetrare. Dorstadium tum oppidum erat, non eo loco quo nunc Stadium est, sed Albi viciniore: monstrant hodiè veteris oppidi reliquias. Ibi constituto mercatu, Transalbini sæpe constitere. Nec deerat occasioni Willericus, quo minus ministerij sui impleret dignitatẽ, quocunq; loco conuenturam multitudinẽ haberet cõpertum.

CAP. 14. *Leo Romam reducitur.* TERTIVS eius nominis Leo Papa, qui (vt diximus) Romæ malè à ciuibus habitus, à Willigiso Longobardorum duce (quem Carolus, subuerso eius gentis regno, reliquerat in Spoleto) quum de manibus eorum ereptus, in Saxoniam ad Carolum descendisset, & inter eos Christiani nominis principes iam de Romanis esset constitutum: remittitur ille cum securo præsidio in vrbem, quum se rex protinus secuturum polliceretur. Et fecit. Ibi tum conuocato omni clero & populo, pontifex præsente rege, sui facti, quod criminaretur, reddidit rationem. Canonicè se de infamia purgabat, ad plenam omnium qui adstitere, satisfactionem. Tum iubente rege, animaduersum est in principes eius tumultuationis, constituta cuique pœna pro modulo culpæ. Ibi tum rex optimus, quum hoc minimè poscceret (etiam, vbi cognouit, recusabat) acclamatus est ab vniuerso populo Romanorum Imperator. *Carolo*, inquiunt, *Romanorum Imperatori vita & victoria.* Nimirum victorioso principi suam laudem reddebant, & bene merita in Italiam & vrbem Romã, voluere, quoad poterant, remunerare: nihilominùs rationem ducentes publicæ vtilitatis, quòd tum non esset in orbe Christiano princeps, in quo post Deum maior esset spes salutis constituta. Diu in occidua regione obsoletum imperij nomen renouabant, quod ab Augustulo nouissimo in Italia ponente purpuram, ad ingressum Wandalorum sub Odoacre rege per annos 330. cõticuit & vacabat: præsertim nulla iam in orientali Græcorum imperio spe relicta, quod ad pueros & fœminas esset deuolutum. Peregit tum volente populo (cui ius ac fas esse videbatur de Imperatore creando) pontifex sacrum in eo ministerium. Creuit perinde magnũ in modum authoritas & dignitas ecclesiæ Romanæ, quæ iam Imperatores & confirmare, & consecrare cœpit, quod ante hunc diem fecit nunquam. Duo gladij, quos Petrus adesse dixit, Christus satis esse respondit, iam tum primùm in successore Petri Leone tertio apparuerunt. Nam cæteri pontifices alterum in vagina reclusum, ad opportuna tempora tenuerunt: quamuis etiam ante hunc diem temporalem gladium exeruisset ecclesia, in aliquot districtum, quos Gothi, Longobardi, & super omnes idem Carolus, victis Longobardis, ecclesiæ contulerunt. Nam totus exarchatus Rauennas, dono Caroli accessit Romanæ ecclesiæ. Meritò summus pontifex, & Gallorum rex mutuis se attollunt fauoribus, quando ab initio hæc sedes domui Caroli hoc præstitit, vt regiam haberet dignitatem, & vicissim Carolus ecclesiam amplissimo principatu in Italia locupletasset. Accessit his omnibus & Carolo tributa imperij cum nomine dignitas, & ecclesię Romanæ per eam coronationem adaucta magnum in modum maiestas. Olim Imperatores nõ passi viuere pontifices, ad supplicia deuocabant: & Græculi, postquã apud eos extincta stirpe Constantini, & deinde Magni Theodosij, non habuere Romanum pontificem nisi quem ipsi confirmassent: mutatæ sunt rerum vices, vt non habeatur Imperator, nisi quem Romanus pontifex confirmarit, & consecrarit. Domini est terra & plenitudo eius: ipse transfert regna & imperia, dignissimeque ad suum in terris vicarium hoc sacrum ministerium delegauit.

*Carolus Magnus Imperator salutatur.*

*Incipit verũ esse, Ecce duo gladij hic.*

*Ecclesia Imperatoribus, quibus seruiebat, præest.*

PENE-

PENETRAVIT eius rei fama subitò Orientem, cõsternabatq; proceres imperij illius. Sed Irene regina (quæ tum captũ & exoculatũ pro insolentia & nequitia tenebat filium) spem maioris rei conceperat, in vnum reducere caput vtrunq; imperium. In quam rem missa solenni legatione, de pace inter vtrunque imperiũ agere cœpit: princeps eius legationis ex proceribus primis Leo fuit. Quam rem lætus Carolus accepit, protinus quod petebatur concedens: sed legationem fœminæ interpretatus, quòd matronali verecundia postulare nollet, quod in primis cuperet (quum & illa marito, & ipse coniuge vacaret) vicissim ad eam remisit oratores: cuius legationis princeps erat Iesse Ambianensis episcopus, quæ matrimonio illam inuitaret. Hilaris mulier de accepta legatione, promptè videbatur arripere quod erat alioquin, nisi verecundia interuenisset, petitura. Sed proceres ea res consternabat. Nam vbi in consilium res discutienda coniicitur, fremuerunt: indignati, quòd, quia imperiũ Occidentis sine illis abripuisset Carolus vnico Imperatori, mox per occasionem tori etiam Orienti insidiaretur. Protinus reiecta legatione, Nicephorus rapuit imperium, & Irenen in monasterium, quod ipsa construxerat, sub fida custodia relegabat. Remisit tamen idem Nicephorus suos vicissim oratores ad Carolum, pacem pridem constitutam renouantes. Quos Imperator Carolus in Germania ad Salam fluuium sedẽs cum exercitu, excepit in castra: & pro temporum qualitate dato responso, cum epistolis suis remisit in Græciam. Hoc est illud tempus anni quarti ex imperio Caroli Magni, quum tumultuantes Transalbinos Saxones ad decem hominum millia, qui crebrius rebellassent, & Obotritos Wandalos, Francorum fœderatos, malè attriuissent, cum vxoribus & liberis vltra Rhenum in Gallias transportauit. Coniectura est, in Flandriam tum vacantem cultoribus (quòd esset foresta, & venationis solius fructum haberet) hos tum collocatos, quòd in Gallorum prouincia permaneat lingua Germanorum, quæ alioquin illis (vt cæteris) Gallica fuisset. Nam & Brabantia, & quicquid vltra Rhenum est, tum Gallorum limiti deputabatur. Sed acceperunt postea prouincię alios limites, vt Brabantia, Leodium, & omnis Lotharingia, Romano pertineret Imperio: quod suis locis ostendimus in nostra Saxonia.

*Cap. 15.*

*Caroli & trium sororum nuptias orientis proceres perturbãt.*

*Saxones è patria in Belgiũ traducti.*

PADERBVRNENSI deinde ecclesiæ surrogatur Baduradus, ab ecclesia Wirtziburgensi desumptus. Natus & ipse Saxo, inter obsides eò translatus. Iam enim Harimarus quum nouem annis præfuisset, euolauit ad superos. Erat tum in ea ecclesia Meinulfus clericus, quẽ pro nobilitate generis ipse Carolus de sacro fonte leuauit. Matrem habuit Wichtrud, speciosam moribus & vultu fœminã: quã quia marito defuncto frater eius cõtra legem Christianã vxorem improbè petebat, rex illam in singularem susc ipit protectionem, & vim stupri cohibuit. Hic Meinulfus in ea ecclesia archidiaconi fungitur officio, seruiens Deo in omni sanctitate & iustitia. Quumque locuples illi esset patrimonium, conuertit hoc in vsum sacræ religionis, monasterium dominarum sub regula exædificans in villa Bodekem: quod quia diuturna negligentia (quum ibidem religio dilaberetur) in omnem sordem obsoleuerat, auorũ nostrorum memoria regulares canonici, permittente pontifice, commendatũ acceperant, nunc in omnẽ decorem refloruit, mutato sexu, sed reformata dudum collapsa religione. Ad Meinulfum redeamus: cuius ea fuit sanctimonia, vt & in vita, & in morte multis clareret miraculis, & in catalogũ sanctorum sit adscriptus. Festum eius v. Octobris peragitur, quem perinde diem trãslitus eius coniicimus. Traduntur nonnulli ex annalibus, Carolũ ex terra sancta redeuntem cum victore exercitu, apud Imperatorem Orientis habitũ honorificè, & ex illo dona plurima reportasse. Quumq; autũ, argentũ & lapides pretiosi illi vilescerent, sacras reliquias accepisse, clauum crucis Christi, partẽ spineæ coronæ, sudariũ Christi, camisiã virginis, brachiũ sancti Simeonis: quæ rediens Aquisgranũ collocauit. Sed quoniã eius expeditionis in terrã sanctam nulla est mentio apud probatissimos authores, ego techinã illam Gallica leuitate arbitror conflatam: qui secũ reputabant, non posse persuaderi posteris, Carolum fuisse regum omnium à multis seculis maximum, nisi terram sanctam & Dominicum sepulcrum recuperasset. Sed contemnimus narrationem, quæ nullis authoribus adiuuatur. Cæterũ reli-

*Cap. 16.*

*Meinulfus in sanctorum numerũ relatus.*

*Multa in historiis ad authoritatem conciliandam effingũtur.*

quias Aquisgrani dono missas ab Irene regina, aut superioribus eius loci Imperatoribus: nec opus arbitramur, maximum regem fabulis dehonestare.

CAP. 17. PROSPEXIT optimus Imperator rebus Christianis per omnem Saxoniã, & vt poterat, de amplificatione rerũ per Aquilonis regna cogitauit: futurũ operæpre-

*Metropolita in Saxonia constituitur.*

cium, si in continenti prouincia esset Metropolita, qui rebus sacris intenderet per omnes Boreales regiones: cui negocio peridoneum arbitratus est locũ in Hamma burgo. Igitur extructa Dei ecclesia, sacerdotem in ea collocauit Heridagum, qui sacris præesset, & rebus Christianis coaugmentandis intenderet, animo destinans eum futurũ pontificem, imò Metropolitã, qui superintenderet omnibus (vt diximus) Borealibus prouinciis: cui etiam propter infestationem barbaricam, vbi interdũ posset consistere, cellam quandã in Gallia Rodnach donauit, disponẽs eandem Hammaburgensem ecclesiã, cunctis Slauorũ (Wandalorum vult dicere) Danorumq; gentibus Metropolim statuere. In qua re ad perfectũ ducenda, & mors Heridagi presbyteri, & occupatio regni Carolũ Imperatorẽ, ne desiderata cõpleret, impediuit. Verba sunt annalis antiqui, quæ ad fidẽ posui. Sed & bellũ cũ Danis susceptũ, ab ea perfectione Imperatorem retardauit. Dani autẽ, & cæteri qui trans

*Normannorũ nomen latissimè patet.*

Daniam sunt populi (ait annalis noster) omnes Normanni vocantur, quorum rex Godefredus, iam antea Frisiis, itemq; Obotritis, Nordalbingis, & aliis Slauorũ populis tributo subactis, ipsi Carolo iam Imperatori bellũ est comminatus. Accepit autem Imperator Aquisgrani nunciũ, quum contra Godefredum ire cõtenderet, ducentas naues ex Dania Phrisiam appulisse: qui, positis ad Wisera castris, Godefredum expectat. nam se velle congredi cum Imperatore, vanus iactitauerat. Interea diuersi veniunt nuncij, classem Godefredi regressam, & ipsum à suo satellite, vel (vt alij scribũt) a proprio filio (cuius matrem, alia superinducta, repudiauerat) interfectum. Nunciatur quoq; Imperatori, Hammaburgũ, in quo præsidium erat Imperatoris, sub Vtone præfecto, a Wilsis Wandalis captum. Erat tum annus

810. à nato Christo decimus post octingentesimũ. Sed Imperator anno sequenti iussit Hamburgum instaurari, necdum animo dimittens, ibi metropolim omniũ Aquilonarium constituere: quod filius post eum impleuit Ludouicus.

CAP. 18. DICTVM in Christianissimo Imperatore, quo studio, quóve zelo diui-

*Duplex in ecclesia diuinũ officium.*

num in ecclesia ordinati procurauit officium. Eius instantia, per omnes penè prouincias, positum est Ambrosianum officium, & Gregorianum susceptum. Patrum sermones, sanctorum vitas iussit ex fide transcribi. Martyrologium in ecclesiis maioribus & conuentualibus, iussit per singulos dies recitari. Ecclesiam mane & vesperi, vbi non magnæ causæ interuerterant, item nocturnis horis & sacrificij tempore, quoad valetudo eum permiserat, impigrè frequentabat: curabatq; magnopere, vt omnia quæ in ea gerebantur, cum maxima fierent honestate: ædituos creberrimè commonens, ne quid indecens aut sordidum, vel inferri vel in ea permanere sinerent. Sacrorum vasorũ ex auro & argento, vestimentorumq; sacerdotaliũ

*Carolus diuinum cultum strenuè promouet.*

tantam in ea copiam comparauit, vt in sacrificiis celebrandis, ne ianitoribus quidem (qui vltimi ordinis sunt) priuato habitu ministrare liceret. Legendi atq; psallendi disciplinã diligentissimè emendauit: erat enim vtriusque admodum eruditus, quanquam ipse nec publicè legeret, nec nisi submisse & in commune cantaret. Digito aut baculo porrecto, vel ex latere suo ad procul sedentes directo, demonstrauit quemadmodum legere voluisset. Finem verò lectionis sono gutturis designauit, ad quem vniuersi intenti, ita suspensi steterunt, vt, siue finita sententia, siue in media distinctione significaret, ibi finis esset. Extremo verò tẽpore, quum

*Filium Ludouicum Imperij consortem asciscit.*

iam morbo & senectute premeretur, euocatum ad se Ludouicum filium suum Aquitaniæ regem, qui solus filiorum Hildegardæ superesset: congregatis solenniter de toto regno maioribus, cuncto approbante concilio, consortem sibi regni, & Imperialis nominis hæredem constituit. Licuit hoc pro magnitudine rerum gestarũ Magno Carolo, quod cæteris licuisse nõ poterat. Impositoq; capiti eius diademate, Imperatorem & Augustum iussit consalutari. Susceptum est hoc eius consilium ab omnibus qui aderãt, cũ magno fauore: nam diuinitus ei, propter regni vtilitatẽ, videbatur inspiratũ, auxitq; maiestatem eius hoc factum, & exteris nationibus nõ

mini-

minimũ terroris incussit. Dimisso deinde in Aquitaniã filio, ipse more solito (quãuis senectute confectus) nõ longe à regia Aquensi venatũ proficiscitur: exactoq; in eiusmodi negocio quod erat autumni reliquũ, circa calẽdas Nouembris Aquisgranũ reuertitur. Quumq; ibi hyemaret, mense Ianuario febre valida correptus decubuit. Statim (vt in febribus solebat) cibi abstinentiã sibi indixit, arbitrans hac continentia morbũ posse depelli, vel certè mitigari. Sed accedente ad febrim lateris dolore, quẽ Græci pleuresin dicũt, illoq; adhuc inediã retinente, neque corpus aliter quàm rarissimo potu sustentante, septimo postquã decubuit die, sacra communione percepta, decessit, anno ætatis suæ LXXII. & ex quo regnare cœpit, XLVI. indictione septima, v. Calendas Februarias, hora diei tertia. Cuius corpus more solenni lotũ & curatũ, maximo populi & cleri luctu de cõmuni parente, est ecclesiæ illatũ, atq; humatũ tali Epigrammate: CAROLI MAGNI CHRISTIANISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS CORPVS SVB HOC SEPVLCHRO CONDITVM IACET. Tribus annis antequã è vita migraret, testamentum condidit: duas partes relictæ à se pecuniæ iussit dari episcopis, præsertim Metropolitanis, pro reficiendis ecclesiis, & pauperibus adiuuandis: tertiam filiis ac filiabus, cuiusque ratione habita, cum seruis & ancillis, reliquit. Erant inter cæteros thesauros tres argenteæ mensæ, & vna aurea præcipuæ magnitudinis. Quarum vnã, quæ Constantinopolitanæ vrbis similitudinem referebat, Basilicæ B. Petri Romæ: aliam, in qua forma vrbis Romæ visebatur, ecclesiæ Rauennati dono dedit: tertiam, quæ totius orbis descriptionem continebat, cum aurea, filiis suis reliquit. Hoc religiosi principis datur memoriæ, vt, quoniam Christianismi ad nos erat propagator, exitum eius, & ad meliora transitum, inter res ecclesiasticas commemoremus.

*Febre correptus moritur.*

*Aureæ argenteæ supellex.*

PIVS Ludouicus, vt hæres regni & successor erat imperij, ita in cura propagandi Christianismi solicitus erat patris optimi imitator. Ergo susceptа cura regni, primam sacræ religionis curam suscepit: Translato ex Francia monachorũ bono collegio, de Corbeia ad ripam Sommæ fluminis sumpto, ad ripam Visurgi (aliàs Wiseræ) in Saxonia, nouam Corbeiam exędificauit, illic boni profectus optima iaciens fundamenta. Erat in hac translatione diuus Ansgarius, primo tunc pollens adolescentiæ flore: feruebat diuinus amor in fratrũ cordibus, vt magnoperè percuperẽt & sudorem & sanguinem, prædicãdo in gentibus Aquilonaribus (quæ totæ adhuc seruierãt paganismo) Dei cuãgelio impendere. Ea res, procurante Deo (qui dirigit corda regum) ita prouenit. Contenderãt ea tempestate (vt sæpè aliàs) in Dania, de regni diademate, plures: inter quos Haraldus contractis armis pro regno dimicabat. Victus autem, ad Imperatorem contendit Ludouicum. Compertũ enim habebat, annis proximis fœdus esse ictum inter Imperatorem, & suæ gentis tum regem Henningum, incertum an patrem, an patruum eius. Cuius fœderis cõtemplatione, Haraldus tum auxiliaria arma ab Imperatore efflagitabat: nec cunctatus Imperator, spem illi fecerat auxilij, si lauacrũ regenerationis subiret, cum fide Christi religionem amplexatus. Accepit conditionem Haraldus: & cum vxore, & quos secum habebat proceribus, Moguntiæ est baptizatus, primusque regum Aquilonis Christi fide est imbutus. Et quum iam redire in patriam auxilio fretus Cæsareo disponeret, efflagitabat vt prædicatoribus vnà millis, populus quoque ad Christi religionem imbueretur. Circunspexit Imperator quem tanto parem operi mitteret, lucrandis Christo animabus. Iam tum mulris compertum erat beati patris Ansgarij, Corbeiæ monachi, & inter alios viri doctissimi, feruens pro Christo desideriũ: sed interpellare eum de super nemo præsumpsit. Terrificum enim videbatur, tantæ barbariei sese cõmittere, & gentem de crudelitate famosam noua prędicatione adoriri. Ita cunctis mussitantibus, Ansgarius, quum se Domino precibus commendasset, obuium se ferebat quærentibus prædicatorem. Ecce, inquit, ego, mittite me. Addebat se sancto patri sociũ Gaudbertus, peregrinari pro Christo & ipse percupiens. Profecti sunt igitur cum Haraldo rege, & manu militari, quam illi Imperator adiunxit: sed armis se minimè immiscuere sacerdotes. Dum autem Haraldus in Iutiam peruenisset, & cum suis tractaret de gerendi belli ratione, Ansgarius cum consorte ad intima regni penetrauit, verbum vitæ annuncians. Prospe-

*Cap. 19.*

*Monachi è Picardia in Germaniam.*

*Dania Rex Moguntiæ baptizatus.*

*Ansgarij prædicandi apud Danos Euangelij susceptus.*

ratum est opus in manibus eorum, multiplicante Christo semina bonarum frugum, quum plurima plebs Domino per illos credidisset. Quid de Heraldo ageretur, quòd ille iterum armis extruderetur, ad illos non pertinebat. Inde post aliquot menses reuersi Apostolici nuncij, narrauere fratribus ad cuncta gaudentibus, quantam in nationibus Dominus gratiam ostendisset. Nec longum tempus in medio, in idem opus pietatis, sancti euangelistæ iterum præparantur. Cum iam plures accurrerent, qui se similis pietatis officio pariter deuincirent, penetrarunt vsque in Suediam, & in oppido Birca præfectum ipsum Christo conciliabant, multamque sub eo plebem & in fide erudiebant, & sacro fonte perfuderant. Haraldus interim expertam semel prælio fortunam, iam ab Imperatore roboratus retentabat: sed idem erat exitus qui prius. Fugatus enim, & acie victus, abscessit in Phrisiam, vbi ab Imperatore commanendi locum promeruit. Nec tamen ea res terruit diuini verbi prædicatores, quo minus in populo fructificarent. Peruicerunt enim & orando & prædicando, vt multus vbique populus Christo subderetur. Post biennium noui Corbeiam apostoli repetunt, duorum regnorum auctí fide. Vtinamque tam feliciter perduraſſet, quam salutifera fuere primordia. Non est passus abesse serpens antiquus, tam salubribus institutis, quo minus se illis opponens, tantas excitauit in regno procellas, vt publica prædicatio locum non haberet. Cæterùm plebs in fide erudita, quantùm potuit, filiis acceptam à Christi prædicatoribus religionem contradidit, & in occulto salutem, largiente Domino, ad multos propagauit.

*In Dania & Suedia feliciter verbum Dei disseminatur.*

*Perfectio apud Danos couritur.*

CAP. 20. ANSGARIVS iam magnus apud Imperatorem, magnus in omni populo, quem gratia prædicationis in gentibus fecit cunctis venerabilem. Igitur Ludouicus Imperator, iam patris cœpta in consummationem perducere annisus, quum sciret beati patris Ansgarij præclara merita, quòd iam Aquilonis regna diuini verbi illustrasset prædicatione, assumptum de Corbeiensi cœnobio, magno principũ & episcoporum habito conuentu, per manus episcoporum fecit archiepiscopum Hammaburgensem consecrari, subiiciens eius ditioni omnia Aquilonis regna, & quicquid vltra Albeam in Boream est situm populorum, Wandalos, Danos, Sueones, Noricos, & quicquid gentium est ex illo latere mundi, vsque in regionem nouissimam mortalibus habitatã. Hæc est illa prima Hamburgensis metropolis, per imperiale decretũ constitutio, de consilio archiepiscoporum & principum, quos

*Hamburgensis metropolis.*

833. Wormatiam Imperator contraxit, anno post natum Christum, DCCCXXXIII. quum inibi sanctus pater ab archiepiscopis Moguntino & Treuerensi, per manũ Dragonis episcopi Metensis, consecraretur. Cui, quòd germanus esset Imperatoris, in ea parte detulerunt, consentientibus Willerico Bremensi, & Helingando Verdensi episcopis, quibus antea fuit ea prouincia commendata. Eam rem quum Imperator per solennes oratores pontifici Gregorio quarto intimasset, ille promptus pallij datione, & apostolica confirmatione, omnia roborauit: constituens sua vice legatum in omnia regna Aquilonis, vsque ad vltimum terræ. Exinde sanctus pater creditum sibi in gentes legationis officium strenuè obiuit: Danos, Sueones, cæterosque diuini verbi commemoratione in fide solidauit, aliosque conuertit. Si quando autem persecutionis sæuiente procella ab eo retarderetur officio, fratres in monasterio Flādriæ *Turhold* (quod illi refugij gratia permisit Imperator, Gallicum locũ homini Gallico) visitabat, nimirum longinquum refugium: quatuor enim millibus passuum ab oppido Brugis distat in occiduum. Commeabat eò nõnunquam Ansgarius, & fratres spiritali cõsolatione de dono Dei implebat, & temporale nihilominus subsidium (quod scire datur) inde reportabat. Nam omnis res noua tenui orsa principio, non potuit suppeditare sanctissimo viro, quo ille ad peregrinandum plurimo indigebat. Quo in loco discipulum reperit Rembertum: quem inde assumptum, individuum reliquæ vitæ comitem habuit, & in pontificali ministerio successorem: & nihilominus in virtutibus sectatorem, pariter & in regno Dei consortem, sc prædixit habiturum.

*Ansgari diligentia & fides.*

CAP. 21. VERDENSIS interim ecclesiæ pontifices, quàm breui fato in suo ministerio sint functi, admonet nos Helingandus, qui consecrationi aderat D. Ansgarij,

quum

quum & cõsensum præstitisset eius ordinatiõni: quòd eius prouinciæ aliquid perinde decedere videbatur: nam cum Bremensi (quod diximus) Transalbinam ille regionem a Carolo habuit commendatam. Is erat ordine pontificũ in ea ecclesia decimus. Ergo qui præcesserunt, breui omnino tempore in ministerio durauere, ab annis quinquagintatribus aut circa, quo primùm Carolus Magnus in Saxonia cœpit erigere pontificales ecclesias: inter quarum primas ista Verdensis dinoscitur extitisse. Et erat nunc annus tricesimustertius post octingentos, cùm Ludouicus Imperator eam de Hammaburgensis ecclesiæ institutione fecisset ordinationem, cui decimus Verdensis interesset episcopus Helingandus, quum circa annũ Christi 808. inchoaret Carolus Saxoniã sacris pontificum ecclesiis exornare. Sed eam rerum confusionem nobis parturit annalium simplicitas, vt vix nomina in eis pontificum inuenias annotata. Cæterùm quantũ temporis præfuerint, quæ sanctitatis monimenta dederint, quæ rerum fundamenta iecerint futurarum, omnino nihil reperies. Erat autem primo Suiberto Verdensi episcopo proximus successor Patto, natione Scotus, abbas pridem Amarbaricensis in tua prouincia, pro Christo peregrinatus, quum audisset Saxoniam, iam diu contumacem Christo & eius Euangelio, nunc armis coactã a Carolo, vt auscultaret veræ religioni, catholicæq; veritati. Quumque verteretur in prouincia, & verbum Dei strenuè gentibus prædicaret: delectatus eius zelo Magnus Carolus, ecclesiæ Verdensi præficiendum iussit pontificem. De rebus autem ab illo gestis, nihil nobis traditum est ab eius memoriæ scriptoribus. Quocirca diuinare non possumus: nisi quod pro certo & indubitato accipimus, virũ fuisse sanctitate præcipuum, qui zelo Dei, transito mari, se in aperta vitæ pericula proiecerit, quæ terra mariq; ei fuerant subeunda.

*Annales magna incuria perscripti.*

TANCO tertius eius ecclesiæ pontifex, quum prædecessor eius tertio Calendas Aprilis ad superos concessisset (hoc enim solũ ex omnibus inuenimus annotatũ) successit in ecclesia ministerio pontificali: Scotus & ipse natione, & ciuisdẽ in prouincia monasterij abbas Amarbaricensis, vtroq; loco Pattoni succedens. Qui & ipse pro diuina religione peregrinatus, inuenit se dignũ locu, in quo Christo militaret, exoptãs in feroci gente coronã capere martyrij: quòd non multis antè annis in Phrisia D. Bonifacio Moguntinensi archiepiscopo, natione Anglico, audierat eam gloriã prouenisse. Poterat & iste per similem occasionẽ ad brauiũ supernæ vocationis peruenisse: sed inuida fors (ne dicã socordia scriptorum) nobis subduxit, quo sit exitu in superos translatus. Quanto tẽpore suę præfuerit ecclesiæ, martyrio sanguinis, quòd temporibus eius grauissimi in Saxonia rebellionis motus extitissent, an spiritus solo cruciatu (quòd cerneret, Dei gloriã, non ita vt cuperet procedere, finierit) habemus incompertum. Nortila quartus hunc excepit successione: cuius vita & acta soli Deo sunt cognita. Hoc solum in annalibus commemoratur. Nam cuius fuerit nationis, quantum præfuerit ecclesiæ, quid rerũ gesserit, quomodò finierit, omnino nihil scribitur: sed quũ prædecessor eius Tanco, XVII. Calend. Martij hinc ad meliora regna concessisset, iste in episcopũ sit sublimatus. Recruduit frequenter, absente rege Carolo, Saxonum sæuitia, vt igne & gladio sæuirent nõ tam in suos prouinciales (quos tantopere odisse nõ poterãt, quòd inuiti viderẽtur Francorũ iugũ subiisse) quam in exteros diuini verbi prædicatores, quos illi malorũ appellabant incentores: adhuc non videntes quid bonorũ eis inferret sactum Christi Euangeliũ, vt veris hostibus abactis, in libertatem spiritus respirarent, quũ inuisibiles potestates cederent, & nihilominus maiori rerum temporalium ciuilitate vterentur, & mitterentur ex hac luce in nunquam finiendam beatitudinem. Hæc (vt dixi) necdum in animum desecnderant perfidorum, solùm hoc refugientium, ne Francorũ iugo temporali premerentur: quod ipsum cauit eleganter piissimus rex Carolus, vt suo loco de literis Bremensis priuilegij docuimus.

*Cap. 22.*

*Crebra apud Saxones sacerdotũ vexationes.*

MINDENSI ecclesiæ post primum Herimbertum præficitur insignis vir Hãduardus, sanctitate & religione præcipuus. Nam ea tum in pontificibus sola quærebantur. Nec erat illa tempestate pontificatus, vt magnis contentionibus ambiretur: refugiebant potius onus, non vno tamen omnes animo. Sancti pro humilitate se retraxerunt, fugientes primatum in ecclesia: alij pro periculo, quod subesse

*Cap. 23.*

*Episcopalem laborem defugiendi varia causæ.*

cerni:ebant,euitauere:nonnulli laborem fugitarunt, & vitæ periculum à perfidis, in quorum adhuc medio viuebant. Haduardus sarcinam impositam non detrectauit,laborans vt fortis agricola in dominica vinea. Cæterum quæ ad speciem peregerit, scripta non sunt. Vnum pro certo est,illum lucrandis animabus,& Christo retinendis,omnem operã vsq; ad mortem impendisse. Iam enim pius Ludouicus, Caroli Magni filius,rebus imperij & regnorũ solus præerat, ad inuidiã vsque propriorum filiorum:quod in Saxonia nostra scripsimus. Saxones autem quieuerẽt sub leui iugo Christi, præsertim quia eis magis pontifices ad rem diuinã, quàm mundi potestates ad tributa imminebant: quorum vel nomen horrebant assueta libertati pectora. Ad pontificem redeo: cuius quia peculiaria gesta non tenemus, de communibus tunc currentium temporum colligenda narratio rebus. Quanto tempore rebus præfuerit,quæ opera sit molitus, quia annales non præferunt, nos diuinationibus inuestigare frustra contendimus. Hoc solùm relictum est memoriæ,quia transierit ad Dominum ipso die virginis Euphemiæ, hoc est Idibus Aprilis. Vbi verò sancta ossa tumulum acceperint, ad expectandam nouissimam tubã, nulla penitus mentio est:magna nimirum posteritatis iactura, magna patrum dissimulatione,qui res tantas in literas non misêre.

*Qui Saxonia dominatio sacerdotibus tributa.*

CAP. 24. OSNABVRGENSI verò ecclesiæ, post primũ Wihonem suffectus est Mengardus (alij Meingerũ vocant) vir præsulatu dignus, pro religione & feruore in illa. Præfuit autẽ in diebus Ludouici Imperatoris,qui Magni Caroli filius erat, cognomento Pius. Vidit hic pontifex in diebus suis insignẽ illã cleri secularis reformationẽ sub Ludouico factã,quum canonicis secularib. adimeretur succrescens pompa in auro & argento,in pellibus variis magni precij:quę res iam tum per Gallias & Germaniã excreuit in abusum plurimũ. Religiosi laici auxerant ecclesiarũ patrimonia,ita vt deliciæ euanescerent per vanitates. Aurũ in frenis equorum,argentũ in vsum etiã famulorum venit. Castigandã putauit pompam optimus Imperator Ludouicus primus,illã suorum temporum licentiam. Et vocato ad hoc cleri concilio,iussit regulã cõscribi canonicis secularibus,cuius etiã Blondus meminit per hæc tempora. Quo etiã tempore,anno sexto imperij eius, fundari cœptum est cœnobiũ Corbeiense ad Visurgum fluuium in Saxonia,in diœcesi Paderburnensi: vnde postea sanctus transfertur Ansgarius in ecclesiam Hamburgensem, cum aliquot successoribus ex eodem loco. Inde Rembertus, Adalwardus, Hoierus, continui in archiepiscopatu illo successores. Erexit autem cœnobium Ludouicus, nomine ipso translato ex Galliis:hodieq; extat Corbeia Franciæ, non longè ab vrbe Ambianensi,ad ripã fluminis Sommæ. Hic verò bonus pontifex, à Caroli temporibus ad Ludouicũ filium præfuit annis XXIX. diemq; suũ obiit in pace Christi.

*Clerus diuitiarum copia laborat.*

CAP. 25. MIMIGARDEVORDENSI ecclesiæ post diuum Ludgerum præficitur Gerfridus nepos eius: qui prædecessoris sui vitam & mores imitatus, dignum se tanto viro præstitit successorem. Nam & operibus virtutum, & miraculorum gratia non caruit, dignè omnium opinione in sanctorum numerum referendus. Præstitêre hoc Romani falsò suis imperatoribus, vt in numerum diuorum referrent. Sic deificatus Romulus, sic etiam Iulius Cæsar: ipse verò Augustus iam viuus diuinos meruit honores à populo. Sed hæc mendosa & friuola erant adulantis populi beneficia: Deus solus potest hoc præstare donum. Ille suscipit in syderea regna benemerentes: quos tamen solus ipse, tales vt essent, præstitit. Testificatur autem eam sanctitatem suorum, ostensis miraculis: quæ Gerfrido viro sanctissimo non defuerunt. Ea autem fuit illa tempestate sufficiens apud omnes testificatio, ad peragendum celebriter sanctorum transitus diem: quo in superũ cœtum, prodentibus miraculis,assumpti viderentur. Sed compescuit eam licentiam (dum in abusum iret) Romana sedes,iustissima ratione, vt nemo in reliquum talis habeatur,nisi quem illa authoritas comprobauit. Superstitio enim sese permiscens veræ religioni,multa facit videri, qualia non sunt. Alia de hoc pontifice nulla legimus, quanto præfuerit tempore, quibus fulserit operibus. Successor illi datus est Alfridus, vir magnæ deuotionis & sanctitatis: vnde & ecclesiæ suæ, & populo sibi cõmendato,in diebus suis vtiliter & fructuosè præfuit. Prospexit autem optimus Impera-

*In diuorum numerũ referendi mos non à patribus Hebræis.*

*Superstitio in falsa miracula.*

Imperator illis in primis Saxoniæ partibus, Rheno non longinquis, vt haberent ex Franciæ proceribus, qui eo loco collocati, perſeueranter populum in fide contine rent. Quæ res & pontificibus commodo venit, vt ſine periculo præſſent populo: quem alioquin dura ceruice indomabilem, procerum intẽta cura ſub iugo ferreo contineret. Ex his reliquiæ quædam ad noſtra uſq; tempora durauerunt: comes de *Pyrmon*, qui nomine ſuo teſtatus eſt nationem Gallicam, de lingua illa mutuato. Quod ne obſcurũ eſſet, naturalem filium ſuum nouiſſimus comes Mauricius iuſſit igneum montem (hoc eſt in lingua Saxonica *Furberch*) nuncupari. Quòd ergo in reliqua Saxonia crebrius, etiam poſt conuerſum Wedekindum, tumultuatum legimus, ea pars, quincię, Rheno contermina, caruiſſe procerũ beneficio credita eſt. *Ferreum iugũ Chriſti ingo confirmando additur.*

HALBERSTADENSIS eccleſia poſt Hildegrinum ſuum, quo diu feliciter fruita eſt, meruit ſub Ludouico Imperatore non minorem habere in ſanctitate & iuſtitia pontificem, Tiagrinum, abbatem pridem fratrum ſuorum, in certum an de Corbeia: res enim in obſcuro manſit. Sed quòd præcipua erat virtute, non ſiletur: & ratio temporum depoſcebat, vt nouis rebus, dum adhuc multi in circuitu eſſent ad fidem euocandi, idonei pontifices quærerentur. Ergo quum regum prouidentia & Imperatorum ſolicitudine pontifices deligerentur, priuſquam inſueſcerent ſanguinis ſui primam habere rationem, optimi quiq; & meritis probatiſſimi pontifices deligebantur. Sed peruenit ea res cum cæteris in abuſum, vt magno vix labore de manu ſecularium principum ea prouiſio extorqueretur, & capitulis atq; eccleſiis libera perſonarum electio proueniret. Sed neq; ea res ſatis ſyncera perduratuit, vt optimus quiſq; ac meritiſſimus, de moribus ac vita comprobaretur ad id miniſterium. Sed effecit improborum in eccleſias & earum prædia fœuiens audacia, vt eſſent pontifices, qui inſolentiam ſeculari potentia comprimerent, & ſanguinis nobilitate authoritatem coaugerent. Nam viluit apud nobilitatem gladius eccleſiæ, facileq; vocatur in contemptum, ſi non accedat illi ſecularis potentia. Et quis vetat in ſanguinis nobilitate etiam lucere maiorum ſuorum virtutes, quib. illi nobilitatem veram ſibi ac poſteris pepererunt? Vidimus nimirum vtrunque ſibi pulchrè reſpondere: & eſt maior indicta nobilitati veræ virtutis imitandæ neceſſitas, ne bonis parentibus degeneres filii habeantur: alioquin excluſa, fœuiſſima eſt iniuſtitia (vt habet vetus prouerbium) habens arma. Sed nos Tiagrini, per inopiam annalium, nõ habemus, quæ in poſteritatem mittamus, præclara facinora. Equidem Ludouicus Imperator anno imperii ſui quarto Aquiſgrani in cœtum conuocauerat omnes archiepiſcopos & epiſcopos per Gallias & Germaniam, procerumq; regni non modicam manum: & ordinationẽ fieri iuſſit de vita & honeſtate clericorũ in veſtibus, moribꝰ, diſciplinis. Interdici iubebat iam tum inſoleſcentẽ abuſum, in pellibus peregrinis & ſerico. Eam rem ad bonum modum iuſſit caſtigari: non dico ipſe caſtigauit, non ignarus poteſtatis non ſuæ in clerum. Quanquam tempora paterentur, vt Imperatores, qui ſedem Apoſtolicam prouinciis datis honeſtaſſent, & cæteros pontifices locupletaſſent, abuſum talium rerum ad inanem pompam ſi caſtigaſſent. Vtinam Ludouice nũc viueres, ait Platina, & noſtrorum temporũ pompam cerneres. Sed tum multa ſalubriter ſunt conſtituta. Eius autem concilii capitula de regularibus atq; ſecularib. canonicis, de monachis & pontificibus, & omni ordine cleri, ſeruari feruntur apud eccleſiam Paderburnenſem, ſeruati (inquam) in libro, neſcio ſi etiam in morib. & vita. Liber aũt ille, etiã hodie Regula nũcupatur. *Pontifices initio à principibus dabantur. Gladius vertbi ſolus non ſatis præſtat. Quid quæſo ſanctius, quàm hæc ſtatuta non ſunt?* CAP. 26.

HILDESEMENSIS eccleſiæ ſecundus erat põtifex Frembertus, qui ad meliora tranſlato Gunthero, illi ſurrogatur ſacrorum miniſter. Sed non eius diuturnũ erat miniſterium. Quantum verò temporis præfuerit, quid rerum egerit, prorſus nihil in annalibus accipimus, niſi quòd nõ longo tempore præfuerit. Fuere autem vt accepimus) ſatis illa tempora trãquilla: iam omnis Saxonia edomita, & leni Chriſti iugo ſubacta, cœpit manſuefcere. Sed & vicinæ prouinciæ mutuis armis in ſe verſæ, pacem præbuere vicinis. Nam in Dania Henningo Danorum rege mortuo, Siegefridus & Amilo nepotes Godfridi, quũ inter ſe de primatu regni conuenire non poſſent, prælio rem dirimendam putauerunt. In qua congreſſione vndecim millibus hominum interemptis, reges ambo ceciderunt. Pars Amilonis cruenta victo- *Dania bello ab æmulis ſuſcitato inquietatur.* CAP. 27.

ria potita, Reginfredum & Haraldum in regnum collocauerunt. Moxq; Reginfredus ab Haraldo pulsus, piraticam classem, de more veterum regum (quod in Dania ostendimus) exercuit. Imperator autem ab Haraldo imploratus, illi suppetias tulit: quod antè significauimus in erectione Hamburgēsis ecclesiæ, per anticipationem rerum hoc tempore gestarum. Ebo tum Rhemensis archiepiscopus, quum de salute gentium religionis studio ferueret, legationē cum Ansgario suscepit à Paschali summo pontifice. Sed eam solus Ansgarius, diuina opitulante gratia, deuotus impleuit, quum Ebo rebus seculi implicitus, in Francia districtus teneretur. Surrexit ea tempestate in Imperatorem Ludouicum grauissima in regno conspiratio, cui & filius eius Lotharius (quem regno Italię decorauit) inerat: postea quam Bernardus, Pipini fratris filius, in eundem Ludouicum coniurationem iniens: de qua conuictus in concilio, cæsus est gladio. Nam morte primæ coniugis toro viduus Ludouicus Imperator, alteram superinduxit, Iudith filiam comitis de Rauensberge. Cuius amore quum nimio teneri videretur, improbis hominibus nata est fabula nescio quæ aduersus Imperatorem, quæ vsque adeo inualuit, vt Lotharius filius, cum regni proceribus, tam spiritalibus quàm secularibus, captum patrem haberi iusserit in libera custodia in monasterio. Erant in regno plurimi, quibus doleret tanta Imperatoris iniuria: armaq; pro eo commouissent, nisi ille vetuisset, sciens breui filium, quum resipisceret, ad sanam mentem rediturum. Quod & factum est, quum Lotharius à patre veniam postulans, circumuentum se diceret alieno consilio, patremq; laxatum restituit ad imperium: ipse reuersus in Italiam, regnum Longobardiæ (quod auus eius Carolus genti ademisset) gubernauit. Ludouicus Imperator pontifices, ciuis technæ authores, merita mercede donabat. Theodulphus in his erat episcopus, vir sanè doctus, quem carceri inclusit Imperator. Obseruās iste tempora, quum in die Palmarum rex Christiano more diuino interesset officio, hymnum, quem in carcere dictarat, de fenestra, vt poterat, plena voce concinebat, *Gloria, laus & honor tibi sit, rex Christe redemptor*. Motus Imperator, iussit cōscriptum carmen, quum voce pontificis decantatum audisset, sibi præsentari. Placuit vehementer, ita vt eius dulcedine permollitus Imperator, veniam daret incluso: iussitq; relaxari, & redire in ecclesiam.

*Conspirant in patrem Imperatorem filii.*

*Hymnus in sacra Palmaru pompa cani solitus.*

CAP. 28. PADERBVRNENSI ecclesiæ præerat Baduradus, secundus eius pontifex, quando translatus est sanctus Liborius de Cenomanica ecclesia sua Paderburnam. Ibi enim dum viueret, ecclesiam in Frācia mirificè gubernarat. Misit eò episcopus Baduradus (qui mira deuotione in sanctum Dei Liborium ferueret) Folodigium aduocatum, Meinulphum archidiaconum, Adelbertum presbyterum, Aldricum diaconum, & Drudwinum subdiaconum: qui precib. & nescio quibus meritis peterent sanctas reliquias, ab Aldrico, eius loci tum antistite: cuius mentio est in constitutionibus patrum. Ille siue quòd meritis esset præuentus à Badurado, quòd petenti negare non posset, siue quòd minoris faceret rem in prouincia (non magnopere sanè ad verbum euangelicum veritatis, Non est propheta sine honore, nisi in patria sua) protinus indulsit quod petebatur. Ferunt sanctum Meinulphū tum Cenomanis in ecclesia D. Vincentii, vt prosperare dignaretur Deus legationem eorum, votum emisisse, vt in loco Budekem in suo patrimonio dominarum erigeret monasterium: quod (vt antè diximus) deuotus impleuit. Ido Paderburnensis clericus, & Erconredus Cenomanensis ecclesiæ archidiaconus, scribunt de miraculis, quæ per sanctum Liborium in eo loco & in translatione, & postea in loco quietis suæ dignatus est Dominus operari. Celebris est memoria eius vsque hodie in ea ecclesia Paderburnensi: quod crebra in populū beneficia contestantur ac merentur.

*Reliqua è Cenomana ecclesia in Germaniam transferuntur.*

CAP. 29. WILLERICVS Willehadi discipulus, & in ecclesia Bremensi successor, in episcopatu continuo perdurabat, quando interim Verdensis ecclesia vsque ad decimum suos pontifices variabat. Nam quintus in ea ecclesia Ceuilo, cuius non alia sunt in fastos acta relata, quàm quòd magni apud Deum meriti præfumeretur, qui præfederit ecclesiæ Verdensi solo nomine, propter malitiam temporis. Hoc verò quomodo & vnde factum sit, nihil inuenitur: nisi quod iam sæpe dixim⁹, Saxonum dura pectora non facilè poterant aut citò permoliri, sæpius recrudescentia, & crebris

*Christus in Saxonū animis ægrè formatur.*

bris motibus exagitata, quando Ludouicus Imperator, rebus grauibus implicitus, huic regioni minus intenderet. Erat autem hæc ecclesia in medio multorum hostium posita, vt crebrior illi tumultuatio quam aliis proueniret. Nam ab oriente Wandali infestauere, necdum Christo credula: a meridie Saxones, necdum satis in fide solidata: ab aquilone Dani, Normanni: qui illa tempestate cœperant infestare Saxoniam, donec ab Ludouico rege Imperatoris filio comprimerentur. Sextus in ea ecclesia episcopus Rortila dictus, è gente Anglorum, aut Scotorum: ita enim sub incerto annalis annotauit, hoc adiiciens, eum aduenisse de longinquo per maria, rudibus populis Saxonum, quasi suis progenitoribus prædicare. Meminerat (quod sæpe diximus, sed vsq; hodie à multis ignoratum permãsit) Saxones Anglos his regionibus profectos, primùm ad facienda stipendia, deinde ad possidendam regionem in Britanniam emigrasse, insulamq; Pictis & Scotis retro pulsis vacuatam, deinde pro sua tenuisse. Quo iure, quáve iniuria, non disputo: sed ea tum fuit crebra gentium ad nouas sedes petendas emigratio. Sic Gothi, sic Wandali, sic Huni vicinis temporibus in Galliis, in Hispaniis, in Africa, in Pannonia aduenientes consederunt: quod latiùs in nostra Saxonia sumus executi. Sic posteà Turci, sic Bulgari, sic Tartari suas (quas tenent) regiones occuparunt. Sic coarguit rerum arbiter Deus, nationum occulta peccata. Ergo Saxones Angli, in insulæ tenentes imperium, suum illi nomen indiderunt, vt Britannia nunc vsq; Anglia ab Anglis Saxonibus diceretur. Venerabile nomen Saxonum permansit vsq; hodie in ea, vt ament Angli se etiam nunc Saxones vocitari. Huius rei memores venerandi patres, ex Anglia, quum audirent antiquam patriam iam aufscultare euangelio Christi, protinus ad prædicandum aduolarunt, in quibus iste Rortila episcopatum nactus est Verdensem, ordine sexto. Ifengerus hunc excepit ordine septimus: de quo præter merum nomen nihil est in fastos relatum, quis fuerit, vnde ortus, quomodo, quãto tempore gubernauerit: solùm hoc scribitur, quia in hoc ordine fuerit Verdensis episcopus. Mirum, quomodo in hoc episcopatu tam breuis mora, tam obscura sint acta. Fuisse tamen virum sanctitate præcipuum, vel inde possumus cõiectare, quòd tum nemo nisi sanctitate conspicuus, ad laborem patientissimus, & ad mortem interritus, assumeretur. Harruch octauus hunc insequitur, vir omnium plenus virtutum, cuius neque tempora, neq; acta signantur: hoc solùm est annotatum, quia obierit Idibus Iulii. Erat & hic natione Scotus, vt & ante eum duo, abbas & ipse Amarbricensis. Venisse illos in prouinciam euocatos ab Imperatoribus, persuaderi vix potest, quando de suo Franciæ regno, & propioribus locis commodius poterant euocari. Sed deuotio singularis & sitis ipsa martyrii traxit viros egregios, vt se mitterẽt in laborem, ad brauium supernę vocationis. Hoc verò annotauit annalis, reliquias huius episcopi & domini Patonis, secundi ex hoc ordine episcopi, relatas esse cum Dalmatica Tanconis ad ecclesiam Verdensem, & in medio monasterio, non in vno loco, sed segregatim positas: ad quarum tumbas virtutes multæ visæ sunt de infirmis. Res, inquit, antiqua est, & quasi abolita: & ideo anni incarnationis Dominicæ non sunt asscripti. Verba posui annalis ad fidem. Quòd dicitur allatas reliquias in ecclesiam, ostendit alibi vixisse, & esse mortuos, quam in ecclesia Verdensi: fortè in Konende, qui primus erat locus institutæ ecclesię episcopalis. Longè enim ea diœcesis procurrit in Orientem, per terram ditionis Lunebũrgensis, vsque in marchiam Brandenburgensem.

*Gentium veteres & hodiernæ migrationes.*

*Quos olim aeternarit esse pontifices.*

EBO pridem archiepiscopus Remensis in Galliis, quum esset cõspirationis in Imperatorem Ludouicum nõ ignarus, repositusq; esset in plenam potestatem administrandi imperii & regni Ludouicus, cq male sibi timeret ab Imperatore, nõ putauit expectandum: sed peruenit ad D. Ansgarium in ecclesiam Hamburgensem, eum quo sibi pridem fuisset delegatum legationis in gentes Danorum ministeriũ. Amplexus est virum primarium Ansgarius, quòd magno culmine deiectum videret: miseratus est peregrinationem eius: & prouenit vt ecclesia Hildesemensis illa tempestate viduata careret episcopo. Patiẽte Imperatore (qui tum in primis ad statuendos episcopos erat implorãdus) in ecclesiam illam est assumptus ordine quartus. Longe illum sibi esse voluit Imperator, & potuit sine inuidia in gente noua lla

*Remensis archiepiscopus male sibi cauit, sed solã veritatẽ.*

magno suo periculo sustineri: simul vt legationi sibi creditę propior esset, transiturus ex constituto ad prædicādum in Borealibus Christi Euangelium. Quod vtrum opere impleuerit cum Ansgario, an sine illo peregrinatus, annales non commemorant: sed episcopum esse factum Hildesemensem, inter omnes constat. In qua sede duodecim ille annos permansit, sustinente ac defendente Ludouico rege, Imperatoris filio, qui à patre regnum Germaniæ susćepit. Magna fuit inter Ansgarium & Ebonem ex antiquo familiaritas, quòd dono Ebonis de ecclesia Bremensi veneranda reliquias sanctorum Sixti & Simnitii episcoporum acceperit, quas in Hamburgum contulit: & pòst inde (quod dicemus) à Danis fugatus, transportauit secum in Ramsolam vltra Albim, locum quidem Verdensis parochiæ, sed qui etiam propter memoriam diui Ansgarii, ibi diu commorantis, Bremensi diœcesi reputatur: ibiq; seruantur in hodiernum.

*Reliquiæ Remis in Germaniam translatæ.*

CAP. 31. ERLVLPHVM in ecclesia Verdensi numerāt nonum ordine episcopū, eumque martyrio ferunt coronatum in Hamburg, cum cæteris episcopis plurimis, ducibus & comitibus. Sed male discernunt tempora, & confundunt narrationem inscitia rerum gestarum. Oppressio episcoporum, ducum & nobilium, non in Hamburg, sed in Ebbeckstorp est peracta, non hoc tempore sub Ludouico Imperatore, sed Ludouicò eius filio, Germaniæ rege, plusquā triginta annis pòst tempora ista. Error inde deprehenditur. Nam Helingandus Verdensis episcopus (qui numeratur decimus) aderat certissimo documento, quando Ansgarius est prçfectus archiepiscopatui Hamburgensi. Et hoc factum memorant annales anno XXIII. post DCCC. hoc est imperii Ludouici octauodecimo, quando Dani necdum in eam audaciam excreuerant, vt ascenderent in Saxoniam. Erat ergo Helingandus tum episcopus, quum Ansgarius consecraretur. In transitu autem Danorum, iam fugatus ab Hamburg Ansgarius, dudum ibi cōsederat. Ergo temporum ratio nos cogit ponere in episcopatum Verdensem Helingandum ante Erlulphum, si Erlulphum interfuisse volumus sacrato cœtui cæsorum martyrum, quorum sunt sacræ reliquiæ in Ebbeckstorp. Helingandus nonus in ordine, Erlulphus decimus erat, in ecclesia Verdensi. De hac autem oppressione Christianorum ab Danis, dicemus infrà ad tempora Remberti, cuius sub episcopatu ea clades contigerat. Transibant Dani, Normanni a Gallis vocati, iam tum sedente Ansgario, & cuastabāt Hamburgū: nec tum vltrà processere in mediterranea, sed maiori vastitate transibant in diebus Remberti: quando vsq; in Ebbeckstorp progressi, ibi obuium agmen Christianorum, duce Brunone & tot episcopis, trucidabant: quod expressius tum dicemus, quum ea tempora contigerimus. Quod autem huic loco proprium est, compertū habemus, Helingandum in ecclesia Verdensi præfuisse ante Erlulphum: quando illum deputant Verdensium annales collegio sanctorum pro Christo ab Danis infidelibus cæsorum.

*Danorū persecutio in Saxonia.*

CAP. 32. BREMENSI ecclesiæ pòst secundum ordine episcopum Willericum, tertius præfuit Leudericus. Hunc, pontificatu susćepto, notāt annales de quodam tumore, sanctitati episcopali alieno. Argumentum faciūt, quia se aliquando custodem, aliquando pastorem Bremēsis gregis gloriaretur. Vide temporum simplicitatem, quòd non paterentur pastoris vocabulum. Quid facerent, si nostrę ætatis ambitiosum ritum cernerent, vbi ex ore episcopi insonare audirent, Nostra gratia, nostra pontificalis dignitas, & reliqua his etiam glorioſiora? Quo tempore sanctus Ansgarius legationem sibi creditam fideliter executus, apud Hamburgum nouellæ plantationi insudauit doctrina verbi & operum sanctitate. Sæpe etiam monasteriū Galliæ, quod dono Cæsaris possedit, Turholdt, visitans, fratribus ibidem Deo militantibus, salutaris regulæ tramitem verbo & exemplo monstrauit: in quorum nobili contubernio iam tunc à puero sanctus refulsit Rembertus. Compertum tamen habemus, Rembertum iam consecratum archiepiscopum, sacram religionis vestem primùm accepisse: vnde probabilior est narratio, Rembertum, inter pueros grauiter in ecclesia se gerentem, ab Ansgario annotatum & exceptū: quem sanctus Ansgarius adoptauit in filiū: quia prophetico spiritu (quo plenus erat) longè antè prædixit, illum suæ virtutis æmulum, & in cathedra pontificali succesſurum, gratiaq; meritorum

*Insolentia verborum episcopos dedecet.*

*Rembertus ab adolescentia futuræ virtutis profert indicia.*

ritorum in cœlesti regno fore consortē. Sanctus verò Ansgarius nunc Danos, nunc Transalbianos visitans Saxones, innumerabilem vtriusq; gentis multitudinem traxit ad fidem: si quando verò persecutione barbarorū impeditus est ab studio prędicandi, apud Turhold se cum discipulis suis continuit. Datus erat ei ab initio in adiutorium prędicationis Ebo, pridem Remensis archiepiscopus, postea episcopus Hildesemensis: qui sue fatigatione itineris, siue corporis infirmitate impedit[9], siue potius occupatione rerum aliarum implicitus, vicarium pro se dedit Ansgarium nepotem suum Gaudbertum: quem ambo consecrantes episcopum, Simonem vocauerunt, eumq; diuinæ gratiæ commendatum miserūt in Sueoniam, quo loco iam pridem ab Ansgario iacta erant fidei fundamēta. Nam superioribus annis in Daniam profectus, cum fratribus Gislemaro & Withmaro doctoribus, gaudens peruenit: vbi relinquens Gillemarum Haraldo, ipse cum Withmaro in Sueoniam transfreauit, vbi benignè à rege Biorn susceptus, verbū Dei publicè prædicare permissi sunt. Multos itaq; per annum integrum lucrati sunt Domino Christo: in quibus Herigarius, oppidi Bircæ præfectus eruditur, quem tradunt etiam miraculis & virtutibus insignem. Ita paratæ erant Simoni viæ ad gentium salutem.

*Suecorum incipit verbum iuste nutritari*

HALBERSTADENSIS ecclesia per eatempora tertium accepit pōtificem Heimonem, religiosum pridem monachum, de cœnobio Herfueldēsi, in districtu Moguntino. Nam eius nominis in Bremensi diœcesi monasterium, diu post hæc tempora est inchoatum. Excessit per hæc tempora rebus humanis pius Ludouicus Imperator, ad quadragesimum à Christo nato post octingentesimum annū, & centesimo octauo: entissimo inter se bello filii eius, Lotharius iam Imperator (qui Italiam & Lotharingiam tenuit cum imperio) & Ludouicus, qui per Germaniam latissimam haberet ditionem, à Pannoniis & Austria nūc dicta (tum dicebatur prouincia Noricorum) per Sueuiam, Bauariam, Franciam, Thuringiam, vsq; Saxoniam: & Pipinus, rex Aquitaniæ: tres illi vtriusq; coniuncti fratres, aduersus Carolum iuniorē (qui tantūm esset illis frater consanguineus) alia matre natum, quem pater reliquit Francorum regem: quod iniquis omnes fratres sunt oculis intuiti. Res ad arma peruenit, ita vt maximo omnium facto prælio, multa millia trucidarentur ab vtraque parte. Victoria, etsi cruenta, Carolo videbatur. Diremit rem missis oratorib. pontifex summus Sergius: sed illi pene intercepti, magno suo periculo superfuere. Ea de re facti Danі audaciores, per mare & per littora euagantes, crudeliter sunt digressati. Frisones tributo subiiciunt: eodemq; tempore per Rhenum vecti, Coloniam obsederunt: per Albiam verò, Hamburgum incenderunt. Verba annalis etsi alibi quoque posita sunt, ad fidem etiam huic sunt addenda loco, vt temporum qualitatem in religione Christi peruideamus. Inclyta, inquit, ciuitas tota aut præda, aut incendio periit: ibi ecclesia, ibi claustrum, ibi bibliotheca, summo per Ansgarium collecta studio, consumpta est. Sanctus autem Ansgarius, cum reliquiis sanctorum martyrum vix nudus euasit. Tunc quoque Gaudbertus Simon episcopus, persecutionis feruore Sueonia depulsus est: & Vitardus capellanus eius, cum aliquot aliis martyrio est coronatus, & exindè Sueonia (nunc Suedia) septennio toto caruit sacerdotali præsentia. Hanc autem commotionem Anundus regno pulsus, in Christianos fecit. Herigarius autem Bircæ præfectus, Christianitatem ibi solus sustinuit: qui etiam tantam fidei gratiam meruit, vt potentia miraculorum & exhortatione doctrinæ, multa paganorum millia saluaret. Sed hæc interim. Quum ergo fratres, filii Ludouici, apud Antisiodorum magna strage pugnassent, vbi magnæ Francorum vires sunt consumptæ, multi ferebant eius mali incentorem Remensem episcopum Ebonem, iam Hildesemensem episcopum: qui & ante filios in patrem ferebatur animasse: & quia nunc fratres domestica seditione concitasse diceretur, conspirationis crimine accusatus, à papa Gregorio depositus memoratur. Sed aliis hoc criminantibus, aliis etiam adstruentibus, multi defenderunt, non esse opus illius. Veritatem, ait annalis noster, in medio relinquemus: præsertim quum à sancto Ansgario ea dilectione, quam ab initio secum habuit, vsque in finem fuerit prosecutus. Interueniente (vt diximus) per oratores papa Sergio, res omnis est diremta, positis limitibus fraternorum regnorum.

CAP. 33.

*Ludouicus Imperatorem filis bello inter se dissidens.*

*Alia ecclesiæ persecutio.*

*Remensis olim archiepiscopus seditionum architector habitus.*

CAP. 34. MIMIGARDEVORDENSI per ea tempora præfuit Lubertus pontifex, vir magnæ deuotionis & humilitatis: sed in hoc solo notatus, quòd Werdenam regalem abbatiam ecclesiæ suæ abalienauit. Passa est per eam tempestatem & Hamburgensis ecclesia archiepiscopalis similem iacturam, quum monasterium in Flandria, Turholdt, huius legationi perpetuò deputatum, iam intra fines Caroli fratrũ partitione conclusum, iam desiit illi ecclesiæ (quæ fuit in parte Ludouici fratris eius) reputari. At Ansgarius archiepiscopus in paupertate sua Deum glorificans, verbum Dei, cuius est functus legatione, tam suis quàm alienis infatigabiliter seminauit. Vnde contigit quòd prædium Ramsola, à quadam venerabili ac diuite illarum partium matrona dono acciperet: nomen eius Ibia, perennandum merito suæ religiosæ largitatis. Qui locus in episcopatu Verdensi positus, ab Hamburg tribus disparatur rastis, hoc est passuum millibus. Ibi sanctus Dei cœnobium cõstituens, reliquias sanctorum Sixti & Simnitii locauit confessorum, quæ vsque in hodiernum eo loco permanent: insuper & alia patrociniа ibi deposuit, quæ ab Hamburgo fugiens secum tulit: vbi & gregem profugum collegit, depulsosq; agentibus socios, in eo portu retinuit. Ab eo ergo loco Hamburgensem ecclesiam visitans, Nordalbingos in fide reformauit, quos antea persecutio turbauit. Tunc quoq;, ne legatio sua in gentes tarditate eius frigesceret, prædicatores misit in Daniam: Hartgarium verò eremitam direxit in Sueoniam. Fertur tum Ansgarius venisse Bremam, atque ab episcopo eius loci Leuderico, qui doctrinæ ac virtutibus eius inuidit, esse depulsum. Mira res, quæ in episcopo magis quàm in alio quouis reprehenditur, quòd nõ fuerit satis hospitalis. Coarguit illa ætas superbiam hominis, quòd aliàs se custodẽ, aliàs pastorem diceret. Sed hæc inhospitalitas & immanitas barbara potius coarguit superbiam, quàm vlla appellatio peregrina. Collaudat Tacitus Germanos veteres, de insigni benevolentia & humanitate in peregrinos: quòd præcipua virtus eorum hospitalitate clarescebat. Hac tamen caruisse Leudericus cernitur: quocirca Gallicæ magis quàm Germanicæ illum deputo nationi.

*Ecclesiæ opes bellis imminui solent.*

*Inuidia & malitia viri ecclesiastici laborant.*

CAP. 35. ANSGARIVS ergo sanctus, Hamburgensis primus archiepiscopus, per gentes omnes boreales Romanæ sedis legatus, quum vndiq; saluti gentium incumberet procurandæ ac propagandæ, vt semen diuini verbi, iactum in terram humani cordis, fructificaret: inuidebat inimicus homo tanto multorum ad salutem profectui: effecitq; (vt diximus) vt Normannorum grauis incursu res omnis turbaretur. Iam enim (quod in Norwagia diximus) ab aliquot seculis consueuere illæ gentes grauissimas in proximos & longinquos facere excursiones. Sed quandiu non tetigere locum cui inerat Ansgarius, ministerium sacrum prædicando ac baptizando sedulus impleuit. Sæpe in Daniam Sueciamq; profectus, circũferebat Christi euangelium terra mariq;, nec terrebatur aut tempestatum periculo, aut atrocissimis minis aduersantium. Hoc enim quærebat, martyrium sitiens, vt qualibet occasione animam poneret in sacro ministerio. Ergo quum iam Ansgarius per annos aliquot pontificalis ministerium dignitatis laboriosè impleßet, Normannorum gens (Danihi fuere) mixtis Normannis & Suedis (nam Galli omnem gentem ab Aquilone nauigantem, indiscreto vocabulo Normannos appellant) iam non primùm turbine magno vicina quatiebat: sed cœpit ea natio Gallis, qui tum rerum potiretur, malo suo ad plenũ innotescere. Cæterùm à multis retro seculis, Danorum insolentia mare Germanicum (quod nostri vocant orientale) semper habuit infestum. Aliquando etiam in mare Britannicum excurrens, ipsam Britanniam (nunc Angliam) non modò territabat, sed in ditionem pro magna parte acceperat: quod in Dania nostra ostendimus. Gallis autem vsq; ad hanc ætatem, ea gens permansit incomperta. Quia tametsi Carolo bellum minitaretur, & cum Henningo, pòst rege, Ludouicus Imperator fœdera iecisset, euastatio tamen & insolentia iam nunc primùm Gallis cœpit innotescere. Iam enim magna classe Danorũ simul & Normannorum gens vbiq; grassata, multas simul nationes territabat. Nonnunquam enim coniunctam agebant militiam, siue quòd vni regi parerẽt duo regna, siue quòd paribus animis ferrentur ad prædam. Aliquando soli Dani excursiones fecere: nonnunquam etiam sine Danis, Normanni soli nauigabãt: vt in Dania atq; Norwagia

*Normannorum longinquæ aliquoties nauigationes.*

*Gallia à Normannorum exercitu vastatur.*

docuimus.

docuimus. Galli verò, iam primùm eius gentis vim experti, Normannos (quod diximus) sine discrimine omnes Aquilonares dixere. Igitur prima eorum magna excursio facta est morte Ludouici Imperatoris, quum filii eius de ditionib. digladiarentur. Antea metus Francorum illos detinebat. Sed quum sentirent illorum fractas vires, & eos inter se dissidere: cœperunt contemnere, quos antè metuebant. Itaq; facta valida in diuersum excursione, per Rhenum (quod antè ostendimus) ascendentes, Agrippinam Coloniam, per Albim verò Hamburgum vastauerũt: ex quo incendio Ansgarius pene nudus elabitur, sese conferens in Ramsolam. Ibi oratorium cum fratrum receptaculo construxit. Suo quoque monasterio, quod illius solatio Ludouicus Imperator contulerat in Flandria, est destitutus, quòd cede ret cum reliqua Gallia, partitione fratrum, in ius Caroli, quem postea dixere Caluum. Permansit autem querimonia illa & intacta causa, vsq; ad tempora primi Alberti: qui apud Imperatorem suum Henricum tertium effecit, vt quadam compẽsatione facta, ad arbitrium eiusdẽ pontificis omnis quæstio terminaretur. Quumque hoc in rerum statu nihil omitteret sanctus pater solicitudinis, ipse quum poterat, creditam sibi obibat prouinciam: alios etiam in regna misit diuini verbi prædicatores.

TERTIO exinde Bremensis ecclesiæ Leuderico, ex hac luce subtracto, Ludo uicus rex Germaniæ, quem nonnulli annales scribunt Cæsarem, antiquitatem recolentes, quòd à memoria Diocletiani & Maximiani, secunda potestas sub Augustis, erant Cæsares. Ita poterant hunc Ludouicum Germaniæ regem, à fratre Lothario Imperatore secundam tenẽtem potestatem, dicerẽ Cæsarem. Quum autem per solam Germaniam, & non per reliquum Imperium, exerceret potestatem, regem verius dixissent quàm Cæsarẽ. Sed sit tamen hoc admonitus lector, non hunc fuisse Augustum, sed Augusti Ludouici filium, & Augusti Lotharii fratrem. Cæterùm secundus Ludouicus Imperator, erat filius (quod dicemus) Lotharii: Ludouicus, inquam, rex Germaniæ, Imperatoris Ludouici filius, in partitione cum fratribus fortitus Germaniam, Hamburgi subuersionem miseratus, & Metropolitanæ ecclesiæ desolationem, statumq; Ansgarii archipræsulis intima compassione pertractans, curauit illum iam vacanti ecclesiæ Bremensi præficere. At ille quamuis canonum non ignoraret decreta (quibus cautum est, vt episcopus qui à sua ciuitate persecutionem passus expellitur, in alienã vacante recipiatur) tamen ne pro inuidia cæteri scandalizarentur, Ludouico super hac re diu restitit. Postremò si absq; fratrum querela fieri posset, cederet eius & omnium in ea re voluntati. Ductus est autem in episcopatum ab Alderico clerico, & comite Reginbaldo, anno secundi Ludouici nono. Multum verò temporis effluxit, ex quo Bremensem ecclesiam susCap. 36.

*Cæsar, secundarie in Rom. Imperio potestatem nomen.*

*Bremensis ecclesiæ nomen sub Hamburgensi euanescit.*

cepit, antequam hoc à Papa Nicolao, vt esset ex duabus vna ecclesia, Bremẽsi tanquam in Hamburgensem metropoliticam transfusa, vt titulus permaneret Hamburgensis, & Bremensis interiret. Monstrant hoc apostolicæ literæ, &c. pene annis post hæc datæ tempora (quod suo loco non tacebitur) sub Alberto primo. Sanctus itaq; Ansgarius, Bremis receptus, sedit inibi annos decẽ & octo: nam antea in Hamburgensi cathedra sola præfuit annis sexdecim: qui fiunt simul trigintaquatuor. Hoc regalis munificentiæ dono cõfessor Dei valde gauisus, in Daniam festinauit: vbi regem Danorum Ericum inueniens, reddidit Christianum. Ibiq; ecclesiam in portu maritimo, apud Sliaswigk, erexit, ad lacum Sliam: quæ vsque in hodiernum, sub nomine diui Ansgarii continuatur. Data per regem licentia, vt quisquis vellet in regno suo fieret Christianus, infinita gentilium credidit multitudo: de quib. plures vt aqua baptismatis loti sunt, ab omni etiam corporis infirmitate liberati. Igitur diuus Ansgarius, ne sui gregis desertor, & inuasor alieni calũniaretur, eam seruare uauit formam ingrediendi. Effecit ergo rex, vt omnium communi voto posceretur: præsertim quòd intelligeret, ex eo quoq; loco eum posse obire legationis suæ prouincias, & vtrique posse populo consulere. Hanc autem ordinationem potissimùm eo consilio fecit rex Ludouicus, quòd aduersus incursionem barbarorũ non satis firmum Hamburgi esset præsidium pontifici. Quoties enim Dani voluere, à terra & à mari Nordalbingiam vastauere. Hoc ergo regalis munificentia dono

*Multi fiunt Christiani, vbi per regem licet.*

alacrior factus Anſgarius, Daniam ſuæ legationis prouinciam adibat, regemq; Eri cum iam rebus in Dania potitum, ex perſecutore Chriſtianorum, fidelem fecit catholicum: vt non modò permitteret, verumetiam præciperet quoque idola deſerenda, & Chriſti ſinceram fidem excolendam.

CAP. 37. ERGO legatus borealium regionum Anſgarius, tantum familiaritatis apud regem, cundo & redeundo, meruerat, vt inter amicos aſſcriptus, intimis regni conſiliis adhiberetur. Sed onerosum fuit ſancto, comeſſationibus diuturnis pro more gentis intereſſe: coegitque ſe hoc etiam (vt cætera peregrinationis incommoda) ſuſtinere, ne regem & proceres, contemptum interpretantes, ſi abeſſet, a ſe alienaret. Igitur primus metropolita Anſgarius, ſi in Bremenſi cathedra præceſſoribus in illa ſede annumeretur, à primo Willehado poſt Willericum & Leudericum quartus inuenitur. Anſgarius ergo his rebus ex voto completis, dum adhuc pro gente Sueonum æſtuaret, quæ iugum videbatur abiecisſe: cum Gaudberto, aliàs Simone, epiſcopo conſilium habuit, quis eorum laudabile pro Chriſto ſubiret exilium. Simon periculum ſponte declinans (quum tamen in eam prouinciam ordinatus epiſcopus diceretur) ſanctum potius, vt iret, rogauit Anſgarium: prætendens eius authoritatem, doctrinam ac ſanctitatem longè ſupra ſuas vires eſſe. Exemplo athleta intrepidus, Erici regis commendatitias rogauit epiſtolas: & à littore Daniæ ſoluens, in Sueoniam nauigauit. Vbi tunc Olauus in ea gente rex, apud Bircam generale ſui populi habuit placitum: quem, præueniente miſericordia Dei, ita placatum inuenit, vt ex eius imperio, & populi conſenſu, & iactu ſortis, & idoli reſponſo, eccleſia ibidem fabricaretur, & baptiſmi ſuſcipiendi licentia paſſim omnibus ſit conceſſa. His ex ſententia compoſitis, ipſe Sueonum eccleſiam Erimberto commendauit presbytero, & rediit. Interea quæſtio magna ſurrexit in regno Francorum (cui tum annumerabatur Colonienſis archiepiſcopatus) de Bremenſi epiſcopatu, ad inuidiam Anſgarii conflata. Ea contentio diu per regnum graui & ancipiti diſſenſione profligata, multis partium ſtudiis collidebatur. Tandem orthodoxus rex Ludouicus, compoſitis hinc inde contradicentium voluntatibus, præcipuè Guntharii Colonienſis archiepiſcopi (cuius ſuffraganea prius erat Bremen) ſuper his Romam nuncios ad ſanctiſſimum papam direxit Nicolaum. Ille verò, quod eccleſiaſtica neceſſitas perſuaſit, & quod patrum conciliis fieri poſſe comprobatum eſt, facile conſenſit. Ergo Hamburgenſem & Bremenſem epiſcopatus apoſtolica authoritate copulari, & deinceps pro vno ſanxit haberi: tam ipſum Anſgarium archiepiſcopum, quàm eius ſucceſſores, legatos & vicarios apoſtolicæ ſedis conſtituit in omnibus gentibus Danorum, Sueonum atque Slauorum, hoc eſt Wandalorum: quod & antea Gregorius IIII. papa conceſſit. Extant literæ pontificis deſuper Nicolai, quarum exemplum ad fidem inſerendum putaui.

*Comeſſationibus Boreales, licet Chriſtiani, indulgent, Rom. 13.*

*Anſgarius ad pericula adeùda intrepidus.*

*Contentio de Bremenſis eccleſiæ ſuppreſſione.*

CAP. 38. NICOLAVS epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, præſentis ſcilicet temporis & futuri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Quiſquis Dominum & redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum de ſinu patris ad terram, pro demonſtranda cordibus hominum vera & certa fide, deſcendiſſe non dubitat: profectò non ignorat, omnes qui eiuſdem fidei per gratiam ipſius participes facti ſunt, & præcipuè nos (qui per primum tantæ virtutis miniſtrum, locum præcipuum tenemus) hominibus debere lucrandis inſiſtere, & per vniuerſas gentes verbi ſemina ſerere, & ſolatia ſerentibus miniſtrare. Nunc autem, quia Ludouicus ſublimiſſimus rex per Salemonem venerabilem epiſcopum Conſtantiæ ciuitatis, noſtro ſtuduit apoſtolatui intimare, quòd pię memorię Ludouicus Imperator genitor ſuus, quendam monachum nomine Anſgarium, de monaſterio Corbeia tuliſſet, & collocaſſet eum iuxta Albiam fluuium, in confinibus Danorũ & Slauorum, Saxonũq;, in caſtello Hammeborg, inter duos epiſcopatus Bremon & Verden, de quibus tollens eccleſias & decimas, ad ſuſtentationem prouehendi cauſa præfati epiſcopi clericorumq; eius cõdonaſſet in prædicto loco: annuente ac ſolennia ſedis apoſtolicę priuilegia prędẽte pdeceſſore noſtro beatę memorię papa Gregorio: cuius etiã authoritate, in ſupradicto Nordalbingorũ populo, ſedes cõſtituta eſt

*Papa apoſtolatu, qua ſtatuit ur Bremam & Hamburgum pro vna eccleſia habendas eſſe.*

est archiepiscopalis in castello superius memorato Hammaburg. Et in eadē quoq; sede archiepiscopus, accepto à sede apostolica pallio, primus est ordinatus Ansgarius, cui à præfato pontifice delegata est cura seminandi verbum Dei, & animas lucrandi Deo. Cuius delegationis, & authoritatis, & pallii acceptionis pagina, nobis est à præfato filio nostro Ludouico rege, per iam dictum Salemonem sanctissimū episcopum destinata, iuxta morem sanctæ Romanæ ecclesiæ bullata: per cuius tenorem paginæ hæc ita fuisse comperimus, sicut pietas nobis iam præfati regis per fidelem virum, Salemonem scilicet episcopum, intimauit. Vnde nos vestigia tanti pontificis & prædecessoris nostri Gregorii sequentes, omnemq; ibi statutam prouidentiam Deo dignam agnoscētes, magnorum principum votum, Ludouici videlicet diuę recordationis Augusti, & æquiuoci eius filii excellentissimi regis, tam huius apostolicæ authoritatis præcepto, quàm etiam pallii datione, more prædecessorum nostrorum roborare decreuimus: quatenus tanta fundatus authoritate prænominatus Ansgarius, primus Nordalbingorum archiepiscopus, & post ipsum successores eius lucrandis plebibus insistentes, aduersus tentamenta diaboli validiores existant: ipsumq; filium nostrum iam dictum Ansgarium, in omnibus circumquaq; gentibus Sueonum, siue Danorum, necnon etiam Slauorum, vel in cæteris vbicunq; illis in partibus cōstitutis diuina pietas ostium aperuerit, publicam euangelizandi tribuimus authoritatem. Ipsamq; sedem Nordalbingorum, Hammaburg dictam, in honorem sancti Saluatoris, eiusq; intemeratæ genitricis semp virginis Mariæ consecratam, archiepiscopalem esse decernimus deinceps. Atq; vt strenui prædicatoris episcopi, post decessum crebrò dicti Ansgarii archiepiscopi, persona, tantoq; officio apta deligatur semper successio, sub diuini iudicii obtestatione statuimus. Verùm quia Carolus sæpe dicti regis rex frater, post decessum Imperatoris patris sui, piæ memoriæ Ludouici, abstulit à prænominato loco qui dicitur Hammaburg, monasterium quod appellatur Turhold (vtpote quod post partitionem inter fratres suos, in regno suo coniacere videbatur, situm in occidentali Francia) quod illic genitor suus ad supplementum & victum episcopo & clericis eius dederat: cœpere, sicut fertur, omnes ministri altaris recedere. Deficientibus quippe necessariis sumptibus, ab ipsis recesserunt gentibus, & eadem ad gentes legatio per eiusmodi factum defecit. Ipsa quoque metropolis Hammaburg pene deserta facta est.

IGITVR dum hæc agerentur, mortuus est diœcesios Bremensis episcopus, quæ huic contigua esse dicitur. Quumq; sæpe dictus rex & hanc diœcesim vacantem, & illam nouellam in stitutionem cerneret deficientem: insuper vtramq; hanc ecclesiam, Dei permittente occulto iudicio, per barbarorum sæuitiam admodum attenuatam: quærere cœpit, qualiter prædicta Bremensis ecclesia nouellæ dictæ ar chiepiscopali vniretur ac subderetur sedi, nostro hoc votum roborante decreto. Vnde per sæpe nominatum venerabilem missum Salemonem, videlicet ciuitatis Constantiæ episcopum, nobis hoc relatum est confirmandum, ac postulatum est nostra authoritate roborandum. Nos igitur id subtili perpendentes examine, animaduertimus, propter instantem necessitatem, & animarum lucra in gentibus demonstrata, vtile fore, omnia quæ proficua ecclesiæ probantur existere, & diuinis non resultant præceptionibus, licita & facienda esse non dubitauimus, maximè in tam nouellæ Christianitatis plantatione, in qua varii solent euentus contingere. Quamobrem authoritate omnipotentis Dei, & beatorum apostolorum eius Petri & Pauli, & hoc nostro decreto decreuimus, secundum reuerendissimi regis Ludouici votum, ipsas prædictas diœceses, Hammaburgensem scilicet & Bremēsem, non deinceps duas, sed vnam esse & vocari, subdiq; sedi, quæ prædecessoris nostri decreto, archiepiscopali est munere sublimata: restituta duntaxat de Bremensis ecclesiæ rebus, episcopatui Verdensi, parte inde antè ablata. Nullus verò archiepiscopus Colonensis illam deinceps in eadem diœcesi sibi vendicet authoritatē. Quinimo & ipsi, & omnibus omnino suademus veræ religionis cultoribus, vt sacra hac legatione fungentibus adiutorio & solatio sint, quatenus gratia huius beneficii plenam mercedem recipere mereantur ab eo qui dixit, *Ite, & docete omnes gentes:*

CAP. 39. *Continuatur superiorum capitum inchoata pagina.*

&, *Quicunque receperit vos, me recipit.* Itaque omnia à dilecto filio nostro Ludouico ad hoc Deo dignum officium deputata, nostra etiam pia eius vota authoritate firmamus. Et quia casus præteritorum, nos cautos faciunt in futurum, omnem quoque aduersantem vel contradicentem, atque nostris his studiis quomodolibet insidiantem, anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ vltionis reum diabolica sorte damnamus: vt culmē apostolicum, more prædecessorum nostrorum, causamq; Dei pio affectu zelantes, ab aduersis hincinde partibus tutius muniam⁹. Et quia te charissime fili Ansgari, diuina clementia, noua in sede primum disposuit esse archiepiscopum, nosq; tibi pallium ad missarum solennia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis, vti & ecclesiæ tuæ perpetuo statu manentibus priuilegiis, vti largimur. Idcirco huius indumenti honor morum à te viuacitate seruandus est. Si ergo pastores ouium, sole geluque, pro gregis sui custodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morsibus, oculis semper vigilantibus circunspectant: quanto sudore, quantaq; cura debemus esse peruigiles, nos, qui pasto res dicimur animarum, attendamus. Et ne susceptum officium in terrenis negociis aliquatenus implicare debeas, admonemus, vitaq; tua filiis tuis sit via: in ipsa, si qua fortitudo illis est, dirigant, in ea quod imitentur aspiciant, in ipsa semper consideranda proficiant: vt tuum, post Deum, videatur esse bonum quòd vixerint. Cor ergo tuum neque prospera (quæ temporaliter blandiuntur) extollant, neque aduersa deiiciant: districtum mali cognoscant, pium beneuoli sentiant: insontem apud te malitia aliena culpabilem non faciat, reum gratia non excusset: viduis ac pupillis iniustè oppressis defensio tua subueniat. Ecce, frater charissime, inter multa, ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii: quę si studiosè seruaueris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Verumtamen ita omnia superius annexa, ab apostolica sede beatitudini tuæ indulta cognosce, si a fide & decretis sanctæ ecclesiæ catholicæ, & apostolicæ Romanæ ecclesiæ in nullo penitus deuiaueris. Quòd si à fide, vel institutis, aut sanctionibus (tanto sublimatus honore) sedis apostolicę declinare studiosè præsumpseris, his nostris tibi collatis careas beneficiis. Porro te pallio vti non nisi more sedis concedimus Apostolicæ, scilicet vt successores tui, per semetipsos, vel per legatos suos, & scriptam fidem nobiscum tenere, ac sanctas sex synodos recipere, atque decreta omnium Romanæ sedis præsulum: & epistolas, quæ sibi delatæ fuerint, venerabiliter obseruare atque perficere omnibus diebus suis, scripto se & iuramento profiteantur. Scriptum per manum Zachariæ notarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense Maio, indictione duodecima. Bene valete. Data pridie Calendas Iunii, per manus Tiberii primicerii sanctæ sedis Apostolicæ, Imperante domino piissimo Augusto Ludouico, à Deo coronato magno Imperatore, anno decimoquinto, indictione duodecima, qui fuit annus LXVII. ad calculum eius qui continuauit Eusebium. Sed iam noster Nicolaus defecit apud eundem, facilisque credam illum supputatorem falli, quàm Datam literarum.

*Quibus condi tionibus pallia concedan tur.*

CAP. 40. OSNABVRGENSIS ecclesia tertium iam tunc habebat pontificem, Gesuinum. Hic quum incidisset temporibus primi Ludouici, qui meruit cognomentum Pii, venit in eam conspirationem filiorum aduersus patrem, cui multi etiam alii pontifices inerant, & inter alios Theodulphus Aurelianensis episcopus: quem quum incarcere post suam liberationem tenuisset Ludouicus Andegaui, inq; eo loco Imperator Pascha facturus, in Palmis interesset publicæ processioni, ad repræsentandum Christi ingressum in Hierusalem, & iam prope turrim pompa trāsiret, qua vinctus tenetur Theodulphus episcopus memoratus: iam tunc ille prospiciēs quod erat futurum, hymnum insignem dictauit in honorem eius processionis, *Gloria, laus & honor tibi sit, rex Christe redemptor*, cum reliquis, quem adaperta fenestra in hora processionis antedictæ, concinebat clara voce, vt à cunctis audiretur. Admiratus Imperator, interrogat quæ sit vox, & cuius hominis, quam audit. Insinuatur, esse Theodulphi episcopi Aurelianensis, qui clausus ibi teneretur. Diligētius perpenso tenore carminis, adeo fertur delectat⁹ Imperator, vt iuberet mox laxari vinctum, reddiq; libertati. Eodem tempore contigit, vt hic Osnaburgensis episcop⁹, non ignarus (vt ferebant) eius conspirationis. Sed quum recuperata libertate Imperator

*Multi pontifices cōiurationis in socium regem initæ assunt.*

*Supra, cap. 27*

perator Ludouicus, capita eius factionis paulatim opprimeret, fumeretq; vindictã de episcopis, qui filiis eius in eo consilio adstitissent: male sibi consuluerat Gesuwin⁹, Osnaburgensis episcopus, fugam iniit, ac se in Fuldensi incluſit monasterio, Deo seruiens. Ne tamen ecclesiam suam omnino desolatam relinqueret, furtum & occultè per vices temporum rediit, & officia pontificis impleuit, præsertim quum inde longè ageret Imperator: per quam occasionem multi inuaserant ecclesiæ prædia, abiente pastore: ita vt plenus labor esset successoribus de recuperãdis. Floruit per ea tempora in iisdem partibus nobilis quidam, Cobbo nomine, comes (vt fertur) in Tekenneborch, vir potens ex familia multa suæ cognationis, Imperatori nõ inuisus, sed plurimum inuisceratus. Hic, quum ecclesia Osnaburgẽsis pontificem, qui tueretur, non haberet, sed qui (vt diximus) formidine Imperatoris latitaret, multa ecclesiæ prædia, multas decimas detraxit: &, vt ex more potentiæ suæ, omnia sibi arbitraretur licere, nõnulla ex his Corbeiensi cœnobio, alia etiam Hervordensi monasterio deputauit: quibus in locis præerant homines sui sanguinis. Arbitratus per æquũ valere, si quæ oblata essent Deo & ecclesiæ, hic vel alibi ministrantibus Deo venirent in solatium. Sed non erat rectum eius viri consilium: vnde successores plurimùm laborabant, vt ad antiquam possessionem restituerentur. Prouidit autem hic Cobbo, quum deficeret hic latitans pontifex, vt hominem haberet suis votis non repugnantem, vt rata manerent, quæ sacris locis ecclesiæ Osnaburgẽsi detracta erogasset: quod dicemus in huius successore. Peruenit autem hic pontifex, ecclesiæ vtcunque præsidens per annos XXXII. ad annum DCCCLXVI. 866. Vnde certum habemus, hunc pontificem non interfuisse pugnæ & cladi, quæ accidérat in Ebbeckstorpe annis decem post hęc tempora, vt infra docebimus: vbi flos Saxoniæ in omni militia, cum multis pontificibus & viris militaribus cædebatur. Quid enim poterat vir latibula circumspiciens, qui non in publicum egrediebatur? Quomodo educeret arma ad obuiandum infinitæ multitudini Danorum, egredientium in Saxoniam ad delendum omne nomen Christianum? A qua excursione prohibiti sunt viuente Ludouico rege, Ludouici Imperatoris filio: cuius etiam morte laxata sunt illis clausꝑa: quod in proximo Osnaburgensi dicemus, & diximus iam aliquot vicibus, vbi opus videbatur.

*Ecclesiæ prædia præde patent.*

*Danorum Christi persecutor, mox vltor.*

QVVM adhuc viueret Ansgarius, Normanni per Ligerim vecti, Turones suc cenderunt, & per Sequanam Parisios obsederunt, Carolũ verò regem (is erat Caluus Ludouici Imperatoris filius) timore territum, terram eis ad inhabitandum dare compulerunt. Deinde Lotharingia vastata, & Phrisia subacta, conuersi sunt victrici dextra in sua viscera. Nam Hudingus & Ericus iunior, de regno sunt digladiati: tantaq; cęde vtriq; mactari, vt vulgus omne militum caderet, de stirpe autem regia nemo omnium remaneret, præter Ericum iuniorem. Qui mox vt regnum susCAP. 41. cepit Danorum, ingenito furore super Christicolas efferatus, sacerdotes Dei expulit, & ecclesias claudi præcepit. Ad quẽ sanctus Ansgarius venire non trepidans, comitãte secum gratia diuina, quum ei memoriam maioris Erici (patris, an patrui, incertum est) replicaret, crudelem tyrannum sic pacatum ac placatum reddidit, vt Christianitatem ipse susciperet, suisq; omnibus, vt Christiani fierent, per edictum mandaret: insuper in alio portu regni sui apud Ripam extrueret ecclesiam, in Dania secundam: nam prima erat ad lacum Slia. His ergo ecclesiastico ordine compositis, beatus Ansgarius ecclesiam illam secundam Remberto presbytero commendauit. In Hamburgum reuersus ad suam ecclesiam, de venditione Christianorum Nordalbingos correxit. Phrisios quoque adiens, castigauit eo pro labore Dominicæ diei: pertinacius verò agentes, igne cœlesti mulctauit. Et quoniam totum stadium eius erat pro salute animarum, si quando à prædicatione gentilium foris liber erat, domi congregationum suarum curam egit. Quarum primã, quæ ab Hamburg quondam barbarica incursione depulsa est, ipse (vt prædiximus) transtulit in Ramsolam. Secundam in Bremis habuit, sanctorum virorum, qui habitu quidẽ vsi canonico, regula viuebant monastica, vsque ad multi temporis ætatem. Tertiã, sanctarum virginum congregationem in Brixmon ordinauit: vbi deuota Christi matrona Ludgard, totum patrimonium suum offerens, cœlesti sponso magnum

*Ansgarii in pietatis operibus diligentia*

chorum castitatis suo nutriuit ducatu. Ad curam autem pauperum,& susceptionē peregrinorum,multis locis hospitalia pręparauit. Vnum autem vel præcipuum habuit Bremæ: quò per seipsum quotidie veniens, infirmis non erubuit ministrare, quorum plurimos verbo vel tactu sanauit. Circa hæc tempora,ad annum LXI, beatus Ansgarius transtulit corpus sancti Willehadi in matricem beati Petri apostoli ecclesiam,ab illo australi oratorio,quò deportatum est à Willerico: quo tempore etiam sanctus martyr Alexander translatus est in Saxoniam. Interea Ansgarius captiuos redimendo,tribulatos refouendo,domesticos erudiendo, barbaros euangelizando,foris apostolus,intus monachus,nunquam visus est otiosus. Superuixit autem ille plenariæ per summum pontificem vnioni annis septem.

CAP. 42. NON solùm erga suos,verùm & alienos,quomodo viueret, solicitus erat Ansgarius,nihil humani ab se putans alienum. Episcopos enim tam voce quàm literis, vt vigilarent super Dominicum gregem,commonuit: hos arguens, illos obsecrauit. At verò Normannorum Danorumq; regibus pro suæ legationis officio crebra monita transmisit. Extabant diu epistolæ eius plures,quæ nunc per iniuriam perierunt. Vnam verò,quam omnibus de sua legatione scribit episcopis, quamq; ab Ebone orsam asserit,ita claudit: Deprecor,vt apud Deū intercedatis,quatenus hæc legatio crescere & fructificare mereatur in Domino. Iam enim Deo propitio,& apud Danos & apud Sueones fundata est ecclesia Christi, & sacerdotes absq; prohibitione proprio funguntur officio. Omnipotens Deus faciat vos omnes huius operis pia beneuolentia participes,& in cœlesti gloria Christo cohæredes. Est prætera quòd iamdiu secum tacitus fortè lector requirit, quomodo vir sanctus in tanta lucrandarum animarum solicitudine, longè per maria verbum Dei circumferēs, ne semel quidem vicinam Wandaliam (quam Slauorum dixere prouinciam) memoratur attigisse,quum tamē fuerit in eius legationis amplissimo mandato,quum & gens Obotritorum Magno Carolo fuerit fœderata. Sed ego ferocem tum gentem,diuini verbi mentionem ne admisisse quidē crediderim: vt non pontificis dissimulatione,sed omnimoda gentis contradictione omissam prædicationem pene certus putauerim. Possunt & multa facta esse,quæ scripta non sunt. Sedit in vniuersum Ansgarius in episcopatu annis XXXIIII. Nam primis annis septem Hamburgi sedem habuit, annis verò nouem in Ramsola: deinde translatus Bremam, duodecim annos peregit,ante impetratam Romę plenariam ecclesiarum vnionē: nouissimè in annum vsq; septimum,post illam. Cuius depositio summa veneratione percolitur III. Nonas Februarias. Annus erat post natum Christū DCCCLXV. indictione XIII. Ludouici regis XXVI. illis annis computatis, quibus imperauit cum patre. Sepultus est in basilica sancti Petri,ad altare sanctæ Dei genitricis. Tenemus deuotionis eius breue sed clarissimum monimētum,libellum, Psalmorum summam paucis includentem: qui qualis fuerit in maioribus, satis attestatur.

*Cur Ansgarius tam impiger. Wandalos nō adierit.*

*Ansgarii scriptum quod extat.*

# ALBERTI KRANTZII
## METROPOLIS, LIB. II.

VIA summorum pontificum narrationi incidit nonnunquam necessaria mentio,nō ab re fuerit, breui catalogo subnotare eorum successionem,ea breuitate,qua in Saxonia Cæsarum & Augustorum ordinem ostendimus ab initio, sine longa digressione,sola temporum mutatione notabili designata. Quia & Platina & Blondus,Romani nostra tempestate scriptores,pleni eam rem enarrauerunt: quos qui poterit,videat: qui non poterit,habeat hoc manuale breuiarum.

CAP. I. PETRVS, antè Simon Ioannis, vocatus à petra Christo (super quem fundata est ecclesia) princeps apostolorum, cui tradidit excellenter Christus claues regni cœlorum. Omnibus quidem Apostolis generaliter contribuit: sed ordo deposce-

poſcebat hierarchicus, vt eſſet in vno ſuper omnes plenitudo poteſtatis. Primus in terris Chriſti vicarius (Cephas inde dictus) ſedit Antiochiæ annis VII. Sed quoniã caput eccleſiæ congruenter ad caput Imperij erat transferendũ, venit Romã anno II. Claudij, & ibi conſedit annis 25. ad penultimum Neronis, qui Claudio ſucceſſit ſine medio. Poſt magiſtrũ cruce finiuit, vt & teſtimonio ſanguinis fidem firmaret, & merito paſſionis theſaurum eccleſiæ cum cæteris augeret.

*Hunc annorũ numerum non poſſe ſtare, Coſmaplentus ait, animaduertit, & chronologiã nouam commentus eſt.*

LINVS Petri ſucceſſor proximus, natione Tuſcus, vrgente Clemente, qui per modeſtiam & humilitatem (etſi à Petro deſignaretur) voluit tamen & Linum & Cletum priores obire magnitudinem officij. Non terruit eum cetta mortis expectatio, ſed creditæ poteſtatis ampliſſimæ maieſtas: maluitque alios præeſſe. Linus ergo vir Deo placitus, dignus eſt habitus, qui vicarius Chriſti & ſucceſſor Petri Apoſtoli eſſet. Annis IX. impleuit ſacrum miniſterium, gladio cæſus pro Chriſti & Euangelij eius teſtificatione. 2.

CLETVS, & ille à D. Petro ordinatus epiſcopus, præferente ſibi illũ Clemente, in locum demortui Lini ponitur Chriſti vicarius. Sategit ille pro ſuo miniſterio, vt in cumulatiſſima gentium omnium congregatione, vrbe Roma, & fidem ampliaret, & fundamenta iaceret multis poſt tempora lucrandis animabus. Nam tumultus Romanæ vrbis, & magnitudo ſuperſtitionum, quaſi vepres & ſpinæ bonas Euangelij fruges conculcarunt. Poſt annos II. ſub Domitiano fecit Chriſto martyrium. 3.

*Superſtitionũ ex pag. ma reliqua.*

CLEMENS, quartus, ne videretur omnino refugere prædeceſſorum exitum, paſſus eſt à diſcipulis ad pontificatum compelli. Romanus ciuis non poſtrema nobilitate, vir modeſtiſſimus & ſanctiſſimus, qui periculoſo Domitiani tẽpore geſſit præſulatũ per annos IX. pertingens ad Traianũ. Sub cuius imperio miſſus in exiliũ, conſolationi fuit relegatis ibi Chriſtianis in metallum. Quumq; Chriſtianũ populum prædicatione multiplicaret, merſus eſt mari, diu pòſt Romam reuectus. 4.

ANACLETVS, natione Græcus, patria Athenienſis, Clementem inſequitur. Quem etſi Euſebius eundem eſſe tradit Cletũ, qui & ante & poſt Clementem præfecerit: Damaſus tamen, & ipſe pontifex (qui lineam ſuorum prædeceſſorum diligenter eſt intuitus) diſcernit Cletum ab Anacleto, quòd ille Romanus ſub Domitiano, iſte Græcus ſub Traiano finierit. Sedit & ipſe annos nouem, & glorioſo martyrio ſub Imperatore Traiano, Chriſti fidem ſtabiliuit, & theſaurum eccleſiæ adauxit. 5.

EVARISTVS hunc excepit, natione Græcus, patre natus Iudæo. Sedem excepit ordine ſexto, vir omnium integerrimus: qui primus diuiſit presbyteris in vrbe Roma titulos, quos nunc tenent cardines orbis tertæ. Septem diaconos adeſſe voluit prædicanti epiſcopo, ne quid deuium ſpargeretur. Sub Hadriano Imperatore, necdum Chriſtianis (vt poſtea) placato, glorioſum Chriſto fecit teſtimoniũ, poſt annos nouem, quibus præfuit vrbi ad religionem. 6.

*Tituli vrbis Romæ.*

ALEXANDER patria Romanus, de regione Capite Tauri, iuuenis quidem ab annis, ſed moribus & induſtria grauis, qui ſingulari eruditione bonã ſenatus partem lucratus eſt, in officio ordinando laborauit. Clerum iudicio ſeculari primus exemit: & anno vndecimo ſui præſulatus, eodem ordine quo prædeceſſores eius, Chriſto & Euangelio eius reddidit morte teſtimonium. 7.

SIXTVS, natione Romanus, hunc inſequitur, qui & ipſe diuino ſacrificio pleraque adiecit: munda vaſa & pannos, quales adhiberi decuit, conſtituit. Gallis iamdudũ recipientibus Euangeliũ, immiſit (quod poſtulauere) paſtores & prædicatores. Magna in diebus eius perſecutione in Chriſtianos fœuiente, ipſe quoque anno pontificatus ſui vndecimo, reddidit ſanguine Chriſto teſtimonium. 8.

TELESPHORVS, natione Græcus inſequitur, qui poſt Petrum primus conſtituit iciunium quadrageſimale, ſeptem ſeptenarum, & in officio Miſſæ Angelicum hymnum iuſſit decantari, *Gloria in excelſis Deo*. Peruenit autem prædicans, & ſacris præſidens, in annum XII. ſub Antonino conſummatus glorioſo pro Chriſto martyrio. Fœlices ſancti, qui de morte, alioqui neceſſaria, fecere ſacrificium. 9.

*Iciunij Quadrageſimalis.*

10. HIGINVS natione Græcus, patria Athenienſis, patre philoſopho natus, vir & ipſe doctiſsimus, inſequitur. Cleri diſtinxit ordines: elegantiſſimam reliquit epiſtolam, omnibus legendam, de Trinitate & Vnitate Diuinitatis. Sub Antonino Pio poſt annos pontificij IIII. curſum ſuum fœlici martyrio conſummauit, in augmentum theſauri Chriſtiani.

*Ordines in clero.*

11. PIVS, natione Italus, patria Aquilegienſis, attigit tempora Marci Antonini Veri, qui grauiſſima perſecutione ſtetit. Optimi erant Imperatores gubernandæ reipublicæ, ſed Chriſtianis infeſti, credo, ſuggeſtione peſſimorum hominũ. Thermas Nouati dedicauit, Praxedis rogatu virginis: multa præterea conſtituit. Anno XII. pontificij ſui, martyr & ipſe Chriſto conſecratur.

*Imperatores laudatiſsimi, Chriſtianis iniquiſsimi.*

12. ANICETVS, natione Syrus, pontificatum accepit, certus pro Chriſto dare ſanguinem, paſtor potiſſimùm pro ouibus, & cum multis de grege immolandus. Conſtituit, ne clerici comam nutriant, & vt epiſcopus â tribus conſecretur. Peruenit autem ad annum duodecimum pontificatûs, tum martyr Domino conſecratur: ſepultus via Appia in Calixti cœmeterio.

*Clericorum coma & epiſcoporum conſecratio.*

13. SOTER, natione Italus, patria Fundanus, inſequitur. Sciens ad quid vocaretur, cohibuit ſexum fœmineum à miniſterio ſacrorum, vt ne pallam virgo contingeret, neque thura. Nam vbi parua permittuntur, maiora facilè præſumunt fœminæ, pro zelo & feruore ſuo. Anno decimo fit victima Chriſto, tumulatus via Appia in cœmeterio Calixti.

14. ELEVTHERIVS, natione Græcus, patria Nicopolitanus, inſequitur. Hic ſuperſtitionem in cibis compeſcuit: & ſtatuit ne quiſquam propter infamiam deiiceretur gradu ſuo, niſi legitimè conuictus. Vidit tempora tranquilla Romæ, quòd multi ex Romana nobilitate iam credidiſſent Chriſto: primus, qui ſine ſanguine moritur, anno pontificatus ſui 16. ſepultus apud S. Petrum.

15. VICTOR, natione Apher, ſuccedit: qui conſtituit, vt Paſcha Domini à decima quarta luna ad 21. celebretur quod poſteà concilium Nicenum approbauit. Non potuit iſte euitare ſanguinis ſupplicium, ſed precioſam Chriſto animam ſuo ſanguine lotam obtulit, cùm in annum vndecimum eius eſſet extractus pontificatus. Sepelitur in Vaticano apud S. Petrum.

16. ZEPHYRINVS Romanus, ſuccedit pontificio. Multa conſtituit vtilia: inter alia, vt conſecratio ſanguinis non fieret in vaſe ligneo: poſſet propter inopiam in vitreo. Sed & hoc poſtea immutatur, propter fragilitatem. Vnde aurea vel argentea ſunt decreta: & propter inopiam, etiam de viliore metallo. Moritur & iſte, Seueri Imperatoris temporibus, nõ etiã ſanguine fuſo, quum ſediſſet in annũ nonũ.

*Pocula in ſacris conficiendis.*

17. CALIXTVS, natione Romanus, ex regione Rauennatum, vir in diuina religione feruentiſſimus. Conſtituit, vt ieiunia quatuor temporum ſeruarentur triduo: vt, quod Iudæus in Calendis menſium facit ieiunans, id implerent Chriſtiani ad honorem Trinitatis in quatuor vicibus, per ternos dies. Vt non Iudaizet eccleſia, illos imitando, idipſum tamen impleret ieiunando. Magnam partem nobilitatis conuertit. Cœmeterium via Appia conſecrauit. Ipſe ſub Imperatore Alexandro martyrium fecit. Cuius corpus poſt XVII. diem ab Aſterio eius presbytero in cœmeterio Calepodij via Aureliã ſepultum fuit.

*Quomodo Iudaiſmus tollendus.*

18. VRBANVS, natione Romanus, Cæciliam cum ſponſo Valeriano & fratre eius Tiburtio, ad Chriſtum præmiſit. Iſte diſtribuit de communibus prædiis, vnde clerici viuerent. Erat autem ea tempeſtate perdurans apoſtolica ſanctio de cõmunibus bonis: ea poſtmodum abolita eſt. Cæterùm Vrbanus ad quintum annum produxit pontificatum, tum pro Chriſto cæſus martyr occubuit.

*Nunquam ab Apoſtolis præcepta eſt.*

19. PONTIANVS, natione Romanus, ſub Alexandro Imperatore præfuit. Sed quum ad eum pro ſanctitate & doctrina concurſus fieret, relegatur in Sardiniam: vbi multas perpeſſus calamitates moritur. Sed Fabianus papa iuſſit oſſa eius Romã afferri. Præfuit autem eccleſiæ catholicæ in annum decimum, ſanctam reddens Deo animam, multis pro illius teſtimonio calamitatibus in corpore afflictam.

20. CYRIACVM hoc loco quidam collocant. Sed numero pontificum non dignantur, quòd patrum non requiſito conſenſu, ſecutus ſit vndecim millia virginũ.

Sed

Sed non est hoc tempus sanctarum, quę memorantur ab Hunnis, Coloniá Agrippinam obsidentibus, cæsæ, post ducentos annos ex hoc die.

ANTERVS, natione Græcus, patre Romulo, optimus vir, pontificatum iniit sub Gordiano. Censuit inter alia, episcopum magnæ vtilitatis aut necessitatis gratia, in aliá posse transferri ecclesiá, non sua voluntate, sed Romani pontificis impetrata venia: iussitq; conscribi martyrum passiones, quæ vtinà diligentius conscriptæ legerentur. Anno vndecimo pontificatus pro Christo martyr efficitur. 21. *Multa mendacia tyrum historiis fabulosa.*

FABIANVS Romanus, dum inter conciues de assumptione noui pontificis loqueretur, visa est columba capiti eius insidere: quocirca in cunctanter ab omnibus diuiná voluntatem interpretantibus, pontifex eligitur. Inter alia ab illo salubriter instituta, diuisit in Vrbe notariis regiones, ad excipienda sanctarum martyria. Sedit in annum quintumdecimum, tum capite cæsus pro Christo. 22.

CORNELIVS, & ipse Romanus, vir pontificatu dignissimus. Sed dum maioris videretur authoritatis quá vellent dæmoniculæ, Centumcellas relegatur. Ibi accipit epistolas à Cypriano, & rescripsit: vnde coarguitur, literas contra Rempublicam accepisse. Ante leuauit Apostolorum corpora de Catacumbis, & diuisa sunt, Paulus in Ostiensi prædio Lucinæ, Petrus ad radices aurei montis. Sedit annis duobus, & martyrium fecit sub Decio. 23.

LVCIVS papa, natione & ipse Romanus, ab Gallo Hostilio Imperatore mittitur in exilium: quo mortuo, Romam reuertitur. Constitutiones fecit de omni ordine ecclesiastico. Et quum iussu Valeriani Cæsaris ad martyrium duceretur, omnes facultates ecclesiæ permisit Stephano archidiacono. Sedit autem in quartum annum: & lauit, vt cæteri, stolam suam in sanguine agni. 24. *Ordo ecclesiasticus.*

STEPHANVS, & ipse Romanus, deligitur pontifex in locum Lucij, vir per omnia rectus & bonus, & pontificij dignus ministerio. Constituit vt sacris vtus esset solùm in diuino ministerio vestibus, quum vsurparent nonnulli & extra ecclesiæ vsum. Sub Galieno Valeriani filio, Deciana persecutione adhuc durante, martyrium fecit. Sedit in annum sextum. 25.

SIXTVS secundus, natione Græcus, patria Athenienſis, ex philosophio mundi factus Christi discipulus, pontifex deligitur post Stephanum, quum adhuc duraret Deciana persecutio. Ductus ad supplicium, interpellatur lachrymosè per Laurentium, cui thesauros ecclesiæ commisit. Sedit annos pene tres. Sepelitur via Appia, cœmeterio Calixti. Cæteri in cœmeterio Prætextati, via Tiburtina. 26.

DIONYSIVS, cuius originem Damasus inuenire non potuit, ex monacho fit pontifex. Eius temporibus Antiochiæ celebratum est concilium (cui præ senectute interesse non potuit: sed inde multa perscripta sunt ad eum, aduersus Paulum eius vrbis episcopum. Moritur in senecta vberi) vbi pontificatum in septimũ annum fœliciter gessit. Sepelitur in cœmeterio Calixti. 27.

FELIX Romanus, pontifex creatur Aureliani Imperatoris tempore, vir per omnia integer & bonus. Is statuit vt sacrificia martyrum annuis temporibus recolerentur, dedicationes quoque templorum rememorarentur. Martyr & ipse Domino consecratus, anno quarto sui pontificatus. Sepelitur in ecclesia, quam ipse construxit, secundo ab Vrbe milliario. 28. *Dedicationes templorum.*

EVTYCHIANVS, patria Tuscus, ciuitate Lunensi, pontifex succedit Felici, vir Deo dedissimus, qui trecentos martyres sua manu fertur sepeliisse, & fecit constitutionem de ritu martyrum tumulandorum. Martyr & ipse Domino consecratus, Deciana persecutione, quæ diu durauit post authorem suum: quum Imperatores multi post inuicem à militibus crearentur, & deinde cæderentur. Sedit ad initium secundi anni. 29.

GAIVS deinde, natione Dalmata, Diocletianum postea imperantem habuit genere propinquum. Ipse temporibus Probi Imperatoris præfuit ecclesiæ Romanæ: qui distinxit in ecclesiasticis ordinibus gradus vsque ad episcopatum. Peruenit ad tempora propinqui sui: à quo exorta sæuissima persecutione, diu latuit in crypta sub terris: cuniculos vocant. Anno duodecimo sui pontificatus producitur cum Gabinio fratre, eiusq; filia Susanna, ac martyrium facit. 30. *Ecclesiastici ordinis gradus.*

31. MARCELLINVS, natione Romanus, quum à perſequentibus grauiſſimè vrgeretur, ſiue timore correptus, ſiue errore malo, bonũ quid inde auſpicatus, thura iniecit idolis: ſed in ſe reuerſus, grauiſſimè doluit. Conciliũ Sinueſſanum centũ octuaginta epiſcoporum adiit: ſordidatus ac mœrens, pœnam poſtulauit. Nemo tamen damnauit. Inde digreſſus, Diocletianum in faciem arguit. Coronatus eſt, anno decimo pontificatus, glorioſo martyrio.

32. MARCELLVS Romanus, Maxentij tyranni tempora contigit, qui illum myſteriis ſacris ſedulò intentum damnauit in ſtabulum viliſſimo miniſterio. Quum inde à clericis raperetur, reductus tamen eſt ad ſordes: & inde epiſtolis gubernabat eccleſiam. Pedore & immunditie cruciatus quotidie, vir ſanctus, cælo dignus, moritur anno pontificatus ſui ſexto.

33. EVSEBIVS, natione Græcus, patre medico, ſucceſſit Marcello, peruenitque ad tempora primi Conſtantini, cuius pontificatu inuenta eſt crux Dominica Hieroſolymis à matre Conſtantini. Laborabat in vrbe ſub Maxentio. Euaſit ſuppliciũ martyrij, mortuus Romæ, anno põtificatus ſui ſeptimo. Sepultus via Appia, in cœmeterio Calixti.

*Crux Dominica ab Helena inuenta.*

34. MELCIADES inſequitur, natione Apher, qui tempora Conſtantini attigit. Hic (vt Gratianus eiuſdem pontificis verbis teſtatur) ante Sylueſtrũ oſtendit ſuiſſe Chriſtianum Conſtantinum. Vnde conuincitur tota res de donatione Conſtãtini in Sylueſtrum, & de Imperatoris baptiſmo, eſſe cõmentitia: & quòd non martyr emigrauerit, anno pontificatus ſui quinto.

*Falſa hiſtoria quantemuis celebrata.*

35. SYLVESTER, vir pontificatu dignus, Conſtantini tempora contingit, ſed nõ illum baptizauit. Nam demùm in fine vitæ baptizatur, ab Euſebio Nicomedienſi epiſcopo, Conſtantinus (eo conſilio, quo & beati Auguſtini poſtea differebatur baptiſmus: ne illum pollueret) nec eam accepit immenſam donationem Italiæ, quum in ea poſtea Imperatores habitauerint, ab Honorio ad Auguſtulum. Sedit hic pontifex in omni ſanctitate annis 23.

36. MARCVS, natione Romanus, ſuccedit Sylueſtro, ad tempora eiuſdem Conſtantini. Extruxit eccleſias, quibus dona contulit Imperator, ex auro & argento pateras, non regna & prouincias. Vnde autem prouenerint tantæ opes Romano pontifici, in hiſtoria diximus. Marcus autem pontifex in tertium vſque annum præſidens eccleſiæ, moritur, tranſlatus ad meliora regna.

37. IVLIVS papa, & ipſe Romanus, luctamen iniit in ſuo pontificatu cum Arrianis, quibus fauerat Conſtantius, Conſtantini filius. Extruditur ab vrbe Roma, vix menſe decimo reuerſus: ſed tamen nihil omiſit, quod ad ſinceram religionem pertineret. Conſtituit ſalubriter multa, vetuit alia: & in omni ſanctitate pontificatum tenuit, ad annum 16. mortuus in pace.

*Arrianorum factio & potentia.*

38. LIBERIVS papa, natione & patria Romanus, ſtrenuè impugnabat initio Arrianos. Quamobrem depulſus ſede, exilio mulctatur per annos 6. Quumque ſucceſſor eius acrius oppugnaret eoſdem, iuſſu Conſtantij Imperatoris reuocatur, quum crederetur iam in Arrianos accepiſſe ſpiritum æquiorem: quæ vna macula inuſta eſt ſanctiſſimo alioqui pontifici. Sedit annos ſex, & (vt alij tradũt) ſexdecim.

39. FELIX ſecundus, natione Romanus, pulſo Liberio, ab Arrianis præficitur, ſed ſperantibus quòd cum illis ſentiret. Sed quum vir optimus hæreſi pro viribus repugnaret, acrius inuectus in eos quàm Liberius, reſtituto illo, depellitur ſede ſua, & in tumultu cum aliquantis presbyteris pro ſinceritate Catholicæ veritatis cæditur, ſecundo pontificatus ſui anno, quum nullam pacem ei reliquiſſent Arriani.

40. DAMASVS, natione Hiſpanus, vir pontificatu & cælo dignus, præfuit Iuliani Imperatoris temporibus, diligens temporum ſupputator, qui vitas ante ſe pontificum digeſſit. Beati Hieronymi tranſlationem approbauit, & vulgauit: Pſalmos ordinauit, eccleſias ornauit, nihil omittens quod ad verum religionis cultum pertineret. Ad annum in pontificatu pertigit viceſimum.

*Vitæ pontificum digeſtæ.*

41. SIRICIVS papa, natione & ipſe Romanus, peruenit ad tempora primi Valentiniani. Multa conſtituit, præſertim bigamos à ſacris miniſteriis ſubmouit. Monachos primus ad ſacros ordines permiſit: nam antè nec inter clericos habebantur.

*Monachi antiquitus non erant clerici.*

bantur. Præfuit ecclesiæ per annos sexdecim in sanctitate seruiens Deo.

ANASTASIVS, natione Romanus, successit in papatu, vir apprimè bonus, qui multa constituit: quòd Euangelium stantes, non sedentes, audirent: quòd peregrini clerici, sine testimonialibus pontificum literis, non reciperentur: mancos, debiles, morbosos reiecit à sacro ministerio. Annis tribus præfuit, mortuus in pace. 42.

INNOCENTIVS, eius nominis primus, natione Albanus, vir eximiæ prudentiæ & sanctitatis, qui multa ad ecclesiæ dignitatem honestandam constituit: præsertim de iciunio Sabbati, quòd illo die, Christo tumulato, ieiunarẽt omnes, pro eius morte mœrentes. Ad annum peruenit decimum sextum pontificatûs sui. 43.

ZOSIMVS, natione Græcus, succedit temporibus filiorum magni Theodosij. Multa & is constituit de honestate clericorum. Vetuit ne publicè biberent, néve tabernas fouerent: ne serui in clerum reciperentur. Et anno secundo sui pontificatus, rebus excessit humanis. 44.

BONIFACIVS, eius nominis primus, natione Romanus, pontifex creatur. Et quum schisma esset, obiecto Eulalio (qui à nonnullis eligebatur) ambo eiiciuntur vrbe, volente Placidia sorore Honorij. Sed Bonifacius reuocatur, cõpetitore iusthior: qui quum multa constituisset, anno quarto sui pontificatus obdormiuit. 45.

CÆLESTINVS primus, patria Campanus, vir & doctus & sanctus, præficitur ecclesiæ. Multa in diuino altaris ministerio iussit addi: introitus, graduale, responsorium, eius sunt inuenta. Quumque diligenter omnia circunspiciendo multa ordinasset, anno pontificatus sui nono obdormiuit in Domino. 46. *Cælestinus missæ solemnibus inuenta.*

SIXTVS tertius, natione Romanus, in pontificatu erat temporibus tertij Valentiniani. Accusatus à Basso quodam in Synodo quinquaginta septem episcoporum, ita causam dixit, vt protinus absolueretur, & accusator pro calumnia damnatus est exilio. Ædificauit ecclesiam maioris Mariæ, annis octo functus pontificatu. 47.

LEO primus, vir incomparabilis & sanctitate vitæ, & eruditione sapientiæ, & eloquẽtiæ suauitate. Ter sanctus, summa patrum omnium admiratione in concilio Chalcedonensi acclamatur. Vidit vastationem Vrbis ab Wandalis de Africa, Attilam Hunorũ regem, vultu, authoritate & sermone retrogit. Sedit annis 21. 48.

HILARIVS, natione Sardus, Leoni successit, magnus vir magno: in extruendis & ornandis templis erat singulari diligentia. Constituit ne quis in omni ecclesiastico ordine sibi deligat successorem. Sedit in cathedra Petri in annum vsq; octauum, & translatus est ad sedem sublimiorem. 49.

SIMPLICIVS, natione Tiburtinus, multa constituit salubriter: in primis, ne quis inuitus crearetur episcopus (quod castissimè nostra seruant tempora, quum multa cæterorum transierint in obliuionem) & ne clericus beneficium recognoscat à laico. Quinque ecclesias esse primas decreuit, Petri, Pauli, Laterani, Laurentij, Mariæ maioris. Anno xv. defecit. 50. *Patrum traditiones multæ exoleuerũt.*

FELIX tertius, patria Romanus, Accacij & Petrũ hæreticos eiecit. Basilicas aliquot cõstruxit & consecrauit, præsertim sancti Agapiti apud diuum Laurentium: nihil omittens, quæ optimo pontifici laudem, ecclesiæ decus & ornamentum importarent. Pontificatum egit annis pene duodecim, emigrans ad Dominum. 51.

GELASIVS, natione Apher, pontificatum iniit, quo tempore Manichæi in Vrbe multiplicati fuere: aduersus quos suscepit certamen. Eorũ libros publicè apud templum diuæ Mariæ comburit, ipsos damnat exilio. Quumq; in annum v. prorogasset pontificatum, concessit è vita ad manes superos. 52.

ANASTASIVS secundus, natione Romanus, in hoc intulit crimen pontificio suo, quòd occultè crederetur fauisse Accatio, Constantinopolitano quondam primati, hæretico: qua ex re clerus se ab illo retraxit. Scribunt alij, quòd Imperatorem pro fauore Accacij excommunicauerit. Sed anno secundo necdum expleto, concessit è vita. 53.

SYMMACHVS, natione Sardus, de pontificatu laborauit aduersus Laurentium, diuiso clero & populo. Theodoricus Gothorum rex præfuit Italiæ. Is indixit concilium pontificibus, in quo prælatus est Symmachus: qui pauperibus & captiuis erat pater singularis. In pontificatu fuit in annum sextumdecimum. 54.

55. HORMISDA, natione Campanus, patria Frusinonius, multa constituit, De nuptiis honestandis publicè: & eo suadente, multa contulit ecclesiis Theodoricus Gothus: renouauit & illustrauit basilicas. Eutychianos damnauit. Certauit & pontifex beneficentia & largitate in ornatum ecclesiarum. Annos nouem peregit in ministerio.

*Nuptiæ publice honestantur.*

56. IOANNES, eius nominis primus, osor & expugnator Arrianorum, & ab Theodorico Arriano cum Agapitis duobus & Theodoro missus ad Iustinum Constantinopolitanum Imperatorem, vt cessaret à persequendis Arrianis, alioqui euerteret Italiam. Quum nō impetrasset, missus in carcerem à Theodorico, periit pedore, anno tertio sui pontificatus.

57. FELIX quartus, natione Samius, successit Ioanni in carcere obdormienti, vir integer moribus, & vita, & solicitudine pastorali. Patriarcham Constantinopolitanum de hæresi notatum excommunicauit: templum sanctorum Cosmæ & Damiani exædificauit, alia refecit. Vnctionem nouissimam præcepit. Sedit in annum pontificatûs quintum.

*Extremæ vnctio.*

58. BONIFACIVS, eius nominis secundus, patria Romanus, expertus est competitorem Dioscorum, diuisis votis in clero & populo. Valuit diuersitas, quandiu supererat Dioscorus: quo breui mortuo, tenuit in pace locū. Constituit, vt in electione pontificis, clerus à populo diuideretur. Annis tantùm præfuit duobus.

59. IOANNES secundus, patria Romanus, Anthemium de hæresi Arriana conuictum damnauit. Cuius temporibus Iustinianus Orientis Imperator, misit dona templis Romanis plurima: iussitque episcopos suos, eius nomine cum benedictione amicissimè conuenire pontificem. Sedit in annum non plenum tertium.

60. AGAPETVS papa successit, Romanus patria, missus à Theodato Gothorū rege ad Iustinianum placandum, de morte Amalasunthæ optimæ reginæ: tatum, quòd Imperator illius fœminæ claras virtutes magnificaret. Ibi tentatus ab Imperatore de hæresi Eutychiana, repulit Imperatorem grauissimis verbis. Sedit non omninò pleno anno.

61. SYLVERIVS, natione Campanus, patre Hormisda episcopo, Theodato Gothorum rege iubente, creatur pontifex: quum antea Imperatorum Orientis aut consensus, aut ratificatio poscereturo. Instigante Vigilio Romano diacono, Iustina Imperatrix voluit, vt deiecto Menna patriarcha Constantinopolitano, Anthemiū hæreticum reuocaret: quod quum recusaret, mandat mulier Belisario Imperatoris ducī, vt destituto Syluerio, Vigilium faciat pontificem. idque ille mandat vxori vt fiat. Mittitur in exilium cucullatus, anno 2. necdum expleto.

*Imperatoris autoritas in pontifice creando.*

62. VIGILIVS papa, non legitimè factus, pœnas luit temeritatis in præcessorem. Nam perductus & tractus vi Constantinopolim, iubetur explere quod præcessor recusat. Trahitur, cæditur per plateas: instante Narsete & Romanis Romam remittitur: sed in Sicilia moritur, anno 18. sui pontificatûs.

63. PELAGIVS primus, patria Romanus, pontifex creatur. Quumq; malorum Vigilij incentor esse crimineretur, tactis Euangeliis & cruce, se purgauit. Primus constituit, vt clerici in sacris constituti, septem horarum quotidie pensum Deo persoluerent. Stetit duro tempore obsidionis à Gothis Romæ. Durauit in annum pontificatûs duodecimum.

*Septem horarū canonicarum quotidiana lectio.*

64 IOANNES tertius, patria Romanus, reconciliauit vrbi Romæ iratum Narsetem, principem Gothorum victorem, ductum secum à Neapoli Romam, vbi breui finiuit. Huius temporibus ingressi sunt Italiam Longobardi: quod in Dania diximus. Hic autem pontifex annis & virtutibus plenus, annis expletis in pontificatu XIII. emoritur.

65. BENEDICTVS primus, patria Romanus, vir optimus, in pontificatu egit, quū Longobardi iam fæuirent per Italiam, vrbi Romæ multum minitantes. Solicitudo pontificis exemit vrbem grauissimæ fami, qua ab Gothis laborabat. Occurrit ei æqua solicitudine pietas Tiberij Imperatoris. Post quatuor pontificatus annos emigrat.

66. PELAGIVS secundus, patria Romanus, in obsidione vrbis Romæ creatur pontifex.

tifex. Quum Imperatoris consensus per obsidionem requiri non posset, eam rem purgauit missus ad Imperatorem Gregorius monachus, diaconus ecclesiæ: qui in conspectu Imperatoris reuicit Eutychianum episcopum, vsque ad reuocationem erroris. Pontifex moritur, annis duodecim expletis.

GREGORIVS primus, natione Romanus, à Constantinopoli reuocatus, quum paternam eius domum pontifex in Xenodochium consecrasset, Pelagio penè inuitus, & pro indignitate, quam duxit, reluctatus sufficitur. Electus mittit ad Imperatorem literas, ne quouis pacto suæ electioni consentiret. Intercipiuntur à præfecto, & aliis datis sub nomine cleri & populi confirmatur. Multa scripsit, plurima reliquit sanctitatis & doctrinæ monimenta. Præsidit annis pene XIIII. emigrans. 67.

SABINIANVS succedit, homo obscurè natus, incertum quo loco. Actis sanctissimi prædecessoris detrectauit, ostentationem & inanem profusionem attribuens sanctissimo ac piissimo pontifici. Statuit tamen, vt horæ in ecclesiis distinguerentur, ignis in lampadibus semper esset. Anno secundo pontificatûs, nec dùm exacto, decessit. 68.

BONIFACIVS tertius, patria Romanus, vir ea sede dignus, à Phoca Imperatore obtinuit, vt Romana sedes etiam Imperiali decreto præponeretur Constantinopolitanæ: tumescentibus illis pontificibus, quòd cum Imperio prima sedes translata esset. Sed Imperator declarauit, quod Christus firmauit. Nondum expleto anno, rebus excessit humanis. 69. *Romana sedis primatus.*

BONIFACIVS quartus, natione Marsus, patria Valerienſis. Hic templum Pantheôn ab Imperatore impetrauit, vt in honorem D. Mariæ pro Cybele, & omnium martyrum pro omnibus idolis, nomine dedicaretur. Domum paternam Deo sacrauit, monasterium ibi constituens. Anno pontificatus XVII. emigrar. 70.

DEVSDEDIT, patria Romanus, tanta fuit sanctitate, vt obuium leprosum osculo curaret. Ferbuit illa ætate pernicioſus morbus, qui adeò deformauit homines facie, vt vix internoscerentur, lepræ aut elephantiæ proximus. Constituit hic, vt patrimus patrimam, aut filius eius, vxorem non haberet. Moritur post tres annos pontificatus. 71. *Cognatio spiritualis.*

BONIFACIVS quintus, natione Campanus, creatur pontifex, vir cælo dignus, & pontificio honore: in omnes benignus, præcipuè pauperes, in clericos integrè viuentes largus: dedit immunitatem ecclesiis, ne quis ad eas confugiens, extraheretur. Moritur pontificatus sui anno v. & omnibus collachrymantibus pro desiderio viri, apud S. Petrum tumulatur. 72. *Ecclesiæ, asyla.*

HONORIVS, natione Campanus, quum iniisset pontificatum, tempora vidit tranquilliora prioribus. Et ideo conuersus ad doctrinam & pietatem, mores cleri reformauit, templa restituit, ædem Petri æneis tegulis instruxit, ex Ioue Capitolino sumptis, & alia multa renouauit. Moritur anno pontificatus sui XIII. 73.

SEVERINVS, patria Romanus, pontificatui succedit, integer moribus, vita sanctus, doctrina illustris, vigil ad instauranda templa & viua & lapidea: nihil quod ad optimũ pertineret pontificem, prætermisit. Sed non erat longæua illi administratio: nam anno expleto cum duobus mensibus, emigrauit. 74.

IOANNES quartus, natione Dalmata, pontificatum iniit. Thesaurum reliquit Isacius apud ecclesiam Lateranensem. Eum pontifex ad pietatem impendit, redemptis inde plurimis captiuis. Vidit turbationem Longobardorum regum: qui quum essent Arriani, binos volebant in quaque ecclesia episcopos. Necdum duobus annis expletis in pontificatu, emigrauit. 75.

THEODORVS, patre episcopo Hierosolymitano, vir in omnibus perfectus, pietatis viscera pandebat ad omnes: constituitque in sacra vigilia paschalem cereum consecrari. Pyrrhum patriarcham Constantinopolitanum propter hæresim exauthorauit, & plerosque alios: templa instauraurait, & ornauit. Moritur anno 6. mense 5. 76. *Cereus sacer vigilia paschæ sit.*

MARTINVS primus, patria Tudertinus, Paulum Constantinopolitanum archiepiscopum monuit vt ab hæresi resipiscceret: contemnentem depositit. 77.

Iratus Imperator, iussit Papam captum mitti Constantinopolim: quod quum primò non processisset, secundò completur. Mittitur relegatus in insulam, vbi ante sanctus Clemens vixit. Ibi annis VI. mensibus duobus in pontificatu actis, moritur.

78. EVGENIVS primus, patria Romanus, sufficitur eo tempore, quo Petrus hæreticus Paulo simili Constantinopoli surrogatur. Qui etsi aliquanto melius quàm Paulus sentiret, puritatem tamen Romanæ fidei nec tenuit nec prædicauit. Hic primus monachos concluſit intra monasterium, cum antea vagarentur. Pontificatus sui anno secundo, mense nono moritur.

*Monachis septo conclusi.*

79. VITALIANVS, patria Signinus, oppido Volscorum, papa creatur. Hic regulam clericorum composuit. Cantum per ecclesias ordinauit, adhibitis consonantium organis. Oratores in Angliam mittit, qui fluctuantes in fide Christi confirmarent. Anno sui pontificatus XIIII. mense VI. moritur: ad concentū (vt confiditur) euocatus angelorum.

*Cantus Musicus.*

80. ADEODATVS, patria Romanus, ex monacho pontifex creatur, vir omni virtute præditus, moribus instituit ac templis sanctorum reformandis: monasterium sancti Erasmi in monte Cælio, vbi monachus vixit, à fundamentis instaurauit. Ad abolenda prodigia, quæ videbantur, supplicationes instituit. Annis 4. & aliquot mensibus expletis, excessit.

81. DONVS, patria Romanus, pontificatum iniens, pietati institit, tempora nactus duriſſima, quòd fulminibus & imbribus agri emarcuerunt. Rauennatem ecclesiam, à Romana per superbiam secedentem, reuocauit. Vestibulum S. Petri columnis exornauit primus. Anno quinto, mense quinto pontificatus excessit rebus humanis.

82. AGATHO, natione Siculus, ex monacho pontifex creatur: vir tantæ sanctitatis & humilitatis, vt obuium leprosum osculo dignatū, mox tactu carnis suæ mundauerit: neminem à se tristem dimisit. Constantinopoli synodum celebrauit, missis cò oratoribus, quum Imperatorem haberet æquo secum Dei zelo ardentem, Constantinum. Anno II. mense sexto moritur.

83. LEO secundus, natione Siculus, vir per omnia doctissimus, Latinè ac Græcè æquè sciens: adeò Musicæ peritus, vt hymnos dictaret. Instituit ne archiepiscopi pro vsu pallij quicquam persoluerent: quod vtinam hodie seruaretur. Sed alia sunt tempora. Non diu in pontificatu permansit, quippe qui decimo mense è vita concessit.

*Simonia Romanæ sedis.*

84. BENEDICTVS iunior, siue secundus, patria Romanus, insigni doctrina & morum sanctitate, Cuius electioni quum assensus Imperatoris de more peteretur, misit Constantinus Imperator, eius nominis quartus, Romam decretum, vt deinceps nullius expectato assensu, quem populus & clerus delegissent, mox pontifex haberetur. Mense decimo subtrahitur ecclesiæ.

85. IOANNES quintus, natione Syrus, creatur pontifex. Is primus ab Ostiensi, Portuensi, & Velterno consecratur, quem exinde morem successores tenuere. In ecclesia sancti Saluatoris, quæ Constantiniana dicitur, valetudinarius, libellum de Pallij dignitate composuit. Vix exacto in pontificatu anno, emigrauit.

86. CONON, Thrax genere, in Sicilia educatus, Romanæ ecclesiæ presbyter fuit, eo tempore, quo post Ioannem, de pontifice Romani & exercitus disceptarent. Diuino nutu partes dimittunt quibus studuissent, & in Cononem canitie & vultu venerabilem protinus consentiunt. Sed non fuit ei diuturnus pontificatus, mense vndecimo excedenti.

87. SERGIVS, natione Syrus, patria Antiochensis. In magna ciuium & militum altercatione, quū quæque pars suum proueheret, ambobus dimissis, Sergius creatur. Iustinianus secundus illi insidiatur, misso qui raperet: sed milites Italici prohibuêre. Constituit vt in fractione Dominici corporis, ter caneretur Agnus Dei. Anno XIII. mense octauo moritur.

*Agnus Dei.*

88. IOANNES sextus, natione Græcus, pontifex creatur, qui instaurandis & ornandis templis multum studuit, vir religionis amantissimus. Templum in primis

mis D. Petri exornauit. Ex ærario ecclesiæ multos pauperes redemit. Moritur pontificatus sui anno tertio, mense tertio sepultus ad Catacumbas Sebastianas.

IOANNES septimus, natione Græcus, patre Platone, pontifex creatur. Huius opus est in basilica Petri oratorium, cuius parietes opere vermiculato, patrum vultus ostendebant. Multas præterea basilicas picturis & statuis exornauit. Moritur secundo sui pontificatus anno, mense septimo. 89.

SISIMVS, vel (vt alij) Sosimus papa, natione Syrus, morbo & senio cõfectus. Podagra & arthritica ita laborabat, vt neq; manuum, neq; pedum officio fungeretur. Tamen in eo tanta spes de virtute fuit, vt alioquin defectus, pontifex deligeretur. Cogitauit instaurare vrbis mœnia: solis viginti diebus in pontificatu vixit. 90.

CONSTANTINVS, natione Syrus, vrbem Romam fame triennio laborantem, triennio cælitus iuuit. Iustiniano secũdo pro virtute adeò charus fuit, vt præmissis in mare triremibus, quò securus nauigaret, inuitaret Constantinopolim. Venit, excipitur cum gaudio: redit egregiè muneratus. Septimo anno sui pontificatus moritur. 91.

GREGORIVS secundus, patria Romanus, pontifex creatur. Cum prædecessore ad Imperatorem nauigauit. Ibi in disputatione Græcorum, doctrinam singularem ostendit. Huius opera, Germani pro magna parte ad fidem venere, misso Bonifacio, quem Moguntinum creauit archiepiscopum. Præfuit annis sexdecim: moritur eius anni mense nono. 92. *Germania recipit verbum Dei.*

GREGORIVS tertius, natione Syrus, omnium Græcè & Latinè doctissimus, tum creatur pontifex tantæ largitatis in omnes, præcipuè pauperes, quasi omnes ipse genuisset. Leonem tertium Imperatorem, imaginum hostem, excommunicauit. Instaurauit vrbis mœnia & templa, & Centumcellas iam neglectum oppidum. Anno x. pontificatus sui defecit. 93.

ZACHARIAS, natione Græcus, pontifex creatur, vir adeò dulcis, vt Longobardorum regem, ipse egressus inter Missarum solennia oratione permolliuerit, quòd pacis componendæ omne arbitrium in eum rex conferret: & posito regno, monachum profitetur. Pipinum, à Francis scitatus, regem facit. Annis decem & aliquot mensibus præfuit. 94. *Pipinus Francie regnum occupat.*

STEPHANVS secundus, natione Romanus, pontifex creatur. Is cum Longobardis luctamen magnũ habuit. Quum nullis placarentur conditionibus, in Franciam ad Pipinum descendit: quem quum Zacharias regem declarasset, ipse consecrauit, ac eundem in Italiam cum exercitu aduersus Longobardos precibus traxit. Anno v. mense i. moritur. 95.

PAVLVS primus, natione Romanus, germanus Stephani, meruit eiusdem esse successor, vir omni virtute præditus, & perinde cunctis amabilis, pius, solicitus, religiosus: qui nullũ omisit in sacro ministerio officium. Carceratis compatiens, multos suo ære redemit. Anno decimo, mense vno mortuus, sepelitur apud sanctum Paulum. 96.

CONSTANTINVS secundus, natione Romanus, quum plures ambirent ad eam sedem, ipse quoque à suis prolatus, consecratur Papa: sed temeritas consecrantis mox paralysi cęditur. Impleuit tamen munus pontificium per annum: tum à populo deiectus est, & in locum eius successor constituitur. Quidam eum inter pontifices non numerant. 97. *Pontifex violentia creatus.*

STEPHANVS tertius, natione Siculus, creatur pontifex ex monacho. Nam ibi disciplinam prædidicit: postea à pontificibus euocatus, maiora tractauit. Demum papa eligitur: & consecratus, concilio celebrato, abrogauit omnia gesta Constantini, præter baptismum & chrisma: & prouisum est in futurum. Anno iiii. mense v. moritur. 98.

HADRIANVS primus, patria Romanus, vir magni animi, Carolum Magnũ euocauit in Longobardos. Venit, vicit, & omnem Rauennatum exarchatum ecclesiæ dedit. Et quærimus, vnde ditata sit ecclesia? Vidit Roma Carolum Magnũ exosculantem vestigia eius. Anno tertio & vigesimo pontificatus, mense decimo, diem obiit. 99. *Ecclesiæ Romana aperit.*

100. LEO III. Romanus, præfuit ecclesiæ post Hadrianum. In hunc agentem institutas ab Gregorio Litanias, incurrunt Romani, lacerant, trahunt, cædunt, vulnerant, in carcerem claudunt, elabitur. Venit ad Carolum, reducitur. Venientem Carolum Romam, creat voluntate populi Imperatorem. Præfuit anno vno & viginti.

101. STEPHANVS quartus, patria Romanus, quum pontifex esset creatus, profi-
*Papa & regis Francie mutuum studiu.* ciscitur in Galliam, ad Ludouicum Caroli filium consecrandum Imperatorem. Adeò ex illo die Gallis inuiscerati fuere pontifices. Reuersus in Vrbem, mense septimo sui pontificatus emigrauit.

102. PASCHALIS, eius nominis primus, natione Romanus, pontifex sufficitur Stephano, nullo Imperatoris assensu. Misit autem oratores ad Ludouicum Imperatorem, eius rei culpam reiicientes in populum & clerum. Respondit Ludouicus, patrum instituta non esse violanda. Paschalis multa templa restituit & ornauit intra septem annos, quibus præfuit.

103. EVGENIVS, eius nominis secundus, patria Romanus, vir integerrimus, pontificatui succedit. Adeò rem frumentariam curauit, quasi omnibus pascendis natus esset. Pauperum maximam habuit rationem, pietatis & religionis primâ curam, multis pollens virtutibus. Quatuor annos in pontificatu peregit, emigrans ad superos.

104. VALENTINVS, & ipse natione Romanus, ex diacono pontifex deligitur, tanta fuit in eo expectatio felicis gubernationis. Nam sub prædecessoribus suis, viris præstantissimis, didicit quomodo se gereret in cura Reipublicæ Christianæ. Sed quadragesimo die pontificatus sui deficiens, multorum spem est frustratus.

105. GREGORIVS quartus, natione Romanus, sub Ludouico Imperatore pontifex creatur. Primi Gregorij corpus transtulit in eum quo nunc est locum. Festiuitatem omnium sanctorum calendis Nouembribus instituit. Hamburgensem archiepiscopum Ansgarium confirmauit. Anno XVI. pontifex rebus seculi relictis, concessit ad superos.

106. SERGIVS, eius nominis secundus, patria Romanus, nobili genere ortus,
*Papatum inuentibus nomen mutatur.* Os porci dicebatur: quo mutato, Sergius pro eo dictus est. Exindeque consuetudo mutandi nominis. Etsi à Petro inchoauerit, dicente Christo Simoni, *Vocaberis Petrus*: tamen vsque ad hunc non seruabatur. Ex hoc autem continuatum videmus. Sanctus hic pontifex, pietati semper studuit: tertio sui pontificatus anno mortuus.

107. LEO quartus, patria Romanus, creatur pontifex, vir sanctus & prudens, qui Sarracenis in portu Hostiæ cõgressus, eos repulit: ex manubiis eorum vrbis mœnia reparauit. Cinxit muro & propugnaculis Vaticanum, & dicta est ex eo ciuitas Leonina. Multa in omnes prouidentia, singulari sanctitate, anno octauo vitam cum morte mutauit.

108. IOANNES Anglicus, ex Moguntia mulier, mentita sexum, quum acutissimo ingenio, & promptissima lingua doctissimè loqueretur, adeò in se conuertit omnium animos, vt pontificatum adipisceretur: vno famulo sexum eius cognoscente. A quo compressa, prægnans efficitur: & fertur peperisse apud Collosseum. Anno secundo necdum expleto, in partu moritur.

109. BENEDICTVS tertius, patria Romanus, creatur pontifex, omnium admiratione virtutum dignus eo loco. Nam ea fuit humanitate & humilitate & diligentia in omnes, vt etiam pontifex mores non mutauerit. Exemplar viuendi, vt meritò Benedictus diceretur. Præfuit autem non tam diu quàm sanctè: nam secundo anno pontificatus sui defecit.

110. NICOLAVS, eius nominis primus, patria & ipse Romanus, pontificatum iniit præsente Ludouico secundo, qui Lothario patri successit in Imperio. Hic prædecessorem suis lachrymis & manibus tumulauit. Inuitus & absens eligitur: coronatur, & in sede Petri collocatur. Regem Bulgarorum ad fidem instruxit, ecclesiam Bremensem Hamburgensi coniunxit. Qua occasione in eum pontificum catalogum

catalogum descendimus, exinde reuersuri ad seriem inchoatæ narrationis. Nouem in annos præfuit Romana ecclesiæ. Mense nono moritur in pace.

HAMBVRGENSI episcopatui post Ansgarium præficitur secundus Rembertus, ex discipulo successor: quod diu antè prædixit magister, & futurum in episcopatu successorem, & (vt confideret) in regno Dei consortem. Vidit Ansgarius in Turhold, puerum deuotius se in diuino timore gerentem: assumpsit eum parentũ voluntate, & secum semper habuit: tale in eo prospiciens, quale olim Alexander, episcopus Alexandrinus, in Athanasio, vitro incomparabili, tum verò puero. Nam eadem die qua commendatus est Ansgarius, Rembertus eius diaconus à clero & populo est electus. Sedit in eo archiepiscopatu annis vigintitribus. Mox autem vt electus est, à Theodorico Mindensi episcopo, & Adalgario Corbeiensi abbate, iussu Ludouici regis, ductus est Moguntiam, vbi à clarissimo pontifice Lutberto consecratus, venit Corbeiam, vestemque suscepit cum professione monastica, cui Adalgarius abbas germanum & æquiuocum suum concessit Adalgariũ, qui postea & socius prædicationis, & hæres esse meruit dignitatis. Pallium pontificale suscepit Rembertus à Papa Nicolao: ferulam pastoralem (hoc est inuestituram feudalem) à Ludouico rege Germaniæ: quem nonnulli, temporum ignari, vocant Cæsarem. Legationis autem suæ officium, quod ad prædicandum gentibus verbum Dei, primùm à prædecessore suo suscepti est, & postea sibi iure successionis quasi hæreditarium prouenit, impigrè est executus: ipse quidem in persona (quoties occupationes aliæ sinerent) eidem legationi insistens: semper autem constitutos habens presbyteros, per quos & verbum Dei gentiles audirent, & solatium captiui haberent Christiani. Ad ecclesias inter ipsos paganos longè constitutas, quódque grauissimum erat, marinis discriminibus adeundas, quæ discrimina ipse frequenter sustinens, sæpe naufragium pertulit, sæpe etiam alia pericula sustinuit. In diebus suis Sigefridus cum fratre Haldano regnauit in Dania, qui etiam munera Ludouico regi miserunt, gladium videlicet capulo tenus aureum, & alia multa, pacem rogantes: & missis vtrinque ad Eugdoram fluuium mediatoribus, pacem firmam, per arma (iure gentis & ritu) iurauerunt. Erant & alij reges Danorum. nam regnum ea tempestate scissum erat in plures partes, qui piraticis excursionibus eo tempore Gallias vexabant: quorum erant præcipui, Horicus, Orduicus, Godfridus, Rodolphus, & Iwarus tyranni. Crudelissimus omnium fuit Iwarus, filius Lotperti, qui Christianos vbique per supplicia necauit. Verba posui annalis, ad fidem antiquitatis.

*Indoles egregij postea iuris episcopi.* CAP. 2.

*Dania à multis regibus tenetur.*

QVVM Ludouicus rex Germaniæ, Ludouici primi Imperatoris filius, ad annũ à Christo, DCCCLXXVI. moriens deficeret, vir fortis, & rex victoriosus (qui vbiq; per Germaniam victorias suas circumtulit, Bohemos, Polabos, cæterosq; Wandalorum populos tum insolescentes repressit, ad quemque ictò fœdere nationes Aquilonis pertinuerunt) eo sublato, *Effera barbaries ruptis regnabat habenis*. Tunc enim Danorum & Normannorum excursionibus Saxonia vastata est. Quam rem Bruno dux Saxoniæ, de genere Wedekindi, germanus Tancquardi (quorum pater Ludolfus) corde tenus miseratus est, disposuitq; grassantib. occurrere. Sed primùm nobis expressiùs dicendum est, quis & vnde fuerit ille dux Saxonię. Rex Ludouicus, Ludouici Imperatoris filius, quum inter fratres ditionem partitos, ipse Germaniã esset sortitus, nobilitatẽ suis gradibus ipse omniũ princeps recognoscebat. Igitur ex Wedekindo Wichbertus, ex illo Walbertus, inde Ludolfus, sunt progeniti: ex Ludolfo Bruno, Tancquardus, Otto, nascuntur. Huius Brunonis nomen refert, & diu seruat, fundata inclyta ab eo ciuitas Brunswicensis, quasi Brunonis vicus, aut potius sinus, qui lingua Saxonum sonat *Wyck*. Is dux futurum tum prospiciens eruptionem, simul iam per famam accipiens, infinita multitudine gentes Aquilonis Christianitati plurimum infestas, Albim fluuium transisse, iamque agmine magno parare excursionem in Saxoniam, ad extinguendũ omne nomen Christianum in ea: quia murum eius, illustrem regem Ludouicum audierant concidisse. Ibi tum Hamburgi oppidum (in quo metropolis erat ecclesia) prima semper excipiens fulmina sæuientium barbarorum, vastatum atque euersum est, ex-

*Saxonia à Barbaris Christianis hostibus vastatur.* CAP. 3. 876.

*Brunswicum vrbis nomen habuit.*

tincto iterum populo Christiano. Exercitum igitur dux adunauit duodecim comitibus (quorum tamen vocabulum necdum in vsu erat receptum illa tempestate) ac multis in circuitu episcopis in aciem pro Christo militaturis, alacriter concurrentibus. Occurrunt ergo fideles Christiani, duce Brunone, perfidis idololatris, certi vel pro Christo mori, vel tantam repellere barbariem perfidorum. Graue prælium, vbi conuenére, in loco Ebbeckstorp, conseritur, & diu fortiter inimicis Christi resistitur: sed vicit ferox & infinita barbaries, totumque Christi agmen ad vnum concidit: tantam sibi sanctorum frequentiam martyrum Christo in suo sibi sanguine consecrante. Quo loco pugna sit gesta, annales nostri non loquuntur. sed aliis ex testimoniis fide dignissimis colligitur, quòd in loco Ebbeckstorp (vbi nunc sanctimonialium sub regula D. Benedicti sancta viuit congregatio) indubitanter accipimus esse tumulum sanctorum, eodem in loco quo pugna est patrata. Nam annales ecclesiarum Mindensis, Hildesemensis, Verdensis, & quarundam aliarum testantur, pro suis quanque pontificibus mississe, vt corpora in ecclesias transferrentur honorificè tumulanda. Sed cum in aceruum congesta sanctorũ martyrum corpora, indiscreta permixtione discerni ac dinosci haud poterant: dispensante diuina miseratione, vt sanctorum reliquiæ illo in loco vnà colerentur, quando vno in prælio decertantes, ibi vitam cum sanguine posuerunt. Erubescãt fabulatores, qui anilibus næniis inhærentes, ab Hamburgo illas sanctorum reliquias esse adductas in cum locum, mentiuntur, ex illa strage quam ibi peractam ferunt: in qua Benedictum summum pontificem fingunt martyrio cum multis coronatum. Nam nihil tale contigisse Hamburgi in Benedictum, sub Adaldago archiepiscopo Hamburgensi monstrabitur.

*Christianorũ clades.*

CAP. 4. OPERÆPRECIVM est hoc in loco lacerare fabellam, cuius incidit mentio, per veræ historiæ ignorantiam confictam. Eam enim veritatis loco multi buccis inflatis, magno ore sonant: iamq; temporis diuturnitate conquisiuisse authoritatẽ creditur & fidem. Volauit nænia in parietes, picturis cõmissa. Efferunt statuas de ligno excisas Benedicti, velut martyris pro Christo cæsi, qui (vt ostendemus) in pace quieuit: quod & annalis, & cælatura sepulchri testatur extantis. Multa sunt autem, quæ catholicæ veritatis amatores inuitant ac stimulant, ad propulsandum ab ecclesiis fabulosas narrationes: vel quòd superstitiosas pariũt sinceræ fidei perturbationes: vel quòd zizania sunt, quæ inimicus homo, cæteris dormientibus, superseminauit, vt eorum falsitate detecta, illa quoq; fabulosa putentur, quæ in petra firma consistunt: vel quòd irrisionibus nos exponunt eorum, qui simplicitati fidelium illudunt, omnia fabulosa recipienti pro veris. Barbari, inquiunt, pro suo sensu, somnia pro rebus colunt. Danda est ergo opera, vt furfures à medulla tritici, paleæ seperentur à granis, veritas segregetur à figmentis. Verũ est, quòd in ecclesia Hamburgensi multorum requiescunt corpora, pro Christo trucidatorum. Quoties enim furor impius, inflammatus Christianitatis odio, sęuiebat in Christicolas, primi erãt Hamburgenses ad supplicia, siue à Danis siue à Wadalis sæuitia intentaretur. Hoc à Wilsis sub Magno Carolo, anno imperij eius decimo, siue à Wandalis passi sunt. Wilsi enim Wandaliæ pars sunt. Hoc deinde à Normannis, à mari per Albim ascendentibus, in morte Ludouici Imperatoris pertulerunt, viuente, & ibi agente archipręsule Ansgario. Hoc postea perpessi sunt à Wandalis, duce Godschalco, eorum principe. Idem à Critone, Lubecæ vrbis fundatore. Hoc à Danis, sæuientibus in morte magni Ottonis, legimus contigisse, vt magnus semper numerus catholicæ plebis in Hamburgo trucidaretur. Verum est, Benedictum quintũ, Romanũ aliquando pontificem, eum in locum aliquando peruenisse, sub Ottone Imperatore eius nominis primo, Adaldago Hamburgensi archiepiscopo, hîc etiã vitam terminasse, atque in choro maioris ecclesiæ, tumulo eminente conquiescere. Hæc & annales nostri, & tumuli inscriptio liquidò contestantur. Sed commentitium est, Romanũ pontificem Benedictũ, nescio quem, sub Ludouico Imperatore primo, aut aliàs quãdocunq;, cum cardinalibus in Hamburgũ descendisse: quum in eius comitatu fuisse tot põtifices, duces, comites dicantur. Fabulosum est, papam hoc loco cum suo clero, duces tum tanta nobilitate, vna cæde fuisse trucidatos.

*Et historiæ & picturæ suis mendis non carent.*

*Vtinam rectè: nubigne detur.*

trucidatos. Id verò luce clarius, multis documentis vanum ac commentitium esse monstrabimus.

QVVM'QVE multa in eam rem nobis succurrant ostendenda, nihil præstantius debet haberi, quam quòd fabula ipsa suo se potissimùm mucrone confodit: ita ineptissimus homo, quisquis ille fuit, compegit figmenta, vt nulla ex parte neq; veritati, neq; sibi quadrent. Imperitus enim fuit, & cæcus. Inde factum est, vt omnes lecturos, nihil videtes existimaret: more struthionis, quem in venatione fatigatũ, caput ferunt occulere, vt quum ipse neminem viderit, à nemine se prorsus videri stultus arbitretur. Nobis quidem pro reiicienda fabula satis esse debuit, quòd fidelissimi annales illorum temporum insigniora testãtes, rem tam nouitate quàm sua magnitudine insignem, silentio non præteriissent, quum multa minora signârint. Quanquam non defuturos esse sciam, qui dicant, non esse omnia, quæ gesta sunt, etiam scripta: nec posse ab authoritate negatiuè duci legitimum argumentũ. Quis est autem tam vanus ac leuis, qui hoc possit arbitrari, omnes vel minimas rerũ mutationes esse descriptas illorum temporum: illam verò rem tam ponderosam & stupendam, si vera esset, pressis labris præteriisse scriptores? Sed ista putentur infirma, si non grauioribus subuertatur vanitas argumentis. Quid, quòd omnium Romanorum pontificum ingressus, progressus & obitus, fidelissimis mandati tenẽtur historiis? Ergo quum ex Romanis pontificibus, præter Benedictum quintũ, huc missum in exilium, & hîc dolore animi, nõ martyrio sanguinis, defunctum, nemo memoretur pontificum Romanorum, qui sanguinem pro Christo fuderit in Germania: de cœlo decideritoportet ille Benedictus, quem cum tot cardinalibus, pontificibus, ducibus & comitibus, hoc loco fabulantur trucidatum. Ego fabulosæ narrationis videre mihi videor occasionem. Vidit iste nugator, quisquis fuit, in choro maioris ecclesiæ esse tumulatum, qui titulum haberet summi pontificis. Nec legerat somniator ille in annalibus, quòd Ottonis primi tempore Ioãnes duodecimus Romanam sedem pessimo administrabat exemplo: ita vt rogatus a cardinalib. Imperator Romam aduolaret, concilium aduocaret, in quo deposito Ioanne, homine impurissimo, Leonem octauum in sede Petri patres collocarẽt. Quumq; pro regni negociis Imperator Vrbe declinaret, Romani, præsertim Ioannis amici, tumultuantes, deturbato Leone, Benedictum quintum, iam mortuo Ioanne, surrogarũt. Sed reuocatus Imperator ad vrbem, armis adegit Romanos, Leonem in suam sedem reponere, Benedictum dedere: quem ille acceptum, Adaldago Hamburgensi archiepiscopo Imperatoris cancellario (qui tanto iam tempore cum Imperatore in Italia fuisset) ad ecclesiam suam post annos quinque redeunti Benedictum commendauit, vt apud se illum, quoad viueret, seruaret. Ita factum est, vt archiepiscopo ad ecclesiam suam reuertente, relegatus Benedictus huc perduceretur, vbi breui consumptus dolore animi, in pace quieuit, non gladio cæsus: non cum cardinalibus, episcopis, ducibus, comitibus, martyrio coronatus. Ista, inquam, non legerat, quisquis erat ille nugator. Excogitauit ergo improbus suæ stultitiæ probabilem narrationem de suggestione huius loci fidelium, & descensu tot militum cum pontifice: sed hæc omnia tam indoctè, tam tumultuosè verbis & sententiis emendicatis & impertinentibus: ita vt qui illum doctè scribere arbitrantur, se ineptos & indoctos fateantur esse, necesse sit. Ita interdum turget, nonnunquam iacet inconcinna & ridicula fabula: quæ neque temporum, neque locorum vllam habet rationem.

CAP. 5.

At de Petro Romam profecto Lucas nouit.

A quibus pontificatus mores loco deberat.

SED iam illud videamus, quàm manifestè subuertat seipsam fabulosa narratio, vt nullo deforis esse opus videatur adminiculo, ad reuincendam falsitatem. Prætereundæ sunt ridiculi hominis sine numero ineptiæ, quas in omni narratione serie continuat, vt vix possit discerni, quid sit altero ineptius. Pulchre sibi videtur ordiri, quum ecclesiam inuitat ad laudem de triumpho martyrum, vt ridiculo corpori alienum caput adaptet:

CAP. 6.

Fabula de Benedicti martyrio refutatio.

*Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.*

Tumultuationem verborum nihil est opus commemorare: ipsa se prodit. Magnũ aliquid, & sine exemplo præcipuum decus antiquitatis sibi videtur introducere:

vrbem Hamburgum, olim Bochburi Wandalico vocabulo, quod sonat ciuitatem Dei (Hammonem enim veteres pro deo coluêre in Lybicis arenis. Sed quid hoc ad regionem Aquilonis? Ostendimus autem aliis locis, huius vrbis appellatio vnde sit) dicit appellatam: quasi non intelligamus, vicinos Wandalos sua lingua inter gentiles suos vrbem sic appellasse vicinam, quæ ab Saxonib. incolis & propinquis Hammaburgum diceretur. Adiungit, duo inibi fortalicia siue arces extitisse. Nam castra, sunt militantium stationes sub diuo. Audierat ille de arcibus, sed tempora non attendit. Et ideo liberum sibi putauit, fabulam in quæcunq; tempora transferre. Habent annales nostri fidelissimi (quos iste nugator aut non vidit aut contempsit) sub Carolo Imperatore præsidium fuisse Gallorum militū in ea vrbe, sub præfecto, qui proculdubio sibi munitionem firmauerat aduersus incursiones barbarorum. Rursus sub Conrado Imperatore, post annum Christi millesimum, paucis additis, Bernardum Saxoniæ ducem, Hermāni (quem primus Otto sublimauerat) nepotem, fundasse arcem, imo instaurasse subuersam, Hamburgi, ad Alstriam riuū (erat enim vrbs Saxoniæ principi tum subdita) Beselimum quoq; archiepiscopum Hamburgensem, præsidium sibi & posteris iuxta ecclesiam firmasse. Hoc iste fabulator ascribit temporib. antiquissimis. Sed ineptias, quę errorem pernicioſum non habent, contemnamus, hoc solùm commemorantes, quod ineptus homo principium suæ fabulæ facit, venisse huius loci fideles Romam, & pontifici calamitates suas ac suorum ostendisse: quasi pateant aures summi pontificis peregrinis omnibus, deuotionis gratia vrbem inuisentibus. Sed fac esse. Cur non, inepte, vicinum sibi piissimum Ludouicum Imperatorem, cuius vis esse tempora, implorabāt? qui & potuit, & pro pietate voluit, rebus Germanicis consulere melius quàm Romanus pontifex? Nam quis credat, papam ad postulationem priuatorum hominum, cum exercitu in extremas partes mundi descendere? Si non fuit ea tum maiestate pontifex, qua nunc est, quomodo contraxit quem fingis exercitum? Sin erat iam tunc ea potestate, qua nunc præsidet Christianismo, cur non magis cohortatus est Imperatorem & vicinos principes, vt rebus cōsulerent, potius quàm ipse cum cardinalibus descenderet, imperitissime mortalium? Non est, nec vnquam fuit cōsuetudo Romani pontificis, longè ab vrbe peregrinationis gratia discedere. Scruauit Petri sedem semper, quoad licuit à ciuilibus tumultibus, Petri successor legitim⁹. Passus est se pontifex ab omni orbe adiri, publica dum fungeretur legatione qui venerat. Nunquam, nisi coactus, papa ab Vrbe longè est peregrinatus.

*Papæ aliquando non ea potestas quæ hodie*

CAP. 7. NVNC illud videamus, potuerit ne ea res sub Ludouico primo Imperatore (vt memorat fabula) fieri. Certè illius temporibus nullus Benedictus in Romana sede fuit, teste Eusebii continuatore. Deinde Ansgarius noster, ad nouissima Ludouici tempora, ac diu pòst vixit. Vnde conuincitur, si sub Ludouico primo res sit acta, vidit ea tempora Ansgarius: quod nusquam in eius vita diligētissimè scripta legitur. Nec potuit ante Ansgarii tempora sub eodem Ludouico fieri, quum nullus (vt diximus) ibi erat Benedictus per eam tempestatem: nec potuit res tam grandis sine commemoratione præteriri. Sed te quæso, fabulator, cur non Ansgarius inter tot occisos pontifices & principes occubuit? An potuit papa sine archiepiscopo loci stare? aut ita inurbanus erat Ansgarius, qui venienti ab Vrbe summo pontifici nec occurrerit, nec affuerit tanto hospiti? Credimus papam celebrasse diuina, vt fabulatur, & non aduocasse loci pontificē? Si aderat, quomodo elapsus est inter tot millia (vt fingis) barbarorum? Si non est elapsus, pro martyre est colēdus. At tenemus, quo tēpore quóve loco in pace quieuerit. Idem de Remberto, aut quouis alio nostrorum pontificum, cuius dicis fuisse tempora, cōtendimus. Erubescat impia stultitia, & in vmbras abscedat cum sua fabula. Prætereo narrationem de Imperatore contendente Romam, vt papam educeret. Imperitissime omnium, Imperatores ni si grauissimis de causis, cum exercitu non scandunt alpes. Tu autem deducēdi pontificis gratia vis Imperatorem transisse cum agmine alpes, petiisseq; Romam salutandi eius causa. Bilem mihi mouet ineptissimi hominis fabula. Quum autem pontificem deduxisset in Germaniam, tum eum dimisisse in pace, vt transiret vltrà in Saxoniam. Insanit infelix fabulator, neque locorum neq; temporum habēs vllam rationem.

*Romæ Romanorum Imperatoribus iuxta adeunda.*

rationem. Facilius enim erat, papam deducere per Germaniã in vltima Saxoniæ, quàm transire Romam, & deducere per Italiam. Primum erat pene necessarium ad hostes eunti, alterum omnino superuacaneum. Sed mentienti tam impudẽter, omnia sunt cæca: frustraq; nitimur in beluam, non verbis, sed flagris castigandam. Transeo fabulationem de partu monstruoso biennalis fœtus, quamuis videam vn de sit emendicata. Non enim vim habet ad rem instituta. Quod verò de sexaginta presbyteris commemorat, miserabili cruciatu exanimatis pro Christo, rem veram narrat: sed loca & tempora confundit, omnia licentiosè permiscens, quasi nõ posset argui falsitatis pro temporum vetustate. Commemorant fideles annales nostri, sub Ottone (qui peruenit ad annum Christi millesimum, annis pene ducentis post primum Ludouicum) incentore quodam Godscalco magni cuiusdam Wandalorum principis filio, in vltionem à Saxone occisi genitoris, exarsisse in Christianos persecutionem sæuissimam: ipsosq; vbique à Wandalis trucidatos miserabiliter, præcipue in ciuitate Aldenburg, quæ tum florebat in littore maris Baltici: (manent exigua vestigia veteris gloriæ) vbi inter multa occisorum millia, sexaginta presbyteros seruatos ad ludibrium, ac per plateas oppidorum Wandalicorum, quæ tum florebant (nunc perierunt) miserabili exemplo excarnificatos pro Christo. Ex Aldenburg, non Hamburg, sub Ottone tertio, non Ludouico primo. Nec tamen negauerim, eam tempestatem sæuiendi effugisse Hamburgum. Peruenerant eò grassatores Wandali, & quos inuenerant, iuxtà omnes contrucidarunt. Ita factum est, vt multorum Christi martyrum in Hamburgo reliquiæ seruentur. Cætera videamus: nihil enim opus est rebus manifestis diu immorari.

*Wandalorum in Christianos sæuitia.*

CAP. 8.

DEBET scribenti veniam candidus lector, quòd lacerandæ fabulæ diutius immoratur. Hoc enim pertinacia multorum requirit, exosculantium hanc fabellam, & pro veritate turgentibus buccis eam efferentium. Ait fictor noster, ad Benedictum quartum venisse ex hoc loco fideles, cum querimoniis super incursu barbarorum: papam commiseratum, literas dedisse ad Ludouicum Imperatorem, vt expediret armorum auxilia pro his locis. Vide quàm insigniter quadret narratio. Benedictum quartum coniungit primo Ludouico: qui non modò ætate, sed integro distant seculo, hoc est annis pene centum. Nam iste quartus Benedictus turbulentissimo Italiæ statu vixit: quando non modò cum exercitu non egredi, sed vix in vrbe consistere potuit, priusquam per Ottonem res primùm Italiæ pacarẽtur. Quòd si exemplantis aut scribentis prætendis errorem, pro quintum legi quartum Benedictum, accipio confessionem: recumq; dico, quintum Benedictum venisse Hamburgum, sed exulatum, non pugnatum: ex dolore animi confectũ obiisse, non martyrio coronatum: teste etiam scriptura monumenti, quæ non gladio cæsum, sed quum reuocandus esset, mortem obiisse commemorat. Sequitur egregia illa Ludouici Imperatoris alacritas, occurrentis summo pontifici cum exercitu Romam. Vide quam insignem excogitauit artifex noster historiam. Imperator in Germania vel Galliis tum potissimùm degens, transiturus in extremã Saxoniæ cum exercitu, primò vadit Romam, deducturus scilicet papam in castra. Ineptissime omnium, ita es stolidus, vt neq; locorum, neq; temporum vllam habeas rationem? Tam tibi facile visum est, cum armato exercitu Alpes penetrare, pertransire Italiã, quasi de palatio procedat Cæsar obuius pontifici in atrium? Industria singulari hoc à te excogitatum est, vt narrationem faceres verisimilem, videlicet non fuisse cum tanto comitatu egressum pontificem, nisi ab Imperatore deduceretur. Ita non pudet figmentorum, vt de tuo sensu, non de rerum pondere, omnia diiudices. Imperatores nostri non nisi maximis ex causis, alpibus transcensis, Italiam penetrarunt. Tibi salutandi tantùm pontificis gratia, tantum potest susceptum videri laboris? Deinde quia venit in mentem, non in ea strage Hamburgica cecidisse Ludouicum, separauit in ipsa peregrinatione Imperatorem à papa: & illum, in vrbe Roma iam accepta licentia à pontifice, remissum dicit ad propria, pontificem verò cum duobus cardinalibus, & cum exercitu Imperatoris Alemanniam petiisse. Ineptissimum caput, neque regionum neque prouinciarum vllam habet rationem.

*Nõ solum hic accepit fabula prisca fidem.*

*Imperatores ab imperii sede exulant.*

Papa iturus in Alemaniam cum exercitu, à se dimittit Imperatorem, credo nauigaturum in Gallias. Dimittit, inquit, in suas partes: falsò, ineptè, pueriliter. Falsò quidem, quòd nunquam Ludouicus & Benedictus vnà vixerunt. Ineptè, quia eodem ab Vrbe itinere transeundum erat in Alemaniam & Gallias per alpes, quas quum Germania tenebat ditione Ludouicus. Pueriliter autē, quòd sine ratione facit Imperatorem accedere Romam, quem papa descensurus in Germaniam, ex itinere facilè compellasset occurrentem. Inde verò, vbi catalogum facit auxiliorum, quæ papa recensuit ad Albim fluuium, refert qui pontifices vicinarum partium fuerint in comitatu, Didericum, Dodonem, Rembertum, & reliquos. Ex vno subuertuntur omnia. Si aderat Rembertus archiepiscopus Hamburgensis, quomodo Ludouicus poterat superesse, quem Anſgarius, Remberti decessor, viderat tumulari? Et quod somniauit, si aderat cum cæteris, cæsus est, & martyrio coronatus. Errat ergo nostra ecclesia cum Bremensi (in qua tumulum habet) quæ illum in choro celebrant confessorum, tenemusq; locum & tempus exitus eius. Sed reuera Rembertus nō aderat. Fingit ergo, imò mentitur fallendi animo, iste fabulator. nam Remberti tempora non sunt sub primo Ludouico, sed secundo, Lotharii filio.

CAP. 9. IAM verò videamus vnde sit natus error. Nam cædem multorum pontificum cum Brunone duce Saxoniæ, audierat iste nugator: nam legisse illum quæ scripta sunt, non credo. Et quoniam descendisse papam audierat Hamburgū, & ibi tumulatum, confundit res, loca atque tempora: & confingit cæsum papam cum exercitu Hamburgi, quem in locum venisse papam potuit vndecūq; intelligere. Et quoniam rem illā de cæso cū exercitu pontifice in Hamburgo, pro cōperta habuit, adiecit mendacia, Romanos voluisse suorum reliquias in Italiam reducere, sed in Ebbeckstorp currus immobiles constitisse, nec potuisse loco moueri. Pro indignitate fabulæ nauseat succrescit scribenti & fabulam retexenti, quòd ita ausit impudenter mentiri in luce clarissimæ veritatis. Iam euidentibus testimoniis constat, in loco Ebbeckstorp commissam cædem in exercitum Christianorum à Danis, quum dux Saxoniæ Bruno cum omnibus pene episcopis Saxoniæ & nobilitate plurima, pro Christo caderet, in eodem loco tumulatus. Inde verò euelli tentas reliquias, de loco moueri non potuisse, hæc in archiuis dicti monasterii scripta seruantur. Et quis vnquam audiuit, Romanos, quorum vrbs reliquiarum sanctorū plena est, vnquam egressos ad tertium lapidem, pro sanctorum cineribus inferendis? Copia facit eos rem minus pendere. Nullus Romanorum aut Hamburgi aut in Ebbeckstorp cęsus est. Quid ergo attinuit, eos inde reliquias sanctorum afferre? Omitto reliqua huius fabulæ commenta, quæ nulli fidem facere, sed mediocriter doctis risum possunt commouere: tam absurdè cōtexitur fabulosa narratio. Piget autem plura percurrere, in quibus nihil est quod non indignitatem & stomachum concitet viro graui. Contempta igitur & reiecta fabula, qua seipsam (vt mos est falsitati) de vanitate conuincit atq; confodit, veritatis narratione conrenti simus. Ho noremus sanctos martyres, quos pro Christo sanguinem legimus impendisse: non fingamus nobis idola, quæ nunquam extiterunt. Benedictum quintum, apud nos exilio defunctum, Romanam quondam sedem, pulso Leone octauo, fatemur occupasse: sed in plenitudine potestatis consedisse, Romanæ negant historiæ. Exilio relegatum huc peruenisse, loquuntur cum nostris: martyrio autem coronatum, & illorum & nostri annales pernegant. Ostendimus erroris originem, deteximus apertam fabulæ vanitatem. Si quis autem postagnitam veritatem fabulis delectatus, in illis permanserit, agnoscat in se Apostolicam impleri prophetiam, *Insabunt*, inquit, *tempora periculosa, quum à veritate auersi, ad fabulas conuertentur*. Nemo sibi blandiatur de authoritate veterum: quibus etsi fabula displicuerit, non habebant tamē vnde poterant falsitatem eius coarguere. Sed ætate nostra crebrescentibus literarum monumētis, inexcusabilis torpor est in fabulis sciētes prudētesq; permanere.

*Fabulæ miraculorum ferax.*

*Reliquiæ Romæ copia vilescunt.*

*Grauissima admonitio.*

CAP. 10. SED hoc interim vsi diuerticulo, non sine fructu, ad Rembertum nostrum reuertamur. Quum ille per sua tempora in operibus pietatis plurimum exerceretur, præcipua illi cura fuit de redemptione captiuorum. Quumq; plures tenerentur à Danis aut Wandalis, quàm illius possent ære redimi, sacra etiam vasa distraxit, & redem-

redemptioni impendit miserorum: sanctius arbitratus, pretiosas Christo animas in libertatem statuere, quàm aurum intra sacrarium congerere. Tantus autem turbo tunc à Danis atq; Normannis incubuit regionibus, vt non modò Saxonia, sed & Frisia inuiis paludibus inaccessa popularetur: Traiectum ciuitas excisa. Sanctus Rabodus vrbis episcopus, persecutioni cedens, Dauentriæ sibi constituit mansionem. Quo tempore iidem grassatores Coloniam & Treuiros incenderunt, Aquisgrani palatium Magni Caroli iumentis suis stabulum sternunt, & in ea vastitate locus permansit per annos octuaginta, vsque ad ætatem magni Ottonis. Moguntia propter eorundem hostium metum cœpit instaurari. Vrbes cum ciuibus, episcopi cum totis sunt obruti populis. Illustres ecclesiæ cum plebe concurrente incensæ. Hæc tragico digna boatu, nos perstringentes breuiamus. Vnum verò memorabile in laudem sancti Remberti non prætereundum, quod Bauo Corbeiensis abbas de sui temporis mirabilibus actis perscribit. Quum, inquit, nostro tempore grauis barbarorum irruptio in omni pene Francorum regno immaniter debacchare-tur, contigit eos diuino iudicio ad quendam Frisiæ pagum peruenire, qui in remotis ac mari magno vicinis locis situs est. Nordwide locum vocant incolæ, quē tunc euertere barbari sunt aggressi. Erat in eo loco Rembertus episcopus, cuius adhortationibus & monitis confortati agricolæ, & regionis indigenæ Christiani, hostibus sunt congressi, & prostrauerunt ex illis XM. CCCLXXVIII. Plures etiam, dum fugæ quærunt præsidium, in transitu fluuiorū enecati. Cuius rei miraculo per tempora multa, merita sancti Remberti penes Frisones egregia, & nomen eius singulari quodam gentis excolitur desiderio: adeo vt collis, in quo sanctus orauit dum pugnaretur, perpetua cespitis viriditate notetur. Multis præterea sanctū suum miraculis Dominus etiam viuentem illustrauit. Nam oratione sua tempestatem sæpe maris compleuit in illo. Sed & filium regis Franciæ à dæmonio liberauit: vbi multis adstantibus episcopis, spiritus immūdus sæpe ex ore vexati clamabat, Rembertum inter eos solum dignè commissum absoluisse officium, ipsumque sibi esse cruciatui. Ille mendacem & patrem mendacii protestatur. Quem dæmonio liberauit, Ludouici Germaniæ regis filium esse Carolum multi tradunt, qui nouissimis Remberti temporibus regno depositus, Arnulphum Germani sui filium accepit in Imperio successorem. Francorum historia ea gesta memorat in Francofordia, anno regis Ludouici XXXIIII. quem annales antiqui Cæsarem vocant, non quia Romanum aliquando administrarit imperium, sed quia in diuisione limitū inter fratres hoc illi honoris gratia attributum est cognomen, quasi secundàm à fratre Lothario Imperatore Augusto gereret dignitatem. Solebant enim aliquot seculis dici Cæsares, qui sub primis Augustis proximam tenerent administrationem. Nam Diocletianus commilitonem aliquando suum Herculeum Maximianum, primò Cæsarem, postea creauit Augustum: & ambo iam Augusti faciebant Cæsares Maximinum atque Constantium: quod Italorum narrationes explanant.

*Aurum ecclesia habet 12. q. 2.*

*Bemberti miracula.*

*Ludouicus Cæsar, nunquam tamen imperator.*

MOVET fortasse lectorem, quum sancti patres Ansgarius atque Rembertus, crebra legatione prædicantes in Dania atque Suedia, Christi fidem amplificarent, erectis per regna & prouincias ecclesiis, ac consecratis inibi pontificibus: quomodo ex illis regnis iam Christi iugo mansuefactis, tanta est facta eruptio barbarorū, Christianismum persequentium. Certè rei nouitas in religione, & regnorum amplitudo, facilè ista fieri sinunt, vt alii Christo credentes, domi sederent quieti: alii indomitis ceruicibus, tanto æstuarent acrius, quanto dolerent, propulsis antiquis suæ gentis superstitionibus, Christi fidem vbiq; iam conualescere. Quippe dulcedine prædæ iamdiu innutriti, non facilè animum religioni subdidere, nec à consuetudine latrocinandi diu poterant dimoueri. Ad Rembertum reuertamur. Erat ille cum Moyse vir mitissimus, qui cum Apostolo omnium infirmitatibus compateretur, præcipuam curam habens in eleemosynis pauperum, & in redemptione captiuorum. Nam quum quadam vice in regionem Danorum peruenisset, vbi ecclesiā nouellæ plantationis visitabat in Sleswico, vidit multitudinem Christianorum catena trahi captiuam, quos per litora digressati, aut in ipso mari nauigantes

CAP. II.

*Dania iam Christiana, persecutores tamen protulit.*

Dani ceperant. Quo in loco duplici miraculo, & catenam orationeperfregit, & equo in redemptionem miserorum tradito, captiuos laxauit, placauitq; feroces animos barbarorū. Sunt & alia multa, quæ de sancto viro copiosè in vita eius sunt exarata: in quibus & illud est memorabile, quòd presbyteri nuper defuncti animam (quia sic in visu apparens supplicauit) XL. dies in pane & aqua ieiunans, à tormentis absoluit. Prædecessor eius quum quatuor fundasset cœnobia, ille vnum addidit in solitudine Bucken. Cæterùm omnium vigilem solicitudinem implens, Hamburgensis cathedræ præcipuam egit curam, tam fratribus quàm pauperibus necessaria ministrans. Xenodochium Bremæ, quod ad sustentationem pauperū ab Ansgario est institutum, ipse insigniter auxit: & non modò in suo episcopatu, sed vbicunque erant pauperes, alimoniam illis cum omni vigilantia curauit exhiberi, nobile posteris verbum exhortationis relinquens. Non est, inquit, hæsitandum, cunctis subuenire pauperibus: quia in quo sit Christus, seu quando ad nos venit, ignoramus. Eleemosynam verbi incessanter omnibus ministrauit: in quod opus dicta S. Gregorii sæpe replicauit, quæ etiam manu sua descripsit. Epistolæ eius diuersæ, ac plures. Præcipua quędam ad virgines, in qua virginitatem corporis attollens, ostendit multas mente abire in Ægyptum. Tandem confectus labore & senio, quos per se nō potuit, per Adalgarium coadiutorem suum in Domino confortauit, quē etiam manibus regis commendauit. Excessit autē ex hac luce, anno Christi DCCCLXXXVIII. indictione sexta. Cuius depositio III. Idus Iunii celebratur. Sepultus est extra basilicam sancti Petri ab Oriente, vt rogauit. Sedit in archiepiscopatu annis XXIII. Monstrat temporum ratio, stragem illam in Ebbeckstorp Christianiagminis cum duce Brunone (de qua suprà, & in Saxonia nostra plenius) fuisse temporibus Remberti. Nam ea obuenerat anno DCCCLXXVI. in morte Ludouici regis Germaniæ, quem solum Dani formidauēre.

*Rembertiras gesta.*

*Remberti mors atq; sepultura.*

888.

CAP. 12. HILDESEMENSI eccleſiæ quartꝰ ſurrogatur Eboni Gallo, Alfridus, vir memorabilis, ad annum circiter DCCCXLVIII, quum rebus per Germaniam potiretur Ludouicus, Ludouici Imperatoris filius. Erat hic Alfridus professione monachus, vir in diuina religione feruentissimus. Hic ecclesiam suam cohonestare volens, à fundamentis eam curauit instaurandam. Primordia rerum exilia, paulatim crescente religione, & efferuescente populi deuotione, in meliorem formam trāsierunt. Præsuit autem in vniuersum annis XXVIII. Sed quatuor ante exitum vitæ annis opus fabricæ impleuit, & ecclesiam ipse suam consecrauit. Tumulatus in eadem anno LXXVII. Quo tempore stragesilla fuit memorabilis sub duce Brunone, in loco Ebbeckstorp. Potuit autem hic sanctus agmini interesse sanctorum. Sed monachalis professio, & ætas senilis iam fessa, armis eum carnalibus interesse non patiebātur. Grauis & diuturna fuit illa prouinciarum calamitas, sub Danis & Normannis. Nam in Frisia (quod diximus) orationibus Remberti potius quàm armis repulsi, in omne imperium Romanum se vindicare constituerunt. Cum regibus Sifrido & Godfrido, per Rhenum & Mosam & Scaldim fluuios, Galliam inuadentes, miserabili cæde Christianos obtruncauerunt, ipsumq; regem Carolum (is erat Caluus, post imperans) bello petentes, ludibrio Gallos habuerūt. In Angliam quoque partem copiarum mittentes, ducem præfecerunt Haldanum: qui dum Anglis congressus occideretur, Dani in locum eius Gundredum constituerunt. Is autem Nordhumbriam expugnauit, atq; ex illo tempore Frisia & Anglia in Danorum ditione esse cœperunt. In hæc tempora incidit illa grauis ecclesiarum Colonienſis & Treuirenſis perturbatio, quum Lotharius Lotharii Imperatoris filius, alterius Ludouici iam Imperatoris frater, propter sanguinis & potentiæ sublimitatem, omnia sibi reputans licere, Tebergam vxorem dato libello repudii dimisit, & Gualdradā Bosonis, viri potentis per Galliam, superduxit filiam, consilio (vt ferebant) Regnaldi Treuirenſis, & Guntharii Colonienſis archiepiscoporum, qui in cōcilio Metenſi id approbarunt: propter quod ab Nicolao Papa excommunicati, & ecclesiis suis sunt priuati. De quo in Decretis. Erat autem tum omnis Transrhenana prouincia sub regno Lotharingiæ, vt archiepiscopi quoque ei regno coniuncti haberentur: nunc autem diu erāt in ditione regni Romanorum. Quo etiam tempore gens Bulgarorum

*Monachi ab armis abstinent.*

*Diuortium episcopi immeritò approbat.*

garorum(Wandalorum quoq; natio) ad fidem Christi cum suo rege peruenit: qui adeo efferbuit religione, vt maiore filio in regnum coronato, ipse ingressus religionem, Deo se totum obtulerit. Quumque intelligeret regem filium relabi in paganismum, dimisso ad tempus monasterio, arma induit in filium: eoq; capto & exoculato, minorem filium regno præfecit, regressus in monasterium: quod & in Wandalia diximus. *Pater monachum arma in filium impiũ sumit.*

HILDEGRINVS, quartus in ecclesia Halberstadensi episcopus, præfuit ecclesiæ suæ annis XXXIIII. Per cuius tempora fuit illa Danorum in vicinas prouincias excursio frequens, & illa insignis strages, in qua dux Saxoniæ Bruno cecidit in loco Ebbecksторp. Iam tunc verò Ludouicus Germaniæ rex, filium Ludouicũ misit cum exercitu in orientales Wandalos, qui sunt Poloni, & Pomerani: à quib. reuersus victor, quum apud Saxones diuersaretur, Luitgardam filiam Ludolphi ducis (quæ fratrem haberet memoratum Brunonem) duxit vxorẽ. Memorabilis tem porum illorum refulgentia: vnde apparet, duces Saxoniæ iam tum fuisse in ea regum æstimatione, vt nuptiis dignarentur filias eorum & toro coniugali. Celebratæ sunt nuptiæ in arce Aschaphenburg, in orientali Francia, quam nunc corrupto vocabulo Franconiã dicunt, Gallis auferentibus vetus & verum nomen. Hic est ille Ludolphus, ex femine Wedekindi pronepos, Brunone patre, patruo Waltero, auo Wickberto, Wedekindo autem proauo: qui Ludolphus reliquit hanc posteritatem: filiam Luitgardam regi nuptam Ludouico, Ludouici regis filio, primi autem Ludouici Imperatoris nepoti. Habuit idem & Brunonem (cæsum à Danis) filium, & Tanquardum, qui sine prole decesserunt: & Ottonem Henrici, primi regis ex Saxonibus, patrem, ex quo natus est Otto Imperator. Quam lineam etsi in Saxonia attigerimus, operæ tamen precium pluribus eam locis legi, vt antiquæ nobilitatis stemma in principibus Saxonum agnoscamus. Hoc etiam tempore Lotharius Lotharingiæ rex, filius Imperatoris Lotharii, qui de cõtemptis iustis, & initis nuptiis illicitis, à summo pontifice notatus erat, tanti habuit mandatum Ecclesiæ (in quo contempto pœnas iuris aliquandiu induratus fordidatusq; sustinuit) vt nunc Romam profectus, summum placarit pontificem: & reuersus in Longobardiam, finem viuendi fecit, & apud Placẽtiam tumulatur. Quumq; virilem prolem non haberet, Ludouicus rex Germaniæ, & Carolus Caluus rex Franciæ, Lotharingiæ regnum diuiserũt. Primus est hic ingressus Germanorum in prouinciã Transrhenanam. Hactenus enim limes vtrorumque Rhenus erat: nunc eo tranſito, in Vltrarhenanis Germani ditionem habere cœperunt: quam deinde Henricus pater & Otto filius, Romanorum & Germanorum principes, auxerunt. Quod in Saxonia diximus: & infrà suis locis, vbi opportunitas euenerit, non tacebitur. *Saxonum antiqua nobilitas. Germani regiones trans Rhenum occupare quando cœperunt.* CAP. 13.

IN Hildesemensi ecclesia per idem tempus post Alfridum præfuit Marquardus, vir Deo & cœlo dignus, qui agmini sanctorum interfuit ad annum Christi DCCCLXXVI, in Ebbecksторp pro Christo cæsus. Aliquando ciues eius, cupientes sacras corporis eius reliquias digno apud ecclesiam inferre sepulcro, discernere non poterant congesta virorum corpora. Hoc tempore sub Caluo Carolo initium habuit comitatus Flandriæ. Erat quædam nobilitas non magna, quæ in angulo Flandriæ consedit, non longè à Curtraco. inde filius egressus, audax facinus peregit. Nauigabat ex Anglia filia regis Francorum (iam etiam Imperatoris) Caroli Calui, defuncto marito Angliæ rege vidua, repetitura lares paternos: appulsa est in portum Flandriæ, Gessoriacum dixere veteres, memorabilem portum Slusæ. Aderat Balduinus filius forestarii, nobilis viri, qui Flandriam adhuc incultam, venationi potius quàm negotiationi expositam, gubernabat. Iuuenis regiam puellam annis necdum egressis iuuentam, interpellat de nuptiis, volentem nolentemque rapiebat. Indignatus pater de audaci facinore, quòd id auderet in Imperatoris filiam, vnde priuatus quisque ad vindictam consurgeret. Sed ea tum fuit Normannorum, Danorumque à mari insolentia, vt duceret pro optato, qui grassatores arceret, habere virum fortem & strenuum: eamque prouinciam proinde Balduino, iam genero, commendabat, creans comitem, qui pridem erat forestarius, hoc est regius venator. Erat ea in officiis non minima etiam tum dignitas, quo modo nunc *Comitatus Flandriæ initium. Saltuarii dignitas nõ parua.* CAP. 14.

inter electores principes alius est dapifer, alius ensifer, alius pincerna, item alius camerarius. Per eandem quoque tempestatem Ludouicus, rex Germaniæ, filiis suis partitus est regnum: Carolo, qui post imperauit, Lotharingiam (quæ, morientе sine liberis Lothario, Lotharii Imperatoris filio, quum post reconciliationem ab vrbe venisset in Placentiam,***) Carolomanno Bauariam, reliquas partes Ludouico. Ducatus tunc Thuringiæ diuisus est à Saxonia, quum illum Ludouicus rex permitteret Catolpho nobili: & stetit in titulo ducatus per annos multos. Nam Innocentius Papa tertius, scripsit nobili viro duci Thuringiæ, vt legitur in suprascriptione, *c. Venerabilem. De elect.* Sed postea mutatus est, vt diceretur comes prouincialis (quod alii non bene dicunt Latinè landtgrauium) in quo permansit vsque hodie.

*Thuringia dux comes, post comitatus.*

CAP. 15. PADERBVRNENSI ecclesiæ post Baduradum Saxonem (qui annis præfuit XLVIII.) tertius præficitur Luitharius. non memorant vnde ortus: sed quia annis præfuit XXIII. non tacent annales. Normanni eo tempore grassati sunt per prouincias, iam etiam ausi post Ludouicum regem incessere Germaniam, Galliis tamen acriores, quàm vlli prouinciæ, imminebant. Nam in Cœna Domini (quæ obuenerat ad IX. Aprilis) obsederunt insignem ac veterem vrbẽ Treuerim: Bartholdus archiepiscopus vix manibus eorum elabitur. Die Paschæ captam ciuitatẽ succenderunt, post prædam & ingentem hominum cædem. Iam Francia iterũ in Germanorum manus reciderat. Nam Balbus Ludouicus, filius Caroli Calui, non diu supererat patri: & reuersum est Francię regnum ad Ludouicum, Ludouici Germaniæ regis filium, qui fratres habebat Carolomannum in Bauaria regnantem, & Carolum Grossum, qui tum erat post Caluum in Romano Imperio. Hic est ille Carolus, qui Normannis Danis permisit regionem maritimam inter Sequanam & Ligerim, quæ ab illis nomen sortita, vsque in hodiernum appellatur Normandia. Eam verò rem latius in Norwagia sumus ex ordine prosecuti, nunc breuiter signantes tempora. Mouit tum omnes principes ignauia Imperatoris Caroli, quòd negligenter ageret, neque Franciæ, neque Teutoniæ, neque vniuerso Romanorum regno satisfaciens. Vnde quum in eo res esset, vt à principibus destitueretur, ipse præueniens honori suo consuluit, cedens potius quàm destitueretur. Status tum Galliarum is erat, vt tum regem puerum haberent Carolum vix triennem, filium Ludouici Balbi, nepotem autem Caroli Calui. Vtò autem vir militaris & strenuus à nõnullis Galliarum principibus rex creatur in palatio Compendii. Hic patrem habuit ex equestri ordine Robertum, auum verò paternum Wedekindum, ex Germania profugum. Sed eam nunc rem sola temporum commemoratione contingimus, non professi Galliarum res gestas prosequi, nisi quantum pertinet ad reprimendam Gallorum superbiam: qui præ se (si diis placet) contemnunt Germanos, vt audiant etiam nunc sanguine cretum Teutonico, quem proceres sibi regem fecere Franciæ.

*Normãnis Regio in Gallia attributa.*

*Rex puero regnum rapitur*

CAP. 16. TERTIVS tum præfuit ecclesiæ Mindensi episcopus Theodoricus, qui incidit in grauissima tempora (quæ proximè diximus) grassantium Normãnorum: nam sic Danos appellãt Galli. Nec modò interfuit, sed etiam præfuit glorioso Christianorum agmini, cæso ac tumulato in Ebbeckstorp. Annalis per insitiam temporum & rerum, hostes fuisse contendit Vngaros. Sed illi multis pòst annis descenderunt, quum rebus per Saxoniam præesset Henricus primus Saxoniæ dux, inde Romanorum rex, pater primi Ottonis Imperatoris. Normanni ergo fuêre, qui hanc stragem peregerunt: in qua inter cæteros occubuit glorioſus pontifex Theodoricus (sub duce Brunone, qui nomen reliquit oppido Brunswico) vnà cum cæteris coepiscopis, Marquardo Hildesemensi, Drogone Osnaburgensi, Dudone Paderburnensi (quem ego Luitharium accipio, vt fuerit binominis: aut Bisonem eius successorem. Res enim apud homines in incerto remansit) Aufredo Traiectensi: eum nominat annalis Rembertum Hamburgensem. Certum est, vixisse tum Rembertum, & ecclesiæ præfuisse: sed huic agmini non aderat, interim in Phrisiis conflictatus armis suis (hoc est lachrymis & precib.) alteri agmini horum hostiũ, quod in Remberto diximus. Aderat Erlulphus Verdẽsis, & plurima Saxonum nobilitas,

*Annalium error.*

*Lachryma & preces quorũ sint arma.*

vna

vna tum cæde martyrio consecrata, & in loco cædis tumulata: quam ego prima Augusti peractam crediderim, quòd plurima inde sint indicia. Nam de cæde pontificis summi in Hamburg, pudenda fabula iam (vt confido) explosa est. Hic ergo pontifex sanctus, Deo consecratus martyr, locum tegit corpore, quem in acie cadens accepit, expectans nouissimam tubam. Voluêre Mindenses corpus sui pontificis de strage vendicare. Sed iam tanta fuit post cædem ex vulneribus & tumore defor matio, vt discerni non potuerit ab alterutris. Locum ergo martyrii sui tenet in Ebbeckstorp. Nam eius rei gestæ historiam nuper digessi sacris virginibus in eo loco, ad perpetuam rei memoriam, & ad eliminandam fabulam (quæ hactenus pro vera habita est) de aduectis eum in locum reliquiis ab Hamburg: quæ tota res fabulosa est, & pudenda, vt suprà ostendi.

OSNABVRGENSI tum ecclesiæ molitione Cobbonis viri nobilis (comes in Tekeneborch creditur extitisse, qui sub Germaniæ rege Ludouico, Imperatoris Ludouici filio, multa poterat in hoc terræ angulo) præficitur Gosbertus, pridè episcopus ordinatus in Sueonia (Suediam nostri vocant) in qua primus Ansgarius prædicauit verbum Euangelii, consecrauitq; episcopos. Sed per hæc tempora turbatis nouis in Suedia Christianismi rebus, Gosbertus pridem consecratus episcopus, prouincia extruditur, confugitq; ad cõsecratorem suum Ansgarium, legatum apostolicæ sedis per omnia regna Aquilonis: quem ipsum vel in vltimis temporibus agentem, vel successorem eius Rembertum in primis eius annis reperit, & ab altero commendatus est ad vicinam tunc vacantem ecclesiam Osnaburgensem. Non incommoda res visa est Cobboni comiti, talem ecclesiæ videre pontificem, qui non magnopere instaret pro recuperatione decimarum & prædiorum, quæ ille monasteriis Corbeiæ & Heruordensi applicuisset. Facilè ille cessit postulationi: effecitq; apud cæteros (præsertim apud Ludouicum Germaniæ regem) vt consentirent in Gosbertum, ecclesiæ Osnaburgensi tum præficiendum. Præfectus est ecclesiæ, & illam per annos decem, à LXIIII. ad LXXIIII. gubernauit. Quo quidem anno iam mortuo optimo Germaniæ rege Ludouico, fortissimo ad arma ductore, qui per sua tempora talem se gerebat æquabili iure, talem etiam (vbi opus euenerat) ostendit in armis, vt pacem vndiquaq; compararet Germaniæ: continuere se Dani (quos Gallici scriptores vocant Normannos) ne per tempora regni eius excurrerent. Ita reges eorum quadam leniuit humanitate, missis muneribus, & vicissim receptis, vt nulla per eius tempora esset Danorũ commotio. Illo verò per hæc tempora moriente, iam (vt videbatur) deiecto repagulo, Dani multis millib. armati, exierunt in Germaniam. Proximus illis cursus erat à mari in nouam Saxoniam, quæ tunc sola nomẽ retinuit. Nã vetus Saxonia nomen amisit, & amat vocari Westphalia. Hic se, duce Brunone (qui erat ex stirpe Wedekindi, Magno Carolo conflictante) Christianum nomen armauit, animauit, & in agmen fidele concurrit. Multi fuerant pontifices, multi comites & nobiles: qui vna cęde mactati à Danis in fide libus, in loco Ebbeckstorp (nunc sanctimonialiũ locus est) occubuerunt pro Christo. Quibus etiam interfuisse Gosbertus Osnaburgẽsis creditur episcopus, vnà cũ Cobbone comite. Nam tempora exitus, præsertim episcopi, incidunt in eundẽ annum LXX. post DCCC. Cobbonis tamen anni decennio posteriores signantur. Et potuit error esse in illa conscriptione. Nam quũ esset nobilis & potens in Christianismo, creditur nõ defuisse illi sanctissimo Christianorũ agmini pro Christo cæso.

CAP. 17.

*Episcopi quidam decimarum auidiores*

*Saxonia quæ olim fuit, hodie Westphalia est.*

IN Mimigardeuordensi, nunc Monasterien si, quintum locum tenuit Berthodus, vir eximiæ deuotionis ac sanctitatis. Per tales enim patres, morum grauitate & vitæ munditia præditos, iacere placuit Altissimo fundamẽta ecclesiarum per orbem, non tam marmore & auro rutilantia, quàm doctrinæ & virtutum miraculis redundantia. Serpsit ea ætate per multos lachrymabilis morbus de tumore linguarum, vindicante fortasse occulto iudicio rerum arbitro Deo, linguarum loquaciũ pernicioſa venena. Intumuit in ore lingua maximo dolore, nec valuere medicorũ vlla remedia, donec Bertholdo in Deum respicere iubente, quum litanias & ieiunia populo indiceret, plaga cessaret. Solet per annorum vices, siue occulto naturæ tramite, siue vindice Deo, tale quid in terrarũ orbe inter homines incerta origine

CAP. 18.

*Morborum populatium obscura causa.*

desæuire, vnde nulla prodita sunt artis remedia. Quod Plinius de mentagra testatur, & nostra experiuntur tempora de venenatissimis morbillis: malũ Gallicum dixere, quod in ea gente primùm se prodidit, sed nunc per Italiam Germaniamq; latè diffunditur, cum multorum miserabili pernicie & infinito dolore. Sanantur nõnulli, & potissimùm qui minimè pugnant in hoc malum. Quibus verò penitus insedit, quo magis laborant in ipsum, eo grauius experiuntur hoc malum. Multi etiam morte absumpti, præsertim si in prouecta iam in senium ætate hominem comprehendit. Hæc sunt illa tempora, quibus Arnulphus filius Carolomanni, nepos Ludouici Germaniæ regis, quum Saxoniã teneret Otto senior, qui filium habuit Henricum primum Germaniæ regem: sed iam potito rerum Arnulpho, Gallicæ originis homo Theutonicus (sub quo attritum diu à Normannis & Danis fæuientibus regnum respirauit, & lacertos mouit) sæpe congressus fudit hostes, non incruenta ipse potitus victoria. Semel cõflictatus, tantum sanguinem extorsit perfidis, vt multa millia caderent, & ex regiis valde pauci desiderarentur. Facti sunt proinde timidiores, quamdiu regnauit Arnulphus. Iam tum celebre emporium Francofordia, quasi in meditullio situm Germaniæ, locus deligendi Imperatoris exinde haberi cœpit. Nam primus ibi Arnulphus deligitur imperator. Coronam tamen non nisi octauo regni sui anno accepit à pontifice: tantum illi laboris erat in regno, vt non superesset ocium videndi Italiam. Quanquam & ibi otium nõ esset. nam & Berengarius primus se erexit in Lombardia: & Witto, gentis Longobardicæ vir nobilis, eccleſiam premebat. Sed conflictatus primum Morauis (quos rebelles regno repe rit) ingressum dedit Vngaris in regnum: quod in Saxonia diximus. Deinde versus in Italiam cum grandi exercitu, cõflictatur cum Wittone in Longobardia, ad quẽ confugerat Bernardus Caroli Grossi filius: sed superabat ambos Arnulphus. Papa autem Formosus, magnitudinem reueritus exercitus Germanici (quòd nedum hostibus, sed etiam subditis grauis timeretur) orabat vt reduceret exercitum in sua, iam securus ab hoste.

*Francofordiæ Imperator deligendus.*

CAP. 19. HAMBVRGENSI eccleſię post Rembertum præficitur Adalgarius, vir Deo deuotus, ex Corbeiensi cœnobio, datus comes rogante Remberto, & laboris socius, & in senectute adiutor, & pene rerum omnium administrator: quum hoc à regibus Germaniæ oraret & impetraret Rembertus, vt etiam suo consilio dignarentur iam tum adiutorem Adalgarium. Sedit in archiepiscopatu annis XX. Ferulam pastoralem accepit ab Arnulpho rege (hoc enim erat tum signum infeudationis) pallium pontificale à Stephano Papa, v I. eius nominis. Consecratus est autem à Moguntino archiepiscopo Lindroldo, seditque difficili tempore barbaricæ vastationis. Nec tamen legationis suæ ad gentes studium omisit: verùm sicut prædecessores sui ad hoc constitutos habuere presbyteros, & ipse habere curauit. Anno autem Adalgarii VII. Hermannus Colonensis archiepiscopus magnis illum fatigabat iniuriis, Bremam Coloniæ denuo subiugare conatus. Sæpius ea de re vocatus in iudicium aderat, Wormatiæ priuilegia suæ eccleſiæ allegabat: sed non acquieuit Colonensis, neq; cessauit ab impetendo, donec apud summum põtificem Formosum efficeret, & Arnulphum regem Romanorum interponeret causæ suæ, vt collecta apud Triburiam synodo, authoritate summi pontificis priuilegia Bremensis eccleſiæ cassarentur: in quo pariter gloriosorum principum cassata fuerunt præcepta. Inde facta omnium subscriptione, Adalgarius, qui archiepiscopus aduenerat, positus est in subsellio nouissimus. Fabula grandis de Adolino & Widgero, qui disceptantes ad spectacula synodum traxerunt: tragœdia lugubris, victum Widgerum, & postero die mortuum. Deinceps autem, sub Adalgario & Hogero omni tempore Brema Coloniæ fuit suffraganea. Miror autem hæc ita scripta in annalibus, quum extet copia bullæ, ab eodem Papa Formoso emanans, quæ longè aliter rem gestam esse ostendit. Ipse loquatur Formosus in apostolicis literis: quib. maior est fides, quàm vllis annotationibus temporum. Sic enim se habet eius cõtinentia:

*Infeudatio- nem episcopus à rege accipit.*

*Brema Coloniæ per factionem subiicitur.*

CAP. 20. FORMOSVS episcopus, seruus seruorum Dei, reuerendissimo & sanctissimo fratri Adalgario archiepiscopo Hamburgensi, salutem & apostolicam benedictionem. Arbitrabamur tuam sanctimoniã, prout iniunctũ fuerat, ad Apostolicã te se-

*Formosi papæ ad Adalgarium littera.*

dem

dem festinare, quatenus disceptatio, quæ inter te & Hermannum Agrippinæ Coloniæ reuerendissimum archiepiscopum ventilatur de Bremensi ecclesia, finem perciperet. Sed eo per vicarios insistente, & querimonias multiplicante, cur tuam non exhibueris præsentiam, saltem per defensorem vicarium, non modicum miramur. In quo suspicari tribuitur, summopere contentionem non odire, qui iudicii æquitatem conatur subterfugere: præsertim quum & Moguntię sanctissimus archiepiscopus (cui de hac re, vt veritatem inquireret, per confratres & collimitaneos episcopos iniunctum fuerat) ad nos scribens significauerit, quatenus venientibus reuerendissimis episcopis ad Frankeneuord, de hac eadem re diligentissimè facta fuerit inquisitio: omnesq; dięcesani eiusdem Coloniẽsis archiepiscopi, Franco videlicet Tungrensis, Vodebaldus Traiectensis, Woselmus Mimigardeuordensis, Drugo Mindensis, Egelmarus Osnaburgensis, sub testificationis prætextu, testificati sunt, vsque ad te nullum Bremensis ecclesiæ præsulem, modum subiectionis Colonienſi antistiti contempsisse: sed semper prædecessores tuos, qui eidem Bremensi ecclesiæ præfuerunt, à temporibus suæ Christianitatis, sedi Colonienſi fuisse subiectos. Verùm, quia tantorum virorum testimonium frustrari non expedit, & ad statutum veniendi tempus festinare, vel delegare vicariũ distulisti: tanti temporis querimoniam, ac legatorum constantem instantiam nihili pendere, inhumanum videbatur. Quapropter arctati, hinc, ne Colonienſis ecclesia iustitiam perderet: inde, ne Hamburgensis ecclesia (quæ ad gentium vocationem instituta fuerat) subsidio destituta deficeret: dispensatiuè censuimus, quatenus quoadusq; diuina suffragante gratia præfata Hamburgensis ecclesia in tantum dilatetur, vt episcopia instituere valeat, iam memoratam Bremensem ecclesiam ad subsidium habeat: & quoties in magnis & præneceſſariis canonicis negociis oportuerit, non subiectione aliqua, sed affectu fraternæ charitatis, Hamburgensis archiepiscopus (qui eiusdem Bremensis ecclesiæ regimen obtinet) per se aut vicarium, suam vicem gerentem, in adiutorium Colonienſis archiepiscopi inuitatus accedat. Dilatata autem Hamburgensi ecclesia, largitore bonorum omnium adminiculante, & fundatis episcopiis, sæpe memorata Coloniæ sedes Bremensem recipiat ecclesiam. Inhumanum enim est inter seculares aliena iura peruadere: quanto magis sanctissimorum episcoporum statutos à patribus transgredi terminos, & eos litigare, qui pacis debent subditis exempla præbere? Hæc autem ad hoc decreta est dispensatio, vt pax vigeat, cesset contentio, & iustitiæ rigorem misericordiæ compassio temperet: scientes, sine pacis bono nullum Deo munus fore acceptabile. Nulli igitur omnino hominum, &c.

*Turpe, sed frequentissimum, episcopos de finibus inter se contendere.*

CAP. 21.

MIRVM, quomodo tam breui abolita sit memoria constitutionis, quam super eadem re protulit Nicolaus Papa primus, non totis triginta annis ante hunc præsidens. Vbi literæ de super datæ, si in archiuis ecclesiæ Hamburgensis, aut maioris securitatis gratia in Bremensi seruabantur, cur non sunt proditæ suo tempore, vt tanto præiudicio fuerit occursum? Sed est quod ex temporum qualitate coniectem potius quàm legerim. Eatempestate erat magna regum super ecclesiis diſpositio: nam vacantibus dabant ipsi pontifices, quos a Papa confirmari poscebant. Ita commendatus est Ansgarius ad Hamburgensem ecclesiam ab Ludouico Imperatore summo pontifici Gregorio: sic ad eandem idem Ansgarius commendatus est ab Ludouico rege pontifici Nicolao, & ita reliqui omnes. Vnde coniectura est, literas Nicolai super vnione ecclesiarum Hamburgensis & Bremensis, ad Ludouicum esse regem perlatas, & apud illum conseruatas, ac per mortem eius dissipatas, in manus eorum venisse qui abuterentur. Ita non potuit tum Hamburgensis ecclesia euadere subiectionem Colonienſis archiepiscopi, aut vt illi velut suffraganea pareret (quod prima habet narratio) aut pro ecclesia Bremensi recognoſceret illam superiorem, quoad Hamburgensis creſceret in prædiis: quod multo verisimilius habet testimonium Bullæ Formosianæ. Vtcunque fuerit, res in eo statu perdurauit vsque ad Albertum Hamburgensem archiepiscopum, qui pariter summo pontifici atque Imperatori Henrico IIII. percharus, effecerit vt in suam dignitatem Hamburgensis rediret ecclesia, metropolitico iure aduersus Co

*Hierarchia ecclesiastica vindicata.*

lonienſem diu gauiſa: donec is honos ad ſolam Bremenſem (quæ tum minor erat) demigraret. quod ſuo tempore commemorabitur.

CAP. 22. BISO interim quartus præfuit epiſcopus in eccleſia Paderburnenſi, quo tempore in Romana ſede erat mirabilis tumultuatio, dum ſucceſſor prædeceſſoris fa-

*Eccleſiæ caput diu abſque tere bro.*

cta damnaret, corpuſq; extumularet: viciſſim ſucceſſor alius primo inhærẽs, ſecundum damnauit: itemque quartus tertium cum primo incuſaret, ſecundum iuſtificaret. Ita vertigo rotabat Petri ſucceſſores, Ieſu Chriſti vicarios in terris. Nam Stephanus ſextus Formoſum inſequitur, & perſequitur, quem extumulatum iuſſit decollari, & in Tyberim abiici: quem inſecutus pōtifex nomine Romanus, Formoſum tuetur: iubet corpus honorifico reddi tumulo. Miracula tum ferunt ad corporis præſentiam fulſiſſe. Inuenti ſunt, qui poſtea Stephani partes iuſtificarent. Sed iſta rectius in breui Romanorum pontificum catalogo commemorabimus. Sed dum Biſo præeſſet eccleſiæ Paderburnenſi, Arnulphus Imperator, iam victo rege Morauorum (quod in Wandalia diximus) pacatoq; Italiæ ſtatu, quum filium ſuum Zuentibaldum creaſſet Lotharingię regem, fecit viuendi finem: miſerabili cruciatu exanimatus, vt pediculis ex omni corpore ebullientibus nec vllis poterat remediis obuiam iri, vt viſu miſerum, ita exemplo incompertum fertur exitum habuiſſe. Quamuis ferant, Syllam Romanum dictatorem ante Cæſarum

*Supra, cap. 18*

tempora ſimili morbo periiſſe. Arnulphum ferunt nonnulli exitiabiliter à Deo cruciatum, quòd Vngaris, genti crudeli, aperuerit clauſtra in Germaniam: vt illorum ope (quod in Wandalia diximus) Morauos contumaces ad iuga perduceret. Sed quis conſiliarius Deo fuit, vt auſit diuina diſcutere iudicia, quæ ſunt vtique (teſte Scriptura) abyſſus multa? Caſtigauit præſenti vindicta Pharaonẽ toties miraculis, vt Deo cederet, admonitum, nec emendatum. Flagellauit Nabuchodonoſor, ſed prophetæ precibus, ſeptem in eo tempora exerenda breuiauit. Mauricium Imperatorem Gregorio pontifici grauem, præſenti vindicta (vt ferunt) percuſſit. Potuit & Arnulphum hîc miſericorditer affligere, vt in æternum parceret. Biſo autem pontifex in annum XXIII. eccleſiæ ſuæ præſidens, peruenit

890. ad tempora Stephani VI. Romani pontificis, hoc eſt ad annum Chriſti DCCCXC. tranſlatuſque eſt ad meliora.

CAP. 23. ECCLESIÆ per ea tempora Halberſtadenſi præfuit Euilpus, vir grauis moribus, & inſignis ſanctitate: præfuitq; eccleſiæ per annos IX. quum in Saxonia Otto dux, Henrici primi regis pater, rerum potiretur. Romano autem imperio præfuit Ludouicus tertius, Arnulphi filius. Sed iam nunc per Italiam cœperunt oriri

*Germania ab Vngaris infeſtatur.*

tyrannides, noui (vt dicebant) principatus. Nam Berengarii ibi ſe diuulſerunt à Romano imperio: nec potuit Ludouicus rex hoc malum auertere, quòd Vngaris, genti feroci & nouæ, per Germaniam diffuſę, implicaretur: qui per mortem Arnulphi (cui eſſent fœderati) iam ſe ſine iugo ferebant, Bauariam, Sueuiam & Franciã Germaniæ infeſtantes. Otto dux Saxoniæ, Burchardus Sueuiæ, illis ſe obiiciunt, varia victoria, nunc victi, nunc victores. Treugæ quoq; fiunt inter medios, quum vtrinque obſides darentur. Quo tempore idem Ludouicus Imperator regnum Lotharingiæ (quod fratre Zuentibaldo defuncto in eum recidit) fecit ducatũ regni, commendauitq; Gebehardo regii ſanguinis viro. Iſte verò Imperator in Italiam ſe contulit cum exercitu, conflixitq; duci Beneuentano Adalgiſo, ex reliquiis Longobardorum: quos etſi Carolus magnus contriuerit, quia tamen Beneuentanus dux ſe cum paucis in iura regis contulit, paſſus eſt in ſua ditione permanere. Huius ex ſuc ceſſoribus erat Adalgiſus: qui tum conflictatus Ludouico Imperatori, inſidiis vſus

*Imperator iurandum ante Papa vita latum non ſine pune fert.*

cepit Imperatorem: & iureiurando adactum, ne in ſe arma reſumeret, dimiſit. Ab hoc autem iuramento Ioannes Papa VIII. Ludouicum abſoluit. Dum autem idem Ludouicus Berengario in Lombardia regnum molienti ſe obiiceret, acieq; victum in fugam vertiſſet, apud Veronã fiſus victoria, ſecurior eſſe cœpit. Sed dum minus circumſpiceret, inſidiis capitur, & exoculatur. Per quod tempus dum Imperator in Italia laboraret, Vngari Bauariam, Sueuiam, Saxoniam vaſtantes, magnam hominum multitudinem captam abduxerunt, præſertim ex Saxonia: ſecumque vltra Danubium trahentes, poſuerunt eam in finibus ſuis, vt tutarentur

eum

cum terræ angulum ab incursionibus. Manentq; Saxones in hodiernum in ea prouincia, sua lingua & moribus vtentes, parumque commercij habentes cum Vngaris. Septem arces hodie vocant locum quem tenent.

ADALGARIVS autem Hamburgensis archiepiscopus, tantũ à Colonienſi CAP. 24.
passus præiudicium, iam valde senex, minus poterat vel inimicis resistere, vel agẽda disponere. Quare à monasterio Corbeiensi Hogerum susscepit adiutorem: cuius ope ac ministerio fultus, ipse emeritæ senectutis ocio potiretur. Sergius papa, qui fere per totidem annos VII. à Formoso cathedram tenuit Apostolicã, calumnias Adalgarij miseratus, priuilegia Hamburgensis ecclesiæ innouauit, & omnia quæ à Gregorio & Nicolao prædecessoribus suis Ansgario & Remberto concessa sunt, roborauit. Ad hæc quia senectutis pondere grauatus, pastorale officiũ obire non poterat, circumeundo, prædicando, episcopos consecrando: dati sunt ei adiutores à papa ad tam grandem prouinciam Aquilonarium regionum obeundam, vicini quinque episcopi: Emundus Halberstadensis, quem supra Euilpũ diximus, (potuit enim esse binominis) Wigbertus Verdensis, Biso Paderburnensis, Bernarij duo, Mindensis & Osnaburgensis, quorum ope senex fulciretur. Sed Adalgarius nono post DCCCC. à Christo annos, VII. Idus Maij decessit, sepultus in basilica S. Michaelis, quam ipse pro dilectione magistri super tumbam eius erexit. Et quanuis Sergius (vt diximus) priuilegia Hamburgensis renouauerit, idemque tenuerit ante illum Stephanus papa (qui omnia Formosi acta rescindens, Hermanno Colonienſi & Adalgario Hamburgensi archiepiscopis in Moguntiam conuentum indixerit, & Fulconi Rhemensi archiepiscopo vices suas commisit) quidquid tamen ibi decretum est, Hermannus facilè discussit, præsertim quod ea tempestate summorum pontificum execrabilis contentio authoritatem eius sedis faceret contemptiorem: in qua vir potens apud Imperatorem, & qui armis præualeret, facile effecit quod voluit. Ergo nec Sergij decreta conualuerunt, quo minus etiam postea Colonienses archiepiscopi Bremensem quasi suffraganeum habuere, donec plenè ea res elucidaretur, ad tempora Alberti archiepiscopi. Hoc autem tempore, præter consuetam Normannorum excursionem (quibus iam insueuerant prouinciæ hostibus) noua nunc barbaries Christianis imminebat. Nam Vngari, gens Sarmatica, aut verius Scythica, sedibus suis effusa, per Germaniã omnem latè procurrit. Mirabile Dei flagellum, quod eius generis non primũ prouenit, neq; nouissimum fuit. Nam antea Gothi nostri Romanis iam ad summum decus floreſcentibus manus conseruerunt. diuque multas nationes deuastarunt, quod in Suedia ostendimus: quorum vestigia secuti Cimbri, gens Germanica, à Romanis retroacti sunt, vel (vt ipsi scribunt) Romani ad internecionem deleti. Præcessere illos Galli Senones per Italiam, Græciam, & Asiam diffusi: & hæc omnia ante natum Christum. Inde Wandali cum Sueuis & Alanis Gallias, Hispanias & Africam afflictauere. Huni, gens effera, iisdem Sarmatiæ vastis regionibus effusa est, & cum Romanis multa prælia fecit. Carolo quoq; Magno conflictata, in vicinas gentes, extincto veteri nomine, coaluit: quos hac quam scribimus ætate, Vngari sunt secuti, diu per Germaniam diuagati, priusquam sedes quietas ad Danubium (quas etiam nunc defendunt) acciperent. Hæc inundatio ea tempestate Saxoniã vexauit. Aliquando enim in diuersum abiens ea natio, non diu reuersa est in idipsum. Secuti sunt postea Turci, nouissimè Tartari: quod suis locis commemorabitur.

*Adalgarius iniquo tulit iosolutur.*

*Pontificia authoritas contemnitur.*

*Barbaræ gentes variis secutæ Dei flagella.*

HALBERSTADENSI tum ecclesiæ præfuit Sigismundus, vir per omnes vir- CAP. 25.
tutum gradus euectus ad hunc pontificatũ, quem annis XXX. administrauit. Vidit iste suis temporibus insignem fraudem Hattonis archiepiscopi Moguntini, quam intendit in subuersionẽ Alberti comitis de Bãberga. Natus is erat filia Ottonis duCis Saxonię. Quũ militari de more cõcurrisset armatus armato Conrado Francorũ duci Germano, fratri Ludouici Imperatoris, strauit Albertus Conradũ, & oppressit eum. Ea res Imperatoris animũ exasperauit in Albertũ: cui ex hoc die iustã vindictã cõstituit per omnẽ occasionẽ. Id quũ nõ ignoraret Hatto archiepiscopus, suasit Alberto, vt descẽderet ad placandũ Imperatorẽ, se mediatorẽ pollicitus ad reconciliationem ineundã: interpositoq; iureiurãdo, se incolumem reducturũ Albertũ

*Archiepiscopi Moguntini astutia & perfidia.*

in arcem illius firmauit: & credidit Albertus. Iam iter ingressi sunt, quum Hatto versus in Albertum, Non satis, inquit, nobis prudenter consulimus, qui impransi descendimus in castra, diu ieiuni tractaturi: quin redimus in arcem tuam ad ientacula. Albertus nihil fraudis veritus, redibat cum illo. Gustauit ille cibum, non famem quietans, sed implendi iuramenti gratia, sibi iam videbatur promisso feciſſe satis. Vbi veniunt in castra, abreptum iussit Imperator gladio feriri. Nihil illi profuit quòd fidem archiepiscopi proditoris imploraret: nam ille vbi proditionem perfecit, se retraxit ex oculis morituri. Impia tergiuersatio, & indigna pontifice: quam quia non aliter castigare datur, stylo vindicemus. Hoc est enim fidem fallere, hoc est perfidia remunerare fiduciam. Sed nos ad Sigismundum reuertamur: de quo non alia sunt in fastos relata, nisi quòd annis triginta præfuit, & concessit in fata, translatus ad meliora.

CAP. 26. QVINTVS interea Osnaburgensi ecclesiæ pontifex præsidet Ebertus, nostri vocant Egbertum, quum vacaret ecclesia, insigni cæde peracta à Normannis, qua etiam inter alios fertur occubuisse Gosbertus Osnaburgensis. Hic autem Ebertus, vir egregius, quum inuenisset ecclesiam suam multis decimis & prædiis nudatam per latibulum tertij in ordine episcopi, & per dissimulationem quarti: qui quum esset exterus, resperet; in patriam suam Suediam, aliquādo (vt sperabat) reducendus, securi videbantur possessores. Sed Ebertus non dissimulauit ecclesiæ damna plurima: sed vt debuit, ab archiepiscopo suo Colonien si (quem ferunt tum fuisse Willebertum) auxilium implorauit. Necdum enim sedes apostolica Romæ cuncta sibi ecclesiarum (vt nunc) iura vendicauit: Metropolitanus cuncta gerebat in prouincia sua. Serius enim inolescunt, quæ sunt diu duratura: nam quæ subitò nascuntur, subitò etiam intereunt. Ergo imploratus archiepiscopus, opem ostendit per literas, tuum, inquiens, erit, ô frater episcope, manum mittere in rem: nos tibi auxilio, consilio & fauore non deerimus: si opus sit, humeros tecū ad portandum submittemus: tantùm prior videatur opera in rem tua. Instantia plurima effecit episcopus iste, vt causæ in iudicium pertraherentur. Non erat segnis possidentium defensio præscriptionis allegabant tempora, & si qua fuere alia iuris auxilia. Denique eò res peruenit, vt mota lite, iam conscientiam ineiperent habere rei alienæ, vt non amplius currerent tempora præscribendi. Rexit autem hic pontifex ecclesiam suam omni solicitudine per annos decem. Quæ potuit, de rebus ecclesiæ recuperauit: quæ verò non poterat, in his causam vulneratā & iam inchoatam reliquit successori. Qui promptiori proinde via ad ius assequendum nitebatur, quo iam essent omnia litis in iure præparatoria per hunc adaptata. Peruenit autem viuendo, ad annum Christi, DCCCLXXXIIII. mortuusq; est sub Imperatore Carolo tertio, quem cognominauere Grossum.

*At summus sacerdos Mosaicus, talis initio declaratus, & cōsti tutus est, non sensim rapuit.*

CAP. 27. QVARTVS in ecclesia Mindensi præsul Wulfarius erat, vir (vt nomen prodit) Saxonici generis, quem temporum ratio fuisse prodit admirabilem. Nō enim vocabant tum ad præsulatum nisi religione & sanctimonia præstantes, vt non modò præesse, sed prodesse populo possent. Opus enim fuerat tum crebra verbi prædicatione, opus instantia singulari ad erudiendum populum in fide recentem, ad confirmandos animos vacillantes. Quid enim faceret in tanto periculo grex Dominicus, si non pastorum excubiis tueretur? Tempora fuere, quibus sæuiebat in Danis diabolus, persequens quos illi nuper ademerat Euangelij prædicatio. Igitur commonendi fuerant, ne hostibus terrerentur: docendi, ne per illam occasionem ad paganismum relaberentur: qui vnus incumbebat labor vigilantiæ pastoris. Pauca verò, imò penè nulla, de hoc pontifice sunt ad speciem in literas relata: neque enim scribitur quanto tempore præfuerit ecclesiæ, quid operum molitus sit. Dies tamen transitus eius ad meliora non subtrahitur: transiit enim prima Iunij. Mores & merita versibus illorum temporum sunt insignita:

*Episcopi vera partes.*

*Hic doctor prudens, ad opus sublime vocatus,*
*Authorig, Deo messis secunda paratur.*

Hoc dicere vult quicunque scripsit, virum fuisse doctum, doctorem plebis, prudentem ad omnia, quippe qui inter lupos Dominicum gregem seruandum accepit,

pit, vocatus ad opus sublime euangelizandi vita & moribus. Alioqui vbi vita defuerit, quid prodest rotunditas ipsa sermonis? Alioqui faciēs & docens, magnus est in regno cælorum. Nostra feliciora videntur tempora, vbi pontifices euangelizandi ministerium relegarunt in sacerdotes, ipsi superintendentes. Sic enim sonat episcopi nomen. Meliora sibi desumunt in decimis, primitiis & oblationibus: equis, armaturis, cuectionibus magnificis intenti, curā gregis abiecerunt. Sed hæc in aurem legenda, ne offendantur magnates, & dicamur os in cælum ponere, dum quæ supra nos sunt, carpere contendimus. Sed finis sit comparationū inter pontifices veteres & nostros. Illi regna conquisierunt æterna per summæ pietatis merita: nostri, si sua in pace & tranquillitate, & rerum abundantia transigant tempora, felices se prædicant: & vocantur, dum viuunt, sancti patres, bene etiam, si hoc nomen retinent in morte.

*Pontificum studia minime pontificia, reprehendere, est impiè loqui.*

HILDESEMENSIS ecclesia post Marquardū, inter martyres cæsum, à Danis in Ebbeckstorp, proximū habuit pontificem Wigbertum, religiosum patrem, & eo loco dignum: sed illum diu habere nō meruit. Nam vix expleto in episcopatu anno, transiuit ad meliores sedes. Successit illi venerabilis pater Walbertus, religione & sanctitate præcipuus. Illa enim tum fuere, quæ in pontificibus & quærebantur & amabantur, non alta nobilitas, non armata potestas, nō opum affluentia: quippe tum sub religiosis principibus ista non desiderabantur, sua sponte illa proueniebant ecclesiis a Deū timentibus seculi potestatibus. Nunc rerum facta est cōuersio. Nisi enim habeāt ecclesiæ pontifices, qui armis arceāt iniuriā, non est salua libertas ecclesiis indulta. Walbertus ergo pontifex, merito insignis & moribus, prudentem sortitus est pontificatū: nam intra annū primū defecit. Surrogatur illi Sehardus, nō indignus eo munere, quod per annos XL. feliciter administrauit. Vidit hic suis temporibus, Romanos Imperatores Carolū cognomento Grossum, Ludouici Germaniæ regis filiū, imperio finaliter cedentē, quod imparitatem suā agnosceret. Vidit & Arnulphū Carolomanni filiū, ex fratre nepotem Caroli Grossi. Vidit quoq; Ludouicū Arnulphi filiū in Imperio: post quē agnouit etiā Conradū primū, ex genere Magni Caroli nouissimū Romanorū regem filiū Conradi, quem in acie occidit Albertus Bambergensis comes, natus matre Saxonica, quū esset Conradus Arnulphi Imperatoris filius. Rex autem Conradus, nepos ex eodem Arnulpho, pronepos Carolomanni, abnepos Ludouici Germaniæ regis, trinepos Ludouici primi Imperatoris, & perinde quadrinepos Magni Caroli: in quo Conrado, quia neq; liberos, neq; coniugem habebat, defecit linea Magni, per annos cc. in Imperio permanens. Sehardus autem pontifex quid tanto tempore rerum in pontificatu gesserit, nihil scribitur: nisi quia certum est, pro temporū religione institisse verbo & exemplo etudiendæ plebi, in sanctitate & iustitia Deo seruituræ.

CAP. 28.

*Cur ergo alibi ista commendat, & tanquam vilia prædicat?*

*Postremus ex Caroli posteris Imperator.*

MIMIGARDEVORDENSIS (nunc Monasteriēsis) ecclesia, per eam tēpestatem habuit pontificem Wilhelmū, religiosum in Christo sacerdotem, pridem plebanū pastorem in Catzenhusen. Magna is erat humilitate & sanctitate cōspicuus. Apud hunc illorū temporū Imperator (nō enim nomen eius annectitur: poterat esse vel Ludouicus, vel Conradus, qui Arnulpho succesſere) dum vice quadā in venatione ceruum insecutus, per longissimos recessus nemoris aberrasset, per noctem hospitio receptus, quum petere ab eo aliquid iussisset, intelligens hospitem suum esse Imperatorē, petiit vt quem primū ceruū in venatione cepisset, corrigiā sibi de pelle eius daret, qua cingul i loco vteretur. Annuit Imperator: & videns sanctitatē viri, pollicitatione mq; factā alta mente reponēs, quam primum vacauit episcopatus Mimigardenordensis ecclesiæ, vocauit susceptorē suum Wilhelmū, eique de eadem prouidit, & totis conatibus renitentem ad eam introduxit. Leguntur de hoc viro & alia multa laude digna. Nec mireris lector, ab Imperatore cōstitutum episcopū. Ferebāt hoc illa tēpora, quādo etiā summorū pontificū constituendorū destituendorumq; habebāt arbitriū: quod temporū necessitas ferebat. Nō erat capitulis (vt nunc) electio libera: non erat cōfirmatio apostolica tum necessaria: quem princeps delegerat, is erat pontifex cōsecrandus à vicinis episcopis. Erat longa super hoc iure concertatio inter sacerdotium & regnum. Hoc duo Henrici, pater &

CAP. 29.

*Episcopatus enigmaticè petitur.*

*Fuit olim necesse pontifices ab Imperatoribus cōstitui.*

filius, hoc idem duo Frederici, auus & nepos, diu defendere ac tueri quærebant: sed vicit gladius ecclesiæ, peruicitq; vt ius suum ecclesiis relinquerent Imperatores. Eam rem in Saxonia peregimus: & vbi opus euenerit, suis locis infrà recordabimur. Wilhelmus autem quanto tempore præfuerit, quid magnarum rerū peregerit, annales non memorant: hoc solo contenti percensere, quo merito quáve occasione peruenerit ad episcopatum.

CAP. 30. VERDENSIS ecclesia post Erlulphū martyrem, in Ebbeckstorp cum agmine Christianorum pro Christo cæsum, episcopum habuit Waltherum, virum eo loco dignissimum, primum (vt arbitrantur) ex hujus nationis hominibus ortum. Nam prædecessores fere omnes Scotici aut Anglicani generis fuere, quod tituli testantur abbatiarum, à quibus sunt translati: & ipsa vocabula & nomina virorum indicio sunt, quòd non nostræ fuerint gentis. Waltheri autem nomen apud nostros quia est vsitatissimum, arbitrantur hunc esse primum nostræ originis in hoc loco pontificem. Ea parochia latissimis olim finibus tendebatur: sed hoc tempore contractiores accepit limites, quòd episcopatus alij vicini suis quoque finibus pro dignitate vterentur. Successit in ea ecclesia Walthero Wigbertus, vir originē ducens ex sanguine Wedekindi ducis, cum quo res erat Carolo Magno. Latam enim sobolem reliquit moriens Wedekindus, ex quibus erant comites de Ringelheim, deque Oldenborg. Nam vxor Henrici ducis Saxoniæ, primi regis Romanorum ex ea natione, filia erat Theodorici comitis de Ringelheim. Ea fratres habebat, Reginbernum, Immodum, Wedekindum. Ex quibus Reginbernus conflixit victoriosè Danis de veteri more excurrentibus, adeoque afflixit, vt in reliquum ab omni Germaniæ littore abstinerent, rependens cladem cladi: compensauitq; cædem in Ebbeckstorp, in qua Bruno dux cum multis pontificibus & nobilibus occubuit pro Christo. Ex hac ergo nobilitate trahens originem Wigbertus, ad episcopatū Verdensem peruenit: duplici nimirū fulgens dignitate ac nobilitate generis quidem secundum seculum, & religionis secundum Christū. Huius interuentu pontificis, Ludouicus rex, Ludouici Germaniæ regis filius (qui cum fratribus Carolo & Carolomanno partitus est ditionem patris Ludouici) aut (si id temporibus congruentius apparet) Ludouicus Imperator Arnulphi Imperatoris filius (malè enim discernunt annales tempora) multa de sua proprietate contulit ecclesiæ Verdensi, duodecim mansos in villa Walliæ, in comitatu Bernarij. Hic etiam obtinuit ab Arnulpho rege, vt omne patrimonium suum in Westphalia, in Winesewald, in Balla, in Muturia, Ghneto, Heribrunno, post obitum suum cederet ecclesiæ memoratæ. Actum Forcheim, anno DCCCXC. Habuit iste successorem Bernarium, ordine XIII. in ecclesia Verdensi episcopum, cuius temporibus cœpit status ecclesiæ Verdensis maiorem in modum proficere, accedente illi patrimonio (quod diximus) nobilis viri Wigberti immediati prædecessoris. Accessere largitiones imperatoriæ, prouisiones pontificales, & eleemosynæ sanctorum. Iam enim res omnes inclinauere Germanis, qui in ecclesias erant propensiores quàm exteri reges.

*Wedekindi Saxonis, quē Carolus Magn. à denicti, posterus.*

CAP. 31. IN ECCLESIA Paderburnensi, quum sub Imperatore Arnulpho Biso defecisset, surrogatur Theodoricus, qui annis IX. præfuit ecclesiæ cum laude. Quid autem rerum gesserit, non traditur. Vnum pro certo est, ad mensuram illorū temporum illum instituisse amplificandæ Christi Domini sanctissimæ religioni. Deficienti autem surrogatur Vnwanus, qui annis scribitur XIX. præfuisse, hoc est per tempora Ludouici & Conradi Romanorū regum. Nam inter Imperatores, Conradum atque Henricum numerare non dignantur, quòd coronam Imperij de manu pontificis non acceperint. Ea de re plura diximus in Saxonia nostra. Quid autem hic pontifex in religione sacra profecerit, nihil in fastos est relatum, nec nos diuinare possumus. Sufficitur illi iam translato Dudo, vir pontificio dignus, qui ecclesiæ præfuit annis XXV. hoc est per tempora Henrici regis, vsque ad Ottonem filium. Viderunt horum tempora pontificum, grauissimā incursionem Vngarorum: nam Sueui, Bauari, Thuringi, Franci, Germani, Saxones, assiduè senserunt hoc malum. Nam IIII. anno imperante Conrado, Vngari ad Fuldense monasterium peruenerunt: & proximo anno (vbi creuit audacia successibus) transito Rheno,

*Imperator non habetur, cui coronam pontifex non impoſuerit.*

no, fines Lotharingiæ inuaſerunt. Quibus malis implicitus Conradus, cœpit etiã regni principibus contemptui eſſe. Inſurrexere autem in eum Arnoldus dux Bauariæ, Burchardus dux Sueuiæ, Giſelbertus dux Lotharingiæ, Hẽricus dux Saxoniæ. Sed ille prudenter diſtractos, non permiſit vires coniungere. Verſus autem in vnum ex his, Arnoldũ ducem Bauariæ, expulit prouincia, profugientem ad Vngaros, apud quos omni tempore Conradi permãſit. Quumq; ſucceſſiſſet in regno Henricus Saxo Conrado, Vngari non ceſſauere Germaniam affligere: donec magno victi prælio ab Henrico, ſeſe intra limites ſuos continere perdiſcerent.

# ALBERTI KRANTZII METROPOLIS, LIB. III.

METROPOLIS honori donemus, vt ab ea nouo ordiamur principio. Igitur Hogerum ex fratribus Corbeienſis cœnobij, quem viuens habuit Adalgarius in eccleſia Hamburgenſi archiepiſcopali adiutorem, moriens habere meruit in pontificatu ſucceſſorem. Sedit autem annis ſolis ſeptem, ordinatus per cõtentionem, ab archiepiſcopo Colonienſi tanquã ſuffraganeus, pro Bremenſi incorporata à ſuo metropolitano. Nam decreta pontificum Ro. nouiſſima Stephani atq; Sergij Colonienſis cõtemnens, Formoſi papæ ordinationi pertinaciter inhæſit. Effecit autem ſeculorum potentia, vt bonus Hogerus, non quod oportuit iuris ordine, ſed quod temporũ indixit malitia, pateretur. Pallium tamen ſuſcepit à Sergio papa, ne iuri ſuo renunciare videretur: ferulam à rege Ludouico, qui filius erat Arnulphi. Iam enim Ro. Imperium in eam contentionem peruenerat, vt & in Italia Berengarij, & item alij aliis locis colla ſubducerent iugo: pœnituitq; vehementer Italos, quòd ſub Carolo Magno tranſiuerit Imperium in Germaniam. Erat enim Carolus & natu Germanus, & cum Galliis magnam Germaniæ partem ex paterna ſucceſſione gubernabat. Nam orientalis Francia, cum Bauaria & Auſtraſia (quę eſt Metenſis prouincia) illi paruit. In Caroli autẽ perſona nihil erat pœnitendũ: nam ille magnopere prouexit Imperiũ. In nepotibus autem magnifici regis & glorioſiſſimi Imperatoris, defecit illa vis imperio digna: niſi quod in Arnulpho ſe pauliſper oſtẽderat. Filius autẽ Arnulphi iſte Ludouicus, etſi Romani regni titulũ acceperit, ad coronã tamen imperij nõ peruenit. Vnde ex eo per Conradũ, ex fratre filiũ, per Henricũ Saxonem, vſq; ad Ottonem I. eius filium, reges tantùm Germaniæ, non etiã Italiæ habebantur. Sed operæpreciũ eſt intueri, cur Hamburgenſis, & illi iam adunata Bremenſis eccleſia, tam frequenter à patribus de Corbeia tranſlatis teneretur. Num in collegio Hamburgenſi, aut cœtu Bremenſi, vel in congregatione Buccenſi inuentus eſt qui operi videretur idoneus, vt non tam de longinquo archiepiſcopi peterentur? Præſertim ſi religionem ſectarentur electores, eadem & his locis vigebat. Cur non vel ex aula principum, vel de terræ nobilitate vnum aliquem ſuſtulerunt? Credo non defuiſſe, qui ſedem primam in prouincia ſatis ambirent, ſi non illos terruiſſet impoſita legationis ad gentes neceſſitas, quam plerique vt periculoſam fugitarunt. Inſignis tamen hac tempeſtate & diu poſtea fuit Corbeienſis cœtus, & patrum veneranda frequentia, zeloque diuinæ religionis propagandæ mirabiliter feruebat. Nam à memoria D. Anſgarij plures eius exemplum ſecuti, abierunt in gentes vicinas Wandalorum euangelizantes, penetraruntq; ad mare. Sanctiq́ue Viti (cuius ſacræ reliquiæ Corbeiæ quieſcunt) patrocinium genti commendantes, re bene geſta ſunt reuerſi. Quæ patrum diligentia inde verſa eſt in pernicioſam gentis Rugianæ ſuperſtitionem: quum illi *Swantwit* iuxta linguam ſuam, S. Vitum, non martyrem, ſed abominandum idolum ſtatuiſſent: quæ in Wandalia noſtra ſumus pleniùs executi. Ea tam inſignis patrum diligentia, ſimul & ſanctorum Anſgarij Adalgariiq́ue memoria peregit, vt inde potius quàm aliis de locis, Apoſtoli in gentes peterentur. Sic enim meritò appellandi fuere illa ætate Hamburgenſes archiepiſcopi. Huius au-

CAP. I.

*Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.*

*Herorum filij noxæ.*

*Idolum ex Chriſti martyre quomodo fiat.*

tem Hogeri præcipuâ sanctimoniam vel inde prædicant, quòd erat in ecclesiastica disciplina seuerissimus diligentissimusq; exactor, pro suo in omnes incredibili affectu. Visitabat enim quàm frequenter fratrum loca, ne quid per incuriam obreperet quod sanctitati derogaret. Vnde quum apud Hamburgum consisteret, nocte intempesta exploraturus quidnam in Ramsola ageretur, ad vigilias eò properauit matutinas: fidelis dispẽsator & prudens, qui & ipse vigil pernoctauit, suamq; familiam dormitare prohibens, venienti sponso lætus occurrit, dicens, Ecce ego, & pueri quos dedit mihi Dominus.

CAP. 2. Hoc verò tempore quis fuerit religionis status in Dania, non satis explicatur: nisi quod atrocissimam incursionem in prouincias Dani facientes, nihil quietius domi egisse facile coniiciatur. Permansere tamen in occulto multi Christiani, quos huius pontificis successores in fide continuerunt. Interea dum adhuc Hogerus superesset, grauis nimium incubuit ecclesiis Hamburgensi ac Bremensi incursatio, cum vastitate terribili. Nam Hamburgum Dani iuncti Wandalis atrocissimè subuerterunt: ecclesiam demoliti, fideles dissipauerunt. Hæc est interim quarta huius vrbis per Christianissimi tempora subuersio, vt trucidaretur in ea omne nomen Christianũ. Nam prima, viuente adhuc Magno Carolo, facta est à Wilsis, Wandalorum gente, quum Imperator calamitatem vrbis miseratus, ecclesiam cum oppido iussit instaurari. Altera facta est à Normannis in diebus Ansgarij, quũ ille Ramsolam adductis sanctorum reliquiis petisset. Deinde necdum bene restituta cum oppido ecclesia tempore Remberti, immune esse non potuit à Danis Saxoniam vastantibus, quum agmen omne Christianum, quod prædiximus, barbari trucidassent. nam & tunc excisum cum habitatoribus oppidum nihil reliquum fecit, nisi si qui sibi fuga consuluissent. Et hæc fuit tertia Christianæ vrbis euersio. Deinde quum Vngari implicitam tenerent omnem bello Saxoniam, & vsq; Bre-
913. mam peruenissent sub Hogeri pontificatu, anno post Christum, DCCCCXIII. Wandali cernentes reliquam Germaniam Vngaris implicari, ipsi Transalbinam Saxonum prouinciam inuadunt: Hamburgum non satis validum aduersus incursiones oppidum, igne ferroque subuertunt. Affuit tum Bremensibus insignis Dei protectio. Nam quum Vngari vrbem incendio fœdarent, vt prædæ instarent, incensisq; ecclesiis sacerdotes ad aras trucidarẽt, clerum vulgò mixtum aut impune occiderunt, aut in captiuitatem pertraxerunt. Crucifixi Domini imagines per ludibrium sunt attrectatæ, cuius furoris vestigia ad longam durauerũt ætatem. Sed Deus zelotes, cuius ibi sacratissima passio est derisa, incredulos nõ est passus abire inultos. Nam subita & mirabilis orta tempestas, à semicremis ecclesiarum tectis scindulas eleuauit, quas in ora paganorum rotans, dum fugæ præsidium quærunt, aut in fluuium præcipitari compulit, aut in manibus includi ciuium armatorum. Et quoniã vastationes Hamburg cœpimus numerare, quæ supersunt, paucis recensebimus. Quinta ergo deinde fuit Christiana vrbis euastatio in tertij Ottonis morte, post annos à Christo, M. quum iugum Saxonicæ exactionis Wandali excuterent, & se vendicarent in libertatem, magis pertæsi tributorum, quæ sine fine exigebantur, quàm religionis. Audita igitur morte tertij Ottonis, signa sustollunt, rebellionem ostendunt: in vicinos Transalbianos primus impetus. Hamburgum velut signum ad sagittam petitur. Omne nomen Christianum opprimitur, funditur sanguis innoxius, & Christo pretiosi martyres consecrantur. Multi ex clero & ciuibus in captiuitatem abducuntur: plures interfecti Christianitatis odio, quæ illis tributa videbatur inuexisse. In Aldenburg ciuitate magna Wandalorum (quam illi sua lingua *Starigard* dixere) sita ad mare Balticum, itinere diei vnius ab Hamburgo, sexaginta presbyteri, cæteris more pecudum obtruncatis, ad ludibrium sunt seruati, taliq; martyrio consummati, vt cute capitis in modum crucis incisa ferro, singulis cerebrum aperiretur. Deinde ligatis post terga manibus, professores fidei per singulos Wandalorum vicos tracti sunt, & verbere, aut aliis modis vexati, donec deficerent. Ita illi angelis & hominibus spectaculum facti, IIII. nonas Iulij victorem spiritum exhalarunt.

*Hamburgum seuies cladem ob Christi nomen accepit.*

*Hamburgi miserandum excidium diuinitus vindicatum.*

*Presbyteri ingenti cruciatu excarnificati.*

CAP. 3. Nouissima & pene omnium grauissima Wandalorum in Hamburgum irruptio,

irruptio, facta est sub Imperio Henrici quarti, præsule Alberto primo, anno Christi, M. LXVI. per hanc occasionem. Nam Godscalcus, vir in gente Wandalorum primarius, quum adolescentia sua patrem cæsum à Saxone vindicasset, seque immiscuisset illi Wandalorum quam proximè diximus, excursioni, cui nō solùm interfuit, sed præfuit: in ætate autem ingraue scente iam in senium, spiritum salutis quem conceperat, ad multos suæ gentis fœtegit propagare, totamque pene maritimam Wandaliam Christo conquisiuit, quā prius auerterat, multiplicatis per vrbes & vicos monasteriis. Non tulit eum profectum humani generis inimicus. Nam excitatis quibusdam in ea gente male potentibus, Godscalcus cum sacerdote interdocendum mactatur ad aram. Et quum factum suum tumultuantes recensèrent, videntes quantum excitauerint incendium, coniurationem suam fecerunt quàm latissimam. Mox populariter Christianismum reiiciunt, persequentes omne nomen Christianum. Christi virgines, monachi, sacerdotes, & vbique populus Christianus supprimitur: qua tempestate Ansuerus fratrum suorum in Ratzeburg maior, cum cæteris lapidatur. Hamburgensem deinde prouinciam igne & ferro sunt demoliti. Sturmarij & Holsati fere omnes occisi, aut in captiuitatem sunt perducti. Arx Hamburgi, quam noui Saxoniæ duces firmarant, funditus est excisa, & in derisionem religionis etiam cruces sunt obtruncatæ. Percensitis sex euersionibus eius vrbis, ad institutum reuertamur. Quum in diebus suis Hogerus pontifex quartā esset expertus suæ diœcesis euastationem, accessit morbo corporis angor animi, & III. Calend. Ianuarias pastor egregius migrauit ad Christū, sepultusq; est in oratorio S. Michaelis, cum prædecessore suo. Cuius corpus quum post annos CXX. diruta per vetustatem capella quæreretur, præter cruces pallij & ceruical episcopi nihil potuit inueniri. Vnde creditum est, pro viri sanctimonia, iam esse completam in eo resurrectionem ex mortuis: quam quum in Iudæa crebriùs, in aliis quoque prouinciis Deus euidenter ostenderit, noluit huic nostræ regioni domesticum deesse testimonium.

*Godscalcus Christi hostis, deinde testis.*

*Hogerus iam resurrectionis carnis assecutus.*

REGINWARDVS Hogero in archiepiscopatu succedit: qui vnde venerit, aut quis ante pontificatū fuerit, nulla extant monimenta. Nomen eius catalogo pontificū inseritur, vita eius non memoratur. Vnde datur intelligi, paucissimis illum diebus superfuisse. Nullæ eius extant (vt aliorū) literæ priuilegiorum. Quòd autem vix annū impleuerit, imò ne annū quidem plenū, inde colligitur, quòd anno Conradi quinto quum solennis esset cœtus regni, successor eius Vnni interfuit, & eodem anno Hogerus huius prædecessor decessit. Medium ergo anni tempus iste occupauit, quum decessor in principio anni defecisset, & huius successor in fine anni cōcilio interfuisset. Per hæc autem tempora Conradus rex, quum multorum æmulationē pateretur in regno, sapientia tamen & constantia peruicit, vt principes Germaniæ in fide cōtineret. Inter omnes verò præcipuè de Henrico Ottonis filio, duce Saxoniæ, suo in regno successore, curā gerebat: cuius acrimoniam veritus, quia placare nō potuit, tollere cogitauit de medio. Hattoni Moguntino archiepiscopo notam inurunt annales, quòd quomodo Albertum Bambergensem cōmiteri, Henrici ex sorore nepotem, Ludouico regi prodiderit ad mortē: ita Henricum quoq; similem ad exitū cogitauerit regi Conrado in manus tradere. Ferunt, Hattonem, quum aurificis domum in itinere haberet, considerandi operis gratia, quod ille faciebat, introisse. Habebat in manibus opifex torquem ex argento, vt inauraret. Pontificem, quum opus inspiceret, ferunt ingenuisse: & illum qui attenderet, per familiaritatem interrogasse ex pontifice, quò tam altè ducta mitterētur suspiria? Respondisse tum Hattonem, formidare se, quòd quæ nunc auro, pòst nobiliore sanguine imbueretur. Tacitus secum rem perpendit aurifex, secretiùs inde scrutatus, cuius dono pararetur: & quum ex longinquo compertum haberet, Henrico Saxonum duci illā magno munere destinari, curauit ad eundem ducem rem omnem perduci, vt euitaret donum torquis ab Hattone. Dux ipse iam suspectam habens eiusdem pontificis fidem, quòd pridem eius perdidisset nepotem, intelligens quid de se strueretur, inuitanti per solemnem nunciū pontifici iussit respondēri: Vade, renuncia pontifici tuo, non habere Henricū Alberto ceruicem durio-

CAP. 4.

*Hatto Moguntinus proditionum artifex.*

*Henricus Saxo maturè monitus vitauit periculum.*

rem: domi remanens, de illius mecum seruitio tractabo. Et reuersus in Saxoniam, omnia quæ Hattonis fuere & in Saxonia & in Thuringia, peruastabat. Hæc ita fama feruntur, pessimo machinationis exemplo à pontifice, si vera sunt: maligno infamantis veneno, si conficta. Quis enim facilè credat, legitimis sacris initiatũ pontificem Christianum, cui ne odisse quidem permissum est, machinari voluisse in necem tantorum principum? Sed è diuerso monstra sunt scelerũ, sicut & bene gestorum, vt reuera contigisse probentur, quæ nemo potuit futura vel credere, vel præuidere. Cæterùm illis in medio relictis ad nostra reuertamur. Hunc ergo pontificem, quomodo ascenderit, qualiter vixerit, quomodo etiam finierit, peræquè tenemus, præter nomen eius in annalibus nihil ipsius reperientes. 01

CAP. 5. VNNI deinde sacris successit ministeriis, vir habitu corporis (vt ferunt) despicabilis, sed iam Deo commendatus, hominibus quoque gratus, vita sanctus, opere industrius inclaruit. Huius autem assumptio hoc ordine prouenit. Quum iam Reginwardus in fata concessisset, & Ledradus Bremensis chori præpositus à clero & populo surrogaretur, mittitur solenni more ad regem Conradum, pontificalem ferulam (hoc est regalia temporalis dominij iura) ab illo accepturus: neque enim potuit rex aliud quàm temporale committere. In familia autem sua Ledradus electus duxit hunc suum Vnni capellanum. Et quum in conspectum regis prodiret electus, non longè aberat Vnni, dominum suum insecutus. Rex electionis ordinem perspiciens, quum illa tempestate arbitrium constituendorum pontificum maximè sibi reges vendicarent, ferulã quam manu tenuit, præterito Ledrado, à tergo adstanti tradidit Vnni capellano, eum ecclesiæ pontificem designans. Agebat regem diuinus (vt creditur) spiritus, qui olim in Samuele loquebatur, vt præteritis Iessæ sex eximiæ procetitatis filiis, paruulo Dauid regni sceptrũ & prophetalis vnctio seruaretur. Ledradus contemptus, abibat. Vnni regia, imò diuina, voluntate, vir sanctissimus, in episcopatum sublimatur, pro sui sanctitate principibus Conrado atque Henrico regibus Romanorum venerandus, & (quod est amplius) etiam percharus. Potissimã eius ad hominem causam hanc accipimus, quòd rex contempserit populi & cleri electionem sine suo nutu factam: & ideo electum præterit, & alium suffecit. Sed quid dicit Scriptura? *Cor regis in manu Dei, & vbi voluerit, flectet illud.* Huius pontificis temporibus Vngari non modò nostram Saxoniam, aliasque eis Rhenum prouincias, verumetiam Lotharingiam & Franciam sunt demoliti. Dani quoq; Wandalis cõspirantes, primò Transalbianos Saxones (qui nunc Holsati sunt) deinde vltra Albim digressantes, magno terrore Saxoniam quassabant. Apud Danos eo tempore Gormo regnauit, Christianismo non mediocriter infensus: nam omnem in regno Christi religionem extinguere molitus, sacerdotes è suis finibus eiecit, plures per tormenta necauit. At verò Henricus rex, qui Conrado suffectus est, iam tum à puero timens Dominũ, & in eius misericordia totam ponens fiduciam, Vngaros quidem multis grauibusq; præliis repressit. Itemque Bohemos & Sorabos cæterosq; Wandalorum populos vno quidem, sed grandi prælio ita contudit, vt residui pollicerentur imperata se facturos. Deinde cum exercitu rex ingressus Daniam, Gormonem regem primo statim impetu ita conterruit, vt remandaret paratum se cum Romanorum rege per æqua pacisci. Henricus rex victor apud Slesvvicum (quæ etiam Heidebu dicebatur) regni sui terminos ponens, marchionem ibi constituit, hoc est, ducem limitaneũ, & Saxonum coloniam habitari præcepit. Hæc autem ita esse gesta, per quendam Danorum episcopum testificata sunt, & in annales relata.

*Rex alij episcopatum confirmat, quàm qui à clero electus fuerat.*

*Hodie non similis eo modo esse.*

*Marchio quid.*

CAP. 6. VENERABILIS Vnni pontifex, videns per Henrici regis victoriam ostium fidei esse gentibus reseratum, non dormitabat. Præcipuè verò, quia legatio Hamburgensis ecclesiæ pro temporum malitia diu intermissa est, præueniente misericordia Dei, & regis operante virtute, datam occasionem nõ est passus inanem præterire. Igitur nihil arduum nihilq; periculosum reputans, quod honori diuino & animarum lucro impenderetur, latitudinem suæ ditionis nõ per vicarios, sed per scipsum constituit obire. Postea verò quàm Dei confessor peruenit in Danos, vbi rex Gormo, Christianitati necdum plenè placatus, regnauit (etsi vxorem haberet

*Vnni Danie regis impij filium Christo lucrifacit.*

haberet ex Anglia Christianissimã) illum pro ingenita placare nequiuit feritate: filiũ autem eius Haraldum sua lucratus est prædicatione. Quem, adiuuante matre Tira, fœmina Christianissima, ita Christo fidelem perfecit, vt Christianitatẽ, quã pater execrabatur, ille excoleret, & publicè sineret prædicari. Ordinatis igitur in Danorum regno per singulas ecclesias episcopis, aut sacerdotibus, multitudinem credentiũ Haraldo regis filio Dei sanctus ad tutelam commendauit. Cuius etiam fultus adiutorio, nouiitineris cõsortem habuit, qui regio nomine illi adesset. Vbique omnes Danorũ insulas penetrauit, euangelizans regnum Dei gentibus, & fidelibus, quos inibi de veteri memoria reperit, aut captiuos inuenit, in Christo cõfortans consolatur. Deinde vestigia secutus magni Ansgarij, mare Balticum nauigans, graui labore Bircam peruenit. Hoc tunc caput erat Suedici regni, quò iam per annos LXX. nemo doctorũ post Ansgarium ausus erat penetrare, præter solum (vt legimus) Rembertum. Est autem mediterranea ciuitas, non longè ab Vpsala, quæ nunc metropolis est regni, tum erat idolorum cultu famosissima. Quo loco sinus quidam barbarici maris in Boream vergens, portum facit barbaris gentibus, quæ ad hoc mare diffusæ incolunt, optabilem, sed valde periculosum incautis & locorum imperitis. Bircani enim, piratarum incursionibus (quorũ ibi magna grassatur frequentia) sæpius impugnati, quum vi & armis nequeunt resistere, callida hostes arte aggrediuntur decipere: qui sinum maris impacati per centum & amplius stadia latentiũ molibus saxorum obstruentes, periculosum æquè suis ac prædonibus iter fecerunt. Ad quam stationem, quia tutissima est, in maritimis Suediæ regionibus solenne Danorum, Normannorum, Wandalorum, atque Semborum naues, aliiq; Orientis populi pro mercaturis suis emporium constituerunt. In eo portu confessor Domini Vnni egressus in terram, insueta populos compellare cœpit legatione. Quippe Sueones & Gothi propter barbaricæ excursionis tempora (quibus paucis annis multi reges cruento dominati sunt imperio) Christianæ religionis penitùs obliti, haud facilè poterant ad Christi fidem inclinari. Institit tamen opportunè, importunè, vt reges etiam si non ipsi crederent, verbum tamen salutis fieri populo paterentur. Itaq; factum est sancti patris in fatigabili instantia, vt populi, quorũ patres à beato Ansgario & Remberto fidem acceperãt, sed ipsi temporũ malignitate ad paganismum relapsi, nunc demum ad Christũ reuerterentur. Perfecto autem legationis suæ ministerio, quum tandem rebus ad bonum modũ compositis redire disponeret euangelista Christi, apud Bircam ægritudine correptus, ibidem fessi corporis tabernaculum deposuit. Anima verò beata, multarum lucro diues animarũ, in regna siderea transuolauit. Discipuli, pontificis exequiis cum gaudio & fletu procuratis, cætera quidem membra sepelierunt in eodem oppido, solũ caput Bremam reportantes, quod decenti condiderunt honore in ecclesia sancti Petri, ad altare. Obiit autem, peracto boni certaminis legitimo cursu, anno Dominicæ incarnationis, DCCCCXXVI. indictione IX. circa mediũ Septembrem (hic est annus magni Ottonis primus) quum in pontificatu exegisset annos sexdecim, à transitu autem Willehadi, CLXVIII. Exemplar omnium pontificum, vsqueadeò pro salute credentium omnium solicitus, vt etiam, quæ omnibus solet esse charissima, vitã impenderet: Nauigationis incommoda, senectutis labores, pericula maris, ac barbarorũ difficultates omnes, vno Christi amore & animarũ desideratissimo semper lucro exuperans: iam breuis vitæ solicita officia, quæ multi pastores rebus permittunt inanibus, ipse autem vigilantissima semper cura multorum saluti impenderat, perenni beatitudine compensata inueniens, lætusq; nobis desuper inclamat: *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum.*

*Birca Suedia caput accemporium.*

*Vnni Christo militans mouitur.*

936.

OSNABVRGENSI verò ecclesiæ per hæc tempora præfuit Egelmarus, vir Deo dignus, & pontificali honore dignissimus, qui per suam diligentiam iura omnia suæ ecclesiæ recuperauit. Quodque decessor eius inchoabat, hic cum summa vigilantia perfecit, apud Imperatorem Arnulphum, cui se Egelmarus Osnaburgensis præsul & obsequiis & virtutibus perfecit familiarem. Deducta est causa ecclesiæ in iudicium Imperatoris: & poterat, quia super prædiis, & feudis, & rebus erat, quæ erant Imperatoriæ concessionis. Erat illa tempestate maior in ecclesias

CAP. 7.

*Qualis initio fuit cur non perpetua mansit? aut cur vnquã cepit?*

potestas regum quàm sit hodie: pro qua re cum Imperatoribus diu luctati sunt Romani pontifices, in Henricum IIII. & V. Ottonem IIII. Fridericum I. & II. quod in Saxonia nostra plenius attigimus. Sed tamen iste Egelmarus episcopus effecit vt Imperator Arnulphus prælideret iudicio. Productæ sunt literæ, & recognitæ, Caroli Magni, qui abauus erat huius Imperatoris. Adiudicata sunt prædia cum decimis, ecclesiæ Osnaburgensi: & abbas Huxariensis (quæ est Corbeia iuxta Huxariam oppidum) cogitur abire cum patientia. Deditq; rex patentes literas super hac sua cognitione, adiecitq; in eisdem literis donationem quinque ecclesiarũ satis distantium ab Osnaburga: primã in Bocbarcon, alteram in Messendorpe, tertiã in Duren, quartã in Kirchberge, quintam in Froratesheim. Est autem literarũ Da-
889. tum, anno Domini, DCCCLXXXIX. in arce Ingelheim: alij, in regali curia in Forcheim. Has autem ecclesias si vnquam acceperit ac tenuerit in possessione, incertum. Et est verosimilius, alterius iuri detractas, in alienam ditionem nõ facilè concessisse: nisi existimamus singulos pontifices aliquid suo iuri detraxisse, cõtulissequ; Osnaburgensi paupertati. Recognoscit autẽ memoratus Imperator satis humiliter in literis memoratis, nimium se diu restitisse ecclesiæ memoratæ, quòd pro monasteriis starent comites, viri potentes, Allo & Hermannus, donec manu Domini tangeretur. Ergo restituit in integrum ecclesiã. Præfuit autem his episcopus, cum sua laude, annis tribus & triginta, & requieuit in pace.

CAP. 8. MINDENSI ecclesiæ quintus præficitur pontifex Drogo nomine: cuius tempora insigniuit fundatio monasterij dominarum canonicarum in Mœlenbeke, ad annum Christi nongentesimum, minus quatuor. Sic enim inepti quidam indicant versiculi. Quum rebus Germaniæ præesset Arnulphus Romanorum Imperator, fundatrix erat nobilis fœmina Hilborch, & sacerdos Folcurdus, vterque loculpes: centum pagos cum litonibus (hoc est colonis) feruntur contulisse. Pontifex quoque, vt in fundatione concurreret, partem decimarum de suo dicitur contulisse, ea videlicet conditione, vt annuos quinque solidos in auro vel argento ad aram sancti Petri afferrent: & ipse pontifex iusta de loco obsequia reciperet, quemadmodum de aliis locis suo iuri subiectis. Creatur in eo loco abbatissa, insignis puella, fundatricis neptis. Arnulphus Imperator multis priuilegiis hunc locum insigniuit: sed & Otto Imperator secundus adauxit, Henricus secundus adimpleuit. Quum autem incendio deperisset, instauratum accepit patronũ diuum Dionysium, tunc recens à Francia in Ratisponam transtatum per eundem Arnulphum Imperatorem. Extant desuper literæ Leonis summi pontificis IX. quæ rem omnem efficiunt luce clariorem, transtatum in Germaniam Dionysium facto & furto (vt dicit) Arnulphi Imperatoris. Eius bullæ copiam habent hoc loco ecclesiæ Mindensis annales. Sed quoniam instituto nostro non seruiunt, omittantur. Fertur eadem fundatrix, quum maritũ in peregrinatione terræ sanctæ absentem iam desperaret rediturum, ex omni patrimonio amborum, nouem ecclesias construxisse, annumerato monasterio. Quum autem ille insperatus rediret, placatura indignantem præuenit, dicens nouem se filias absenti peperisse, nondũ in Christo regeneratas. Intellexit vir Deo deuotus quid loqueretur: & annuens per omnia, quæ facta sunt approbauit, partem habiturus in regeneratione sanctorũ. Drogo autem pontifex, operibus bonis plenus, ipso die sancti Bonifacij episcopi & martyris rebus excedens humanis, quieuit in pace, relinquens in Imperio Arnulphum memoratum. De cuius miserabili exitu, quia in Saxonia scripsimus, hoc loco temperabimus, non insultantes calamitatibus alienis, nec Deum in suis consiliis super filios hominum terribilem offendentes. Sepultus autem est Imperator Ratisbonæ, ad pedes S. Dionysij, quem de Francia tulit: vt haberet patronum in Germania, quem patres eius sunt in Galliis venerati.

*Magnus in extricandis cy lo capiendis cæsubiis Zelus.*

*Dionysium Galli iampridem non habent.*

CAP. 9. INTEREA Paderburnensem ecclesiam administrabat sub Henrico rege Volcmarus, vir Deo & pontificio dignus honore. Præfuit autem annis XXVII. ad tempora primi Ottonis. Vidit euastationem Vngaricã, & sensit pro sua parte. Sed post Henrici regis victoriam, ex hac peste omnes respirauerunt prouinciæ. Pacauit ergo Germaniam, & suam Saxoniam redegit in ordinem: muniuit vrbes, redegit in mani-

in manipulos militiam, iuuentutem per vrbes & agros exercuit ad arma, vrbibus indixit nundinas, agris cultum suum, ornauit ecclesias, instruxit monasteria, amplificauit Imperium, marchiones quasi duces limitaneos constituit, ad Danos in Sleswig, ad Wandalos in Brandenburg, qui hodie permanet principatus. Italia autem iam colla iugo subduxerat, ne regi pareret Romanorum: & ideo intestinis malis & excursionibus deforis laborauit. Græci, qui post extinctum exarchatū manserunt in ipsa Italia, sub sui Imperatoris obedientia conflixêre crebrius Italis, & iam nunc Beneuentanis graues incumbebant. Theobaldus Camerinorum princeps, suppetias tulit Beneuentanis: congressúsque Græcis, fugauit eos: & quot quot cepit, euiratos remisit, addens ignominiæ risum. Quandoquidem, inquit, Imperator vester eunuchis gaudet, quotquot emiserit armatos, gallinaceos factos remittam. Erat deinde ex hoc genere mulier, quæ virum captum in castra sequitur magnis ciulatibus, vociferansque omnium in se oculos conuertit. Nouitate rei motus princeps, iussit adesse fœminam propius, & quid pateretur, exquirit. Tum illa fidentius, Quid est, inquit, quòd viri fortissimi bellum fœminis indixistis? quid in vos deliquit sexus infirmior? Ad quam Camerinus, Et quis (malùm) fœminis, nisi Amazonibus, bellum inferebat? Tum mulier, Quando, inquit, ad hoc pugnatis, vt victos emasculetis, non aliûs quàm fœminis bellū facitis, quarum de maximo contenditur præiudicio. Omnem substantiam, & quicquid etiā vndecunque possideant, auferatur: dummodo viros relinquatis, habent vnde cōsolationem recipiant fœminæ. Hac verò parte truncatos si remittitis, non viros, sed fœminas spoliastis. Excepit omnes cachinnus: & promeruit libertas dicacis fœminæ, vt virū cum omni præda reciperet. Tum Camerinus, vbi virum & omnia reddidit mulieri, versus in eam, Quid, inquit, faciam vis viro tuo, si iterum in me pugnans, capiatur? At illa, Oculos & aures cum naso amittat, modò vir ad me redeat. Ita dicti sui festiuitate & sibi & viro profuit.

*Ottonis 1. egregia opera.*

*Mulieris de viris non exercendis oratio.*

HALBERSTADENSI ecclesiæ per hæc tempora præfuit Bernhardus ordine VII. Burggrauius Magdeburgensis, quasi tenens Imperiū in Albi flumine, quōmodo comes Palatinus in Rheno. Antiquissima enim memoria in Magdeburg erat munitissimum arcis receptaculum, circumpositis easalibus piscatorum in morem vici, aut oppidi non clausi. Arci præerat nobilitas Burggrauiorū, qui origine Saxones, an Wandali fuerint, incompertū est. Saxones fuisse libet credere, qui circumpositis Wandalis imperarēt: ex quibus originem duxit iste Bernhardus. Diu autem in episcopatu durauit, ad annum Ottonum supra quadragesimum. Erat illi postea cum Ottone iam Imperatore non leuis controuersia, quæ durauit ad mortem vsq; pontificis. Nam quum rex Otto, deprecante vxore Editta, Angliæ regis filia (quæ Albi flumine delectaretur) vt in loco Magdeburg vrbem exædificaret, nundinis donaret ad inuitandos mercatores. Vbi rex annuit, ipsa iussit aratrū duci, valla & muros designari. Concurrentibus ad nouā immunitatem plurimis, incredibile est dictu quam breui coaluerit. Tum rex prosperatū videns nouæ molitionis opus, de religione cogitauit: episcopū ibi, imò metropolim designare cōstituit, Wandalis ad fidē Christi multiplicatis. Deerat territoriū, quod è vicino totū Halberstadensis episcopatus impleuit. Egit rex primùm placidè cum Bernhardo episcopo, vt cederet partem ditionis nouo episcopatui. Ille renititur: ecclesiā suā multiplicare, non attenuare, sibi esse præceptū impositū. Quid multa? Vbi nō suasionibus, nō precibus profecit, vi (pro more regum) agere contendit: iussit captum episcopū incarcerari. Ille patienter omnia suffert, priusquam iura suæ attenuari patiatur ecclesiæ. Rex moram interponit, vt mansuescat ex tempore: sed in eo nihil mutatur. Aderat sacra Iouis Dominicæ cœnæ: quasi chrisma consecraturus, iussit in carcerem dari pontificalia ornamenta: quibus indutus, regem iubet accīri. Credens iam emollitū, & malis perdomitum, venit. Vbi adstitit, episcopus inchoat, In nomine, inquit, supremæ Trinitatis anathematizo te rex, cum omnibus qui te non deserendum putant, quòd manum inieceris, & detines Christum Domini. Rex cachinno excipiens digreditur: altiùs tamen deinde descendit in pectus eius, pontificalis imprecatio. Et intra se reuersus, misit qui episcopum laxarent, impetra-

*Magdeburgū conditur.*

*Quid est ecclesiam amplificare?*

CAP. 10.

ta venia. Ita obtinuit episcopalis seueritas, ne se viuo aliquid ecclesiæ detraheretur. Sed morte eius post annum XLVIII. interueniente, omnia ex sententia regis processerunt: quod suo loco dicemus.

CAP. II. HILDESEMENSI Ecclesiæ per eadem tempora præfuit ordine nonus pontifex Dethardus, incertum vnde ortus, quantumque præfuerit temporis. Vnum non siletur, quòd auream tabulam (quæ extat hodie in eius ecclesia) sacrauit diuæ virgini, munus pontifice dignum. Vidit hic pontifex magnificum Henrici regis animum, ad componendam prouinciam in moribus, & ordine, & exercitio militari. Ministeriales suos, qui soli volunt hodie dici militares, coæquauit vrbicis ad militiam conscriptis: quos etiam in ordinibus duxit, nihil minoris habitos. Sed posteriora secula distinxerunt ordines militantium & vrbicorum, vt iam non patiantur sibi illos coæquari: & (quod est arrogantius) iam qui olim ministeriales dicti sunt aut feudatarij, nunc ambiunt dici nobiles. Sed coarguit eorum superbiam vsus principalium scribarum, & omnium rectè discernentium munera graduum singulorum. Primi enim barones inter nobiles deputantur, inde liberi domini, postea comites, inde duces, quos appellat Papa nobiles viros. Quid patitur ministerialis, vt in hac nobilitatis appellatione coæquari quærat duci? Sed hæc aliàs. Henricus rex, vbi omnia circunspexit, collegium canonicorum, quod Wedekindus tritauus fundauerat in Westphalia in Angaria (vnde titulum retinent hodie archiepiscopus Colonienſis & duces Saxoniæ) transtulit in Saxoniam orientalem, in terram Luneburgensem in Vallersleue: constituitque eo loco episcopum, sanctitate præcipuum virum, Marcum, qui eam ecclesiam per sua tempora deiformiter regebat, multis claresceus miraculis & in vita & in morte: solusque eius loci fuit antistes. Nam Otto Magnus, Henrici filius, sumptum inde episcopatum transtulit in Magdeburg, magnificauitque illum, vt esset metropolita eius regionis: quod suo tempore dicetur. Idem Henricus in oppido Misna fundauit episcopatum ad Albim fluuium, muniuitque vrbem, vt esset præsidium aduersus incursiones barbarorum. Erat autem ea tempestate omnis Misna ditionis Saxoniæ, quanuis hodie diuisos se ferant & lingua & moribus: nec dignarentur Saxones dici, ni faceret respectus electiuæ dignitatis, quæ innititur ducatui Saxoniæ.

*Omnes se aliis anteferri studebat.*

*Principes certatim ecclesias & episcopos ornare contendunt.*

CAP. 12. IN ecclesia autem Verdensi, ea tempestate præfuit Adalwardus, ordine XIIII. vir venerabilis, & illustri genere ortus: cuius vita insignis, fama probata & illæsa, fides erat in palatio notissima, quem ferunt doctrina & miraculis celebrem, Wandalorum populis diu ac multum prædicasse. Quantum autem temporis egerit in pontificatu, nō scribitur, sed quòd ex hac luce migrauerit v. calendas Nouembris. Viderunt eius tempora assumptionem Ottonis (qui filius erat Henrici) in regnū, non quidem illo qui nunc est, electionis ordine (nam illū nepos eius, tertius Otto, adinuenit: quod dicemus) sed placito communi omniū de Germania principū, de Bauaria, Sueuia, Frācia, Saxonia, Lotharingia: nam & illa Germaniæ tum annumerabatur. Gallia autē & Italia se iamdudū retraxere. Sed Otto Italiam reuocauit in ius antiquum, Galliam satis afflixit: quæ sumus in Saxonia executi. Quòd autem huic attinet loco, Treuerensis & Colonienſis archiepiscopi contenderant de noui regis cōsecratione. Treuerensis nixus est antiquitate sua, quòd prior esset in Christianismo fundatus: Coloniēsis autem ius loci prętenderat, quòd suæ esset ditionis Aquisgranū, in quo ob memoriā & præsentiam Magni Caroli, vsq; hodie rex inungitur Romanorum. Sed tum, vt esset controuersiæ finis, delatum est Moguntino, vt impleret ministerium. Vnde factum est, vt vsq; in hodiernū illi primas deferant partes, præsertim quòd sit cancellarius Imperij per Germaniam, Treuerensis per Gallias, Colonienſis per Italiam: & quoniam vires regni sunt in Germania, solet ille cæteris anteponi. Initio autem regni, quum multa ei essent aduersa, & proximi essent inter rebellātes, frater videlicet & gener (quod in Saxonia diximus) per om nes difficultates victor emersit. Deprehendit autē in ea aduersum se cōiuratione fuisse ecclesiasticos, Fridericum archiepiscopum Colonienſem, quem depositum detrusit in Fuldense monasterium. Rotardus quoque Argentinensis episcopus, in Corbeiam

*Electionis ordo alius olim quàm nunc.*

*Otto ex magnis difficultatibus victor emergit.*

Corbeiam includitur. Adeo nihil tam ſanctum, quod non poſſit cõtaminare perfidia. Seueritatem illorum temporum in corrigendo adulterio, ex vno Ottonis facto perpendimus. Quum rex expeditionem militarem crebrius duceret per Italiam, procidit ad pedes eius mulier querula, quòd vim paſſa eſſet ad ſtuprum, rogãs iuſtam legum vindictam. Quum ille feſtinans educere, polliceretur in reditu ſe iuſtitiam facturum: ciuians mulier, Quis tum, inquit, faciet te dominum meum atrocis iniuriæ memorem? Tum ille ſuſpiciens in proximam eccleſiam, Hæc, inquit, erit teſtis inter me & te, & in ſignum iuſtæ vltionis. Ibat ille itinere, & proxima vice per interpoſitos reuerſus, vbi vidit eccleſiam, recordatur delatæ queſtionis. Iuſſit aduocari mulierem. Vbi aderat, præueniens mulier, Sereniſſime, inquit, rex, vir de quo ſum olim queſta, nunc meus eſt maritus: peperiq; ex eo, & iniuriam aboleui. Non ſic, inquit rex: per Ottonis barbam ſentiet dolabrum. Nam inter vos facta colluſio, ſacris legibus non imperat: iuſſitq; virum ſecuri percuti. *Adulterium ſumma ſeueritate punitum.*

INTERIM Mindenſi eccleſiæ ſextus præficitur pontifex Adalbertus. Sed nihil eſt relatum in literas ex omnibus quæ per eum geſta ſunt, vel in diuino miniſterio, vel in opere quolibet pietatis. Et erant tempora plena rebus magnis, quæ meritò ad poſteros mitterentur. Vix enim per ea tempora quicuit turbo perſecutionis ab Normannis terrarum vaſtatoribus: & ecce alius non minor turbo conſurgit ab hoſtibus Vngaris, qui tonuerunt per Germaniam ex Oriente: nec poterãt his perturbationibus eſſe immunes eccleſiæ, quarum tempora ſignamus. Peruenerãt Bremam, igni ac ferro omnia vaſtantes. Non potuit immunis eſſe Minda: & tamẽ tantarum rerum mirum ſilentium eſt, vt nemo in literis recordetur. Quid tum ageret bonus pontifex in tanto terrore, tanto metu? quibus armis obuiam iret: Certè carnalia ad illam feritatem non profuerunt: lachrymæ & orationes opponebantur ab optimo pontifice: & profuerunt eatenus, vt æternam morientibus ſalutem præpararent, & elabentibus vitæ ſpatium impetrarent. Mira temporum illorũ ac ſequentium ratio, vt inundationes fierent terrarum ex incognitis pridem gentibus. Normannos quidem nouimus: de Vngaris auditum nemini fuit, vnde venerint. Huni ante multa ſecula eiſdem orti regionibus deſcenderant, quorum reliquias extinxit Carolus Magnus, in iis ſedibus quas nunc Vngari tenent. Sequuti ſunt Vngaros Turci, gens immaniſſima, hodie magnum tenens imperium: illos verò Tartari, gens in orbem diffuſa latiſſimè. Sed quis tandem finis? De Vngaris tum querimonia, qui iamdiu Chriſtianiſmo fuere pro muro. Adalbertus autem Mindenſis pontifex, qui hæc tempora vidit, eorum incommodo non caruit. Migrauit autẽ ex hoc ſeculo, die ſanctorum Germani & Vedaſti. Extant verſiculi laudibus eius inſcripti: *Vera pontificium arma.* CAP. 13.

*Liberat eccleſiæ, depulſis vulpibus, agrum,*
*Nec iam ſchiſmaticus vorat otiſe lupus.*
*Non dubitat forti pater obuius ire leoni,*
*Maxillisq; graues inſeruiſſe manus.*

Quæ res indicio eſt, laborem illi fuiſſe plurimum in hæreticos, ſchiſmaticos, & male potentes tyrannos. Ille verò ſua tempora magna cum laude peregit.

OSNABVRGENSI eccleſiæ per hæc tempora præſedit Dodo, pontifex ordine VII. ab anno DCCCCXVIII. quo Egelmarus deceſſit ex hoc ſeculo: præfuitq; ſub annos duodecim, vt ferunt: quibus Imperio præfuerunt poſt Arnulphum Ludouicus, & deinde Conradus, in quo defecit ſtirps Caroli Magni. Et ſucceſſit Henricus primꝰ, genere Saxo, pater Ottonis Magni, princeps raræ virtutis: qui pro modeſtia recuſauit nomen Imperatorium, contentus dici rex Romanorum, aut etiam Germaniæ. Præclarè autem res geſſit, domitis Vngaris, qui ſe diffuderant per Germaniam, priusq; ſedes caperent in Pannoniis, vbi iam conſederũt per annos ſupra DCC. Sed ad pontificẽ reuertamur. Extat priuilegium eiuſdẽ eccleſiæ inſigne, qđ hic Dodo fertur impetraſſe ab Ottone I. iam tunc rege Romanorũ, anno XXXVIII. poſt DCCCC. Quod ſi verum eſt, falſa erit quæ prænotata eſt huius pontificis deceſſio: pluribusq; quàm XII. annis ſediſſe comperitur in cathedra. Quomodo enim poteſt certior fieri ſupputatio annorum, quam in Data literarũ, quæ vtiq; diligentiſſimè percenſet cuiuſq; annos & tẽpora? Nam ad ſeqũdi Dodonis tẽpora nõ *Quampridem Vngari Pannonias tenuẽr.* 938. CAP. 14.

poteſt hoc priuilegium referri, eò quòd is incidit in tempora ſecundi & tertii Ottonis, quorum neuter extitiſſe reperitur rex Romanorum. Nam ſtatim declarati ſunt Imperatores, ſecundus ſub patre primo, & tertius adhuc puer, ſtatim poſt patrem. Eximit hoc priuilegium eccleſiam ab omni onere, quod à præfectis aut dominicis nunciis poſſet imponi. Daturq; in ſpecie nũc huic eccleſię, quod longo antè tempore ſuperiores Imperatores dabãt eccleſiæ vniuerſali: de qua re multę ſunt leges in corpore iuris, præſertim in Codice Iuſtiniano. Magis autem ſolet attendi, quod dicitur in ſpecie, quàm quod in genere fuerit enunciatum. Firmauit hoc priuilegium rex manu, impreſſo etiam annulo, per inſtantiam Dodonis, Oſnaburgenſis eccleſiæ pontificis.

*Priuilegium Eccleſiæ.*

CAP. 15. RICHARDVS per ea tempora Mimigardeuordenſem regebat pontifex eccleſiam, vir in vtroq; homine nobilis: nam regium ex Anglia ſanguinem trahere ferebatur, non minus animo & religione inſignis. Nec tamen quietem habere potuit à miniſterialibus eccleſiæ. Erat potens in ditione familia, quę cognomen habebat *Meinhouele*, quæ & opibus & viris præſtaret: ea in ſuperbiam & contumaciam verſa, ſuo repugnauit epiſcopo. Longè erat Imperator, implicitus rebus aut Bohemicis aut Wandalicis, vt non inde timeretur cenſura: ſed vtcunq; potuit, rem ille compoſuit, modeſtia certans & humilitate, vt frangeret moribus, quos armis ſuperare difficile fuit. Sequutus eſt illum in epiſcopatu, ordine VIII. nomine Rumoldus. Cui⁹ in præcipuis virtutib. memoratur, quòd in fame & caritate annonę, multam impendit largitatẽ indigentibus, alter velut Ioſeph in Ægypto, ſic ille in Weſtphalia, terra ſatis inaquoſa & ſitiente, & frugum non ſuperabundante. Sed quoniã pietas valet ad omnia, potuit in optimo patre prouidentia, & diligentia, & circunſpectio, vt multis tum fame deficientibus, fuerit ſalutis conſeruator. Excepit illum ordine IX. in ea eccleſia Hildeboldus, cuius memorabile nomen inde eſt, quòd fratribus ſuis multa prouidens benefecerit. Admoneor hoc nomine, quod in annalibus vbiq; lego, per eccleſias vixiſſe fratres, ordine vtiq; canonico ſub regula diui Auguſtini. Sed vbi abiectum eſt hoc nomen, vt erubeſcant deinde dici fratres, hoc retinentes, vt canonici ſine regula (quum canon ſonet regulam) & domini dici ament? Fugit cum nomine fratris charitas, illi nomini cognata: & ſuccedit amor excellentiæ propriæ, & contentio ſine fine. Decimus ordine in hac eccleſia pontifex, Dodo erat: cui bonum, ſed breue, datur teſtimonium, quòd eccleſiam ſuã laudabiliter rexerit. hoc eſt, vita, moribus, doctrina inſtruxit. Foris & intus prouidit, vt vbique bonum haberet teſtimonium. Ea breuitate quum tranſeãt annales, nos affingere quæ nuſquam legimus, non debemus.

*Canonicos eſſe ſeculares, tanquam regulares non ſint, abſurdum. Vide infrà cap. 24.*

CAP. 16. ADALDAGVS, vir natu nobilis, ætate iuuenis & induſtrius, Ottoni regi percharus, ſucceſſit: & (vt quidam tradunt) acceſſit in archiepiſcopatu Hamburgenſi & Bremenſi, Vnni ſancto pontifici: qui in peragratione prouinciæ ſuæ, & ſacro miniſterio, ſpiritum poſuit pro lucrandis animabus. Aiunt nonnulli, exeuntem de prouincia ſua pontificem, certum non redeundi, quod annos qui vitæ ſupererant, prædicandi miniſterio vellet impendere, archiepiſcopatum Adaldago voluntate fratrum permiſiſſe. Sed ea res, quia neq; veriſimilis eſt, neq; ſacris canonibus conſona, à me fidem non meretur. Quod certum eſt, Adaldagus Vnni ſucceſſit voluntate regis Ottonis, cuius ſemper hærebat conſiliis, eius intimus ac primus ſecretarius, quem ætas noſtra vocat cancellarium (quòd per cancellos, pro multitudine negociorum & interpellantium, conſueuit interpellari) quod miniſterium is præſtabat ſumma fide & integritate tribus Ottonibus. Genere quidem illuſtris, ætate iuuenis, ſpecie decorus, morumq; probitate ſpecioſior. A choro ſumptus Hildeſemenſi, conſanguineus & diſcipulus Adalwardi Verdenſis epiſcopi: cuius tunc vita probata, fama illæſa, & fides in palatio erat cognitiſſima. Qui etiam doctrina & miraculis celebris, Wandalorum populis (vt dixim⁹) eo tempore prædicauit, quo Vnni ad Suedos legatus extitit, eius nimirum opera & teſtimonio commendatus in curia Adaldagus. Ferulam paſtoralem à magno Ottone ſuſcepit, pallium à papa Leone ſeptimo, manus impoſitionẽ (ſicut prædeceſſores eius) à Moguntino præſule. Necdum autem Hamburgenſis cathedra ſuffraganeos habuit, quos huius Adaldagi

*Cancellarii appellatio vnde ſit ducta.*

daldagi ſtudio recepit. Adaldagus igitur primò vt eſt ingreſſus epiſcopatum, Bremam, longo prius tempore poteſtatibus ac iudiciaria manu oppreſſam, præcepto regis abſolui, & inſtar reliquarum vrbium immunitate ſimulq; libertate fecit donari. Regis autem ita vſus eſt familiaritate, quòd ab eius latere rarò vnquam diuelleretur: nunquam tamen aut parochiæ neceſſitati defuit, aut legationis ſuæ curam poſthabuit. Quinimò victorioſi & iuſtiſſimi regis animum in omnibus quæ Dei ſunt, paratum cernens, ſtudium eius ad conuerſionem paganorum incitare non ceſſauit. De legatione ſua (quæ pro gentium ſalute primò a prædeceſſoribus ſuis ſuſcepta, hoc illi ordine prouenit, vt quod alii in lachrymis ſeminauerunt, ipſe meteret in gaudio) toto animi deſiderio incenſus eſtuabat, quomodo perficeret quod religioſo pietatis concepit affectu. Et quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, dedit illi Dominus ad vota ſucceſſum, & proſperitatem temporis, & gratiam regis. Cuius ita vſus eſt familiaritate, quòd, vt diximus, ab eius latere rarò vnquam diuelleretur, vt dono victorioſi & optimi regis in omnibus proſpera retur: quod etiam pro ſententia ita Dei nutu prouenit, dexteram regis in omnibus eius viis corroborante. Otto igitur rex, diuino fultus auxilio, quum primùm ab indiſidiis fratrum ac cæterorum principum eſt ereptus (cui⁹ rei ſeriem in Saxonia peregimus) iudicium & iuſtitiam populis fecit: deinde omnia ferme quæ poſt mortē Caroli Magni ab Imperio defecerant, ad obedientiam reuocarat: in Danos arma corripuit (quos ante pater eius bello repreſſit) tum rebellionem molientes. Nam apud Heidebu (Sliaſwig vocant) legatos Ottonis cum marchione, hoc eſt duce limitaneo (quem illic pater eius rex Henricus rebus præfecerat) trucidatos, violato iure gentium, peremerant, Saxonumq; coloniam illic conſtitutam omnino oppreſſerant. Ad quam rem vlciſcendam, iuſta indignatione ſucceſſus rex, in Daniam parauit exercitum. Tranſgreſſus autem terminos Danorum, apud Sliaſwicum, olim à patre limites poſitos, ferro & igne totam vaſtauit regionem, vſq; ad mare nouiſſimum, quod Danos à Normannis determinat, noſtri *Scagen* vocant. Quo tempore quantam victoriam peregerit rex Otto, vetuſtatis nomina teſtantur. Nam & inſula Ottonia, & mare conterminum, faux Ottonis, ad hunc vſq; diem vocitātur. Cui regredienti, quum Haraldus Daniæ rex apud Sliaſwicum ſe opponeret, prælium non leue initum eſt: in quo vtriliter vtriſq; certantibus, Saxones victoria potiti, Danos in naues refugere coëgerunt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haraldus Ottoni ſubijcitur: regnumq; ab illo recognoſcens, Chriſtianiſmum in Dania publicè permittere eſt pollicitus. Nec mora, ipſe rex, matre natus Chriſtiana, pridem baptizatus ſub Vnni pontifice, Gunhild coniugem, & paruulum filiū Zuenonem iuſſit baptizari. Filium ipſum rex Otto de ſacro fonte ſuſcipiens, participato cum ipſo nomine, honoris gratia, Zuenottonem appellauit. Sed non permanſit in iuuene diu ſuſcepta non ex animo religio.

*Eccleſiæ libertas, a magiſtratus autori tatè eximi.*

*Ottonis aſſa memoratio dona.*

*Otto religionem apud Danos propagat.*

Eo tempore Dania ciſmarina, quæ Iutia eſt, in tres diuiſa epiſcopatus, Hamburgenſi archiepiſcopatui opera metropolitani ſubiicitur. Seruantur in eccleſia Bremenſi literæ regiæ, quæ ſignant teſtanturq;, regem Ottonem in ſua ditione regnum tenuiſſe Danicum, adeo vt etiam illi epiſcopos pro arbitrio donauerit: quod illa ætas regibus permiſit. In priuilegiis autem Romanæ ſedis videri poteſt, quòd Agapetus papa Hamburgenſi eccleſiæ de conuerſione gentium gratulatus, omnia quæ à prædeceſſoribus ſuis, Gregorio, Nicolao, Sergio, & cæteris Hamburgenſi eccleſiæ, & perinde nunc adunatæ Bremenſi, permiſſa archiepiſcopatui, & ipſe conceſſit Adaldago. Cui etiam ſua vice ius ordinandi epiſcopos tam in Daniam, quàm in omnes ſeptentrionis populos, apoſtolica authoritate conceſſit. Igitur archiepiſcopus noſter omnium primus in Daniam ordinauit epiſcopos, Haroldum in Sliaſwicum, Liaſdagum in Ripam, Rembrandum in Aruſiam. Quibus etiam illas commendauit eccleſias, quæ in inſulis erectæ fuere, in Fionia, & Selandia, & Scania, atque in Sueonia: quod factum reperimus anno pontificatus ſui duodecimo. Et hæc quidem initia redeuntis miſericordiæ Dei, ſequutum eſt tale incrementum, operante Deo, vt ab illo tempore in hodiernum diem, eccleſiæ Danorum multiplici borealium gentium fructu redundare videantur.

CAP. 17.

*Primi in Daniæ epiſcopi.*

Quo etiam tempore inuictissimus rex Otto, vniuersos Wandalorum populos suo subiecit imperio: & quos pater eius vno, sed grādi, prælio domuerat, ipse Otto deinceps magno Dei adiutorio ita constrinxit, vt tributa cum Christianismo, pro vita simul & patria libenter offerrent victori. Quo tempore multus ex ea gente populus baptizatur, & ecclesiæ tunc primùm in Wandalia sunt erectæ, de quibus infrà suo loco. Colonienſis autem archiepiscopus Bruno, fratris Ottonis fretus authoritate, veterem de Bremensi ecclesia renouauit quæstionem. Sed dum frustra omnibus modis laborasset, nec Papæ potuit conuellere consilium, nec fratris meruit auxilium ea in re. Ita vir potens & prudens, authoritate Adaldagi nostri archiepiscopi superatus, in nostræ pacem ecclesiæ cum digna satisfactione est reuersus: prędicans, Hamburgensem ecclesiam, quæ in tanto gentium periculo sit constituta, non mereri molestiam à catholicis, verùm esse dignam, quæ ab omnibus consolationis præsidio foueatur, & ab omnibus vbiq; celebretur ecclesiis. Remansit posteris in memoria, quòd rex Otto quēdam Erponem diaconum, quòd viriliter in defensione ecclesiæ suo adstitisset pontifici, ecclesia Verdensi donasset (sed hæc postea) aliosq; qui in prædicatione Danorum ac Wandalorum laborarunt, magnis ecclesiarum ministeriis ab eodem rege fuisse muneratos. Totum verò studium pontificis Adaldagi in conuersione gentium, & lucro constitit animarum: pro quare, & Deo amabilis, & cunctis venerabilis hominibus meruit haberi.

*Colonienſis ambitioſo conatu excidit.*

CAP. 18. IN ecclesia Mindensi per hæc tempora septimus præfuit pontifex Bernhardus: sed annotationes nimis sunt sobriæ, vt præter nuda pontificum nomina nihil inuenias. Quid hîc diuinabimus egisse pontificem, nisi quod vnum pro certo est, instituisse bonum pātrem, vt consolaretur gregem Dominicum, super crebra barbarorum incursione, quæ fuit his temporibus, præsertim ab Vngaris? priusquam per Saxoniam orientalem Henricus dux, Ottonis filius, ciuitates communiret, militiam conscriberet ex agris & vrbibus: constitueretq; in vrbibus, vt quintus quisq; militaret stipendiis quatuor ciuium, ad arma & equos instructus, & per agros octo nonum armarent. Ita factum est, vt exercitum haberet tyronum paratissimum, quo etiam tum vtebatur felicissimè in Vngaros: quod in Saxonia scripsimus. Mirum, si non in veteri Saxonia (hoc est in Westphalia) eodem sit vsus imperio, vt vocaret ad militiam idoneos: certè ciues ille militantes, inter aulicos nullo discrimine habebat. Nunc, si diis placet, militaribus nostri temporis æquari nulla parte possunt. Ita creuit superbia agrestium hominum, vt contemnant ciuilitatem vrbicorum: animos vel inde colligentes, quòd in sua rustica plebe dominentur. Henricus autem dux, inde rex, non illa faciebat discrimina inter militantes, sed quenq; pro sua virtute anteferebat. Inde facta est æmulatio in bonum, vt non paterentur ciues virtute se superari à quouis. Inde creuit robur exercit⁹ & fiducia animorum. Sed nos interim de pontifice quod dicamus, nihil habentes, testimonia vndecunque conquirimus. Extant versiculi,

*Henrici Ottonis F. militaris cōſtitutiones.*

*Sanctus & electus Bernard fuit ſeptimus heros.*

*Pontificis diuinæ laudes.*

Breue testimonium, sed fidele, sed bonum. Sanctus & electus: hoc moribus, hoc vita promeruit, vt eum titulum auro incomparabilem mereretur. Trāsisse scribitur ex hac luce, ipso die S. Magni, in meliorē lucem, quā inhabitat Deus inaccessibilē.

*Herculis exemplo, mundi ne corruat axis,*
*Hic habet, atque humeris grande retentat opus.*

Papæ testimonium viri pluſquam virile: labentem ecclesiam solus fertur humeris sustinuisse, quomodo Hercules terrarum orbem. Quid potuit amplius, quid excellentius in laudem dici? Meritis suis axem tenuisse. Ea certè in laudem pontificis vel maxima sunt, quibus addere nemo potest, vt crescant. De quo autem hoc scriptum legimus pontifice? Satis habuere pro magno, precibus suis interuenisse: sed meritis collabentem ecclesiam fulsisse, plus est, quàm in laudibus cuiusquam dici possit.

CAP. 19. VERDENSEM interim episcopatum tum administrabat Amelungus, xv. huius ecclesiæ pontifex. Frater germanus hic erat Hermanni, quem Otto rex ducali sublimauit honore. Patrem habuerūt Biling, infimæ nobilitatis hominem. Quum enim

enim victoriosissimus rex Otto, ad liberandam Italiam à Berengariorum tyrannide, & ad purgandam sedem apostolicam, quę Iohannis XII. miris esset polluta sordibus, euocaretur: secum agere cœpit, cui terminos Saxoniæ, Danis ac Wandalis nouis ad fidem gentibus confines, commẽdaret: quippe strenuo viro indigere res noua videbatur, qui quotidianis & assiduis curis ad tutelam finium, & ad continendos in fide barbaros peruigilaret. Erat in regiis ministeriis vir industrius, militari, sed infimo genere natus, tenui patrimonio, vtpote septem solis mansionariis gaudens. Hic singulari & incredibili industria meruit, vt primùm regiorum pædagogus fieret filiorum: deinde quum maioribus etiam par videretur officiis, præficitur in absentia regis, regundæ vltimæ Saxoniæ ad Albis confinia. Quo in opere ita se vigilem & iustum ostendit rerum arbitrũ, vt ab omnibus & prędicaretur, & (quod est amplius) etiam amaretur. Nam septẽ eius mansionarii, fiducia fortè freti, quòd dominus eorum præfectura terræ potiretur, insolentiores facti, nonnihil finitimis iniuriæ patrato intulerunt furto. Accusatos & conuictos, vno omnes suspendio iussit mulctari: cuius rei fama percelebri rex motus, omnem illi inferioris Saxoniæ ditionem, per absentiam sui diuturnam, permisit. Sed ille per incrementa quotidiana intantum profecit iustitia & fortitudine, vt ducali illum dignitate reuersus ab Italia rex peromaret: quod in Saxonia ostendimus. Huic erat germanus frater, iste Amelungus Verdensis episcopus: vterq; suo merito congruum est locum assequutus. Credi potest, Hermanni præfecturam, & deinde maioris loci dignitatem, plurimum profuisse Verdensi ecclesiæ, cui frater præesset. Quum enim esset iste Hermannus ex militari genere, dux insigni virtute ad omnes, & in Deum incredibili religione, eam potissimùm voluit declarare in ecclesiam, cui germanum præesse vidit. Extruxit autem iste Hermannus in monte Luneborg primus arcem, deinde monasterium diuo iussit consecrari Michaeli. Durauit arx in memoriam vsq; proauorum nostrorum: tum effracta est ab oppidanis Luneburgẽsibus: monasterium verò inde in oppidum est translatum, ad eiusdem montis pedem.

*Vir ex obscuro loco ad honores virtutis merito euectus.*

REM ecclesiasticam à capite reformare orsus rex Otto, quum venisset Romã, concilium episcoporum patrumq; aliorum vndecunque iussit aduocari, vt in eo conuentu, accusati Iohannis pontificis XII. acta discuterentur. Vocati patres aderant: sed Ioannes male sibi cõscius, iudicium non expectandum ratus, fugam iniit: & per eius iam absentis contumaciam acceptis vndecunque testimoniis, quæ in tanta veritatis luce & factorum notorietate abesse non poterant, solenni patrum decreto indignus summo pontificio declaratur, ac destituitur, surrogato in locum eius viro sanctissimo Leone VIII. qui infula Imperiali Ottonem ex more decorauit. Inde profugus Iohannes, iam (vt antè) vocatus est Octauianus, quum scelerum suorum cõsuetudini inhæreret, pessimo fertur exitu in scelere, quod patrarat, con trucidatus. Leo pontifex, annitente Romano populo, regem (vt diximus) Ottonem, anno regni sui XXVIII. corona donat Imperii, quum omnes acclamarent, Ottoni Imperatori vitam & victoriam, post coronatum Carolum anno CLIII. Igitur quum Imperator filium secum trahens æquiuocum, ad pacandam reliquam Italiam deduceret exercitum, & apud Spoletum moraretur: audiuit tumultuari Romanos, præsertim destituti Iohannis amicos (qui erant in vrbe male potentes) Leonem sede sua depulisse, quum contenderent illum per impressionem & vim Ottonis Iohanni surrogatum, atque in eius locum Benedictum quintum constituerunt. Indignitate rei permotus Imperator, reduxit ad vrbem exercitum, atque agrorum vastatione & pulsatione mœnium adegit ciues, Leonem in suam sedem reponere, Benedictumque inuasorem foras illi dedere: quod ita factum est. Interea Imperatore per vniuersum quinquennium in Italia cum filio remanente, quod rebus componendis multum temporis absumeret, nusquam lateri eius aberat Adaldagus, cuius consilio cuncta gerebat: populus autem noster multis nunciis ac literis apud pontificem suum, diuturnam eius absentiam causatus, querebatur, pericula denuncians ecclesiæ incumbentia, quod boni pastoris solatio destitutus grex tantus videretur. Ille motus, missionem postulauit ab Imperatore, vt ad ecclesiam suam remearet: quam non leuiter tamen impetrauit. Igitur redeunti in

CAP. 20.

*Ecclesiæ reformatio vnde inchoanda.*

*Populi Rõ. tumultus ab Ottone comprimitur.*

*Papa per tumultum creatus relegatur.*

patriam,& ad ecclesiam suam Adaldago, Benedictum nuper deditum (quem Romani tumultuantes papam constituerant)commendatum archiepiscopo, iussit Imperator in prouinciam secum deducere, & illic exulantem detinere, ne per occasionem eius Romani ad seditionem redirent. Acceptum ergo Benedictum Adaldagus secum deduxit honorificè,atq; apud ecclesiam Hamburgensem matricem collocauit,virum sanctum & literatum, &, si nõ per tumultum esset Romanorum assumptus,summo dignum pontificatu:qui exemplo religionis,& verbi sui doctrina,non paucos in vita & moribus ædificauit. Traduntamen nonnulli,eundẽ, priusquam Imperatori dederetur, à Leone execratum, & omnibus ecclesiasticis ministeriis,solenniter degradatum & exordinatum. Quumq; iam Imperatore placato reuocandus in patriam, & (vt inscriptio sepulcri loquitur)ad pontificatum duceretur,dolore animi confectus,in pace quieuit, atq; in choro Hamburgensis ecclesiæ cernitur tumulatus:extructo postea (vt cerni potest) eminenti sarcophago, cuius inscriptio annorum facit errorem. Nam obitus eius contigit anno DCCCC. LVI. vel circa:sed inscriptio hinc longè discedit. Certũ est tamen,in pace fine martyrio quieuisse. Hoc Romanorum historiæ testantur, hoc loquuntur annales nostri, hoc ipsum tumuli testatur inscriptio. Erubescat igitur,at in reimotas concedat tenebras,anilis,inanis,& puerilis fabella,quã imperiti homines & pictura, & scriptura,& annua recordatione consueuerant renouare, de Benedicto papa, qui in diebus Ludouici Imperatoris magno prælatorum,cardinalium, episcoporum,du cum,comitum,baronum,nobilium agmine stipatus, in Hamburgum prædicandi & baptizandi gratia descenderit,euocatus(vt ferunt)à Wandalorum principibus: quorum fraudulento incursu trucidatus cum omnibus fidelibus ab angelis fertur & pingitur delatus ad sepulturam. Indeq; sanctorum reliquiæ translatæ, peruenerint in Ebbeckstorp,nec inde potuerint auelli,quum Romani suos ad tumulum in vrbem Romam deducere niterentur.

*Et nit omnr nõ scriptu traditionibus.*

CAP. 21. ET quoniam altas egisse fabula radices creditur,stirpitus euellenda est. Fabulandi autem occasionem vnde acceperit iste nugator, suprà in Remberto docuimus. Non indoctum hominem,quisquis erat, voluntatem apparet habuisse mentiendi,non artem: ita inconcinnè conseruit facta infectis, vt neq; temporum neq; locorum vllam habuerit rationem. Videratmultas sanctorum reliquias in crypta sub choro seruari,vidit tumulum Benedicti,Romani quandoque pontificis:& quĩ non legerat annales,quàm frequenter Hamburgi oppidum euastatum sit à Danis, à Wandalis infidelibus,vt omne nomen Christianũ in eo deleretur,& multi Christo martyres consecrarentur,ignorauit: neq; intellexit,qua occasione Benedictus ille,non prædicatum aut baptizatum,sed exulatum descenderat in eum locum:ve risimilem suo sensu narrationem ineptissimè conflauit. Sed quoniam sine fine adorant indocti fabellam,iterum atq; iterum conuellenda est,ac laceranda. Recensemus ab initio egregiam narrationem, & quæ prædem præterita viderentur, nunc extirpentur. Afinino ruditu ineptissimus nugator orditur ab alto,gratulans ecclesiæ,congaudens martyribus,antequam rem narrandam occipiat. Solent docti seruare celeuma ad finem certaminis,& ab imo paulatim erudita solet oratio crescere:ille contrà incipit ab alto,& pueriliter decidit,inuoluens se,vt expedire nõ possit. Ait,querulantes Romam peruenisse huius loci fideles,exponentes summo pontifici,quòd pulsi sint patria ab infidelibus,arma rogantes,vt restituantur. Pontifex Benedictus Imperatori scripsit Ludouico,auxilia deposcens in hostes fidei:ille magno exercitu contenderit in Italiam ad pontificẽ,& illum Roma deducens in Germaniam,dimiserit inde pontificem, patriasq; sedes repetierit. Hæc est illa tragicarum compositio. Quàm paucis verbis,quàm inconcinna figmenta! Primùm,quis vnquam legit vel audiuit,pulsos patria longinquos homines, querulatum venisse Romam ad pontificem,vt armis eius reducerentur? Non solent armati pontifices, electos sedibus barbaros armis reducere: sed super dissensionibus ecclesiarum,super dubiis in religione casibus,super ambiguis in iure rebus adiri. Solent legatos mittere rei componendæ causa,non ipsi transire cum exercitu. Arma habet ecclesia,vt tueatur sua,non vt defendat aliena. Deinde Benedictum pontificem compo

*Vtinã totum Augie ſtabulum extirpare quam &c.*

*Annon aduer ſus Turcã hodie mittit auxilia, & delet?*

nit

nit Ludouico Imperatori. Quatuor in imperio fuisse Ludouicos cõperimus, quorum nullus habuit concurrentem in summo pontificatu Benedictum quartũ: nam illũ nominat. Primo enim imperante Ludouico, Magni Caroli F. pontifices erant, Stephanus, Paschalis, Eugenius, Valentinus, Gregorius. Secundus autem Imperator Ludouicus contemporaneoś habuit pontifices, Benedictum III. Nicolaum I. Hadrianum II. Ioannem VIII. Tertius Ludouicus horum pontificum regnabat temporibus, Sergii III. Anastasij. Quartus verò longè ab horum ætate post CCCC. & suprà regnauit annos, cuius temporibus iam confirmata Christi religione in his prouinciis, nihil tale potuisse fieri, in confesso est. Secundus autem Ludouicus tetigit tempora III. Benedicti: sed ille (teste Platina, diligentissimo temporum calculatore) non in Germaniam cum exercitu descendit, sed quum inuitus ad papatum raperetur, restaurandæ & reparandæ religioni erat intentissimus, non Hamburgi martyrio coronatus, sed Romæ in pace defunctus, pontificij sui anno secundo, sepultus ante fores basilicæ Petri. Tenemus omnium Romanorum põtificum ingressus & exitus, quorum nemo Hamburgi, præter Benedictum V. de quo memorauimus, mortuus est, sed suis quisq; locis. De cœlo ergo ecciderit oportet iste quartus Benedictus, quem ab angelis tumulatum memorat iste fabulator. Sequamur ordinem fabulæ. Primum Ludouicum quarto componit Benedicto: qui non paucis annis, sed integro seculo (vt ostendimus) distabant. Erat enim ille III. Benedictus turbulentissimo tempore, quando non modò cum exercitu non egredi, sed vix poterat in vrbe tutus consistere, donec per I. Ottonem Italia pacaretur. Quòd si errorem prætendis exemplantis, quartum: ponentis pro quinto, assentior V. Benedictum venisse Hamburgum exulatum, non pugnatum: ibiq; dolore animi confectum quieuisse, non armis trucidatum fecisse martyrium.

*Fabulæ diligentior confutatio.*

VIDEAMVS cætera. Narrat Ludouicum Imperatorem contracto exercitu iuisse Romam, indeq; papam eduxisse in Germaniam, & exinde sedes suas repetiisse. Ineptissimus fabulator sicut tempora, ita & loca confundens, putabat Imperatorem ex latere venisse Romã, & recto tum itinere cum pontifice descendisse in Germaniam, ignorans, ex Galliis & Germania per alpes vno pene itinere longo transitu Romam peti. Sed ille facit Imperatorem salutandi pontificis gratia prodisse obuiam illi per Italiam, quasi solatii gratia futurum cum pontifice in itinere. Ineptissime mortalium. Solent Imperatores nostri, cum exercitu, labore maximo, infinitis sumptibus, penetratis alpibus Italiam petere, non salutandi gratia pontificis. Quid enim opus fuit transituro in Germaniam pontifici, eodem itinere per tam multa millia occurrere, quò erat ille descensurus: & quum Germaniam tangeret, dimittere pontificem? Ipse legens erubesco hominis insciti am. Imperator dimittit papã ad arma exerenda, quum sit ille defensor ecclesiæ, gladium portans? Si ad prælium (vt tu vis) ibat pontifex, vel pro eo, vel cum eo iuisset Imperator. Sed dices, Duces illius isse pro illo. Vel vnum ex his nominares. Non solent Romani pontifices vel ad pugnam exire, aut prædicandi gratia longius ab vrbe descendere. Seruant Romani pontifices, quoad licet, Petri sedem. Adiri se patiuntur ab omni orbe, legatos de pace mittunt rogati, prædicatores dirigunt ad opportuna loca suis temporibus. Nunquam lectum est, Romanum pontificem sua sponte longius ab vrbe discedere, aut ad prædicandum exisse. Cętera videamus. Quum ad Albim fluuiũ cum pontifice peruenisset exercitus, ibi recensitis copiis aliquandiu est paufatum: & euocatis vicinis pontificibus, in Hamburgum est descẽsum. Vbi interim archiepiscopus Hamburgensis, qui à diebus primi Ludouici erat Ansgarius, durans longè post Ludouicum? Aderat, an minimè? Si aderat, quomodo, cæteris omnibus cæsis, solus est elapsus? Nullum autem colimus martyrem ex nostrorum catalogo pontificũ: omnes mortui sunt confessores. Sed dicis non affuisse. Quomodo tam inciuilis erat, vt non exciperet venientem in suam prouinciam Romanum pontificem? Aut cur papa, absente loci ordinario, diuina celebrauit, quod minimè consuecuit? Sed permiscens ineptus homo tempora, confundit narrationem. Nam inter auxilia numerat pontifices, Mindensem Theodoricum, Hildesemensem Marquardum, & cæteros cum comitib. Hæc sunt emendicata suffragia, translata de temporib. Rembertiar-

*Cap. 22.*

*Imperator reclusæ defensor*

*Nullus Hamburgensis pontifex martyr.*

chiepiſcopi, quando (vt diximus) Dani cum Normannis agmen Chriſtianum fuderant in loco Ebbeckſtorp. Ita mutuans aliunde, confundit narrationē: quæ inde friuola & ridicula noſcitur, q; neq; locorum neq; temporum habet vllam rationem.

CAP. 23. NARRAT præterea in eadem fabulatione, LX. presbyteros miſerabili crucia tu peremptos. Hæc vera res eſt, ſed non illius loci neq; temporis. Nam iſta ſtrages ex Oldenburg in vicis Wandalorum eſt peracta, non in Hamburgo, tempore Ottonis III. non Ludouici I. Sed inſano capiti peræquè videbatur, facta & infecta locis temporibusq; confundere. Bona lectoris venia hanc peractam velim digreſſionem. Tædebat atq; pudebat inſulſæ fabulationis, quæ pro veritate colebatur: & vinam finem etiam nunc haberet vana ſtultitia. Superfuturos arbitror, qui neq; ties exagitati, ad veritatem reuertentur. ſic delectat inolitus error. Accedit quæſtus turpis, quem de impudenti mendacio nonnulli auſpicantur. Reuertamur interim ad hiſtoriam noſtram. Adaldagus vigilantiſſimus pontifex, reliquias ſanctorum quas ab vrbe Roma deportauit, magna per parochias ſuas diligētia diſtribuit, corporum ſanctorum Quiriaci & Cæſarii & Coronæ, Felicis & Feliciani, Coſmæ & Damiani. Anteceſſores eius, Deo ſeruientium quinq; fundauere cœnobia: his ille ſextum addidit in Heſſinge, nunc tranſlatum in Treuenam. Vbi virgo Chriſti Heilgardis, conſentiente nobili viro Hattone, patre eius, totum patrimonium ſuū Chriſto & ſancto martyri Vito, in ſuſtentationem virginum Deo ſeruiturarum obtulit. Septimam in Phriſia fecit congregationem ſanctorum virorum, de prædio & oblatione inſignium matronarum. Quumq; ſanctus pōtifex omnium eccleſiarum paternam gereret ſolicitudinem, xenodochii Bremēſis præcipuam habuit curam: quod etiam multo maioribus auxit redditibus, quàm anteceſſores illius, adeo vt præter quotidianos hoſpites, XXIIII. pauperes ibi paſcerentur. Quo in miniſterio fideliſſimus erat Libentius, quem ſecum deduxit ab Italia: qui etiam poſt illum cathedram tenuit: quod dicemus.

*Inueteratum error, præſertim quæſtuoſus, extirpari difficile.*

CAP. 24. IN Mindenſi verò epiſcopatu tum agebat ſub Conrado Cæſare Lidarius, in ordine pōtificum VIII. Huius tempore fundatum eſt monaſterium dominarum in Viſchbeke, in honorem diui Ioannis Baptiſtæ. Fundatrix erat domina Hellenburga. Varia fortuna iactatum eſt: vix enim duo interuenerant anni, & ecce Vngari irruunt, nouam plantationem ſubruunt: In Ouernkerke monaſterium iam bene firmatum, penitus ſubuertunt, occiſis martyrio perſonis omnibus quæ inerant CXX. numero periere, annumerata familia clericorum & puellarum. Erat autem annus

936. à Chriſto DCCCCXXXVI. die Felicis & Adaucti. Erant autem tum canonici (vt ſe-

*Supra, cap. 15* runt) ſeculares: poſtea ſumpſerunt habitum diui Auguſtini, & facti ſunt regulares, vſque in hodiernum. Cœnobium autem in Viſchbeke, tum vtcunque inſtauratū, permanſit annis plurimis, donec proprio incendio deperiret: tum quoque in cinere diu fuit, donec à duobus epiſcopis innouaretur. Apparent ſtellæ geminæ per di-

*Iugum paucis ſuaue eſt.* em reconſecrationis, multis videntibus. Sed tum effectum eſt, inſtantia tum regentis abbatiſſæ, vt exemptionis ei priuilegium daretur à ſummo pontifice, ne quis ordinariorum manum immittat, & non niſi inuitatus adſit. Sed cœnobium Ouernkerke euaſtatū, & ſubuerſum aliquandiu permanſit, donec nobilis de Rheno puella Merwinda, omni ſuo (quod locupletiſſimum habebat) patrimonio erogato, inſtaurauit: & collectis inibi virginibus, Domino in finem fideliter in eo loco miniſtrauit. Sed & poſtea incendio deletur: & epiſcoporum inſtantia, qui tum reb. præfuere, reparatur. Placuit autem Deo, vt eo loco virgo ſanctiſſima Maria, ſingulariter inuocaretur: quæ multis ibi miraculis clareſcentibus edocuit, ſingulare ſe eius loci præſidium ac tutelam accepiſſe. Sentiunt aduenæ, ſentiunt indigenæ patrocinium ſingulare: vnde celebre factum eſt ab annis multis, vt votis ſe fideles obligarent & ſoluerent, reportantes læti, quod voto conceperunt. Quanto autem tempore præfuerit hic pontifex, non ſcribitur, ſed quoniam eccleſiā feliciter gubernans, & in tranquillitate relinquens, ad meliora tranſierit.

CAP. 25. OSNABVRGENSI eccleſiæ tum ſub Ottone primo, octauus ordine pontificum eius loci præerat vir optimus Drogo. Quæ tempora ſignat priuilegium à memorato Ottone primo impetratum pro eccleſia Osnaburgenſi, anno Chriſti

DCCCCLII.

DCCCCLII. Renouauit,& literis inſeruit donationes eccleſiæ factas per fundatorẽ Magnum Carolum. Adiecit priuilegio mercatum publicum in loco Widenbrugge: vectigalia inibi colligenda donat eccleſiæ Oſnaburgenſi, ob merita Drogonis, qui tum illi præfuit eccleſiæ. Religioſus Imperator, non minus religioſi patris filius Henrici, quem in Quedelenborg cernimus tumulatum: quem locũ illuſtrauit idem Henricus, fundato ibi cœnobio canonicorum inſigni. Relicta eius Mechtildis, mater Ottonis, rem perfecit à marito inconſummatam. Ea fuiſſe filia memoratur Theodorici Comitis de Ringelheim, ex antiquo genere Saxonum: alij tamen ferunt, Comitem fuiſſe de Aldenborg. Certum eſt enim, illum comitatum eſſe ex omnium vetuſtiſſimus. Præerat tum eccleſiæ Colonienſi, optimus præſul Bruno, frater Imperatoris Ottonis, qui multa fecit in decus & ornamentum eccleſiæ ſuæ & illi ſubiectarum. Peruenit autem hic Drogo ad annum à Chriſto DCCCCLXIX. quo tempore, III. Idus Aprilis diem clauſit extremum. 952. *Comitatus Aldenborg vetuſtiſſimus.* 969.

ADALDAGVS, quum iam rex Otto Danorum regem Chriſtianiſmo adegiſſet, tres epiſcopatus (vt diximus) in Iutia conſtituit. Sleſwico Haraldum præfecit, Ripæ Liafdagum fecit epiſcopum, Reinbrandum in Aruſiam: quibus (quod diximus) commendauit eccleſias, quæ erant in Fionia, Selandia, Scania, & in Sueonia: nam ibi necdum fuere epiſcopales eccleſiæ. Quod enim Anſgarius & Rembertus plantauere, temporis malitia ſubuertit. Vnni renouauit, ſed necdum ad epiſcopia eſt peruentum in regno. Wandaliam quoque ſuis & Chriſtianis legibus rex Otto parere coegit: quocirca in vrbem Aldenborg epiſcopalem iuſſit eccleſiam conſecrari. Præfecit autem illi primum epiſcopum præſtantem virum, Marconem, qui in nouella gente ſtrenuè laborabat: deditque limitem ditionis à Sleſwici terminis per omnem regionem Obotritorum, vſq; ad Panim fluuium, nimirum latiſſimam prouinciam: quæ quia Ottoni Imperatori paruit ad tributa, pariter adacta legibus ſubeſſe Chriſtianis, non ex animi ſententia: quod facilis illa mutatio declarauit. Paruit tamen omni Ottonum tempore & tributis & Chriſtianiſmo, agente Imperatorum ſtrenua prouiſione, & præfectorum peruigili cura. Hæc eſt prima illa Hamburgenſis metropolis dilatatio. Nunc enim primùm cœpit habere ſuffraganeos, quæ hactenus ſola in latiſſimis regnis, religioni diuinæ præſidebat ſine adiutorio. Dura nimirum Wandalorum, ſicut & Saxonũ, pectora, quæ diuinæ religionis metum ſine formidine gladii temporalis non admittunt. Prima ergo in Wandalis erat Aldenburgenſis eccleſia, pro magnitudine & antiquitate vrbis, in ea gente veneratiſſima. Nam in ea vrbe ab olim gentis ſuæ habitauerunt reguli tantæ fiduciæ, vt regi Danorum inferre bella, & inde expectare non dubitarent. Sed quid non edax conſumit vetuſtas? Olim ad mare poſita ciuitas, portum habebat ad mare tutiſſimum: nunc in mediterranea videtur abiiſſe: quòd à mari æſtus exaggerans arenas, excluſit vrbem à portu, vt importuoſa eſſet: indeq; defluxit ſplendor eius, vt iamdiu ruſticum, nec clauſum habeatur oppidulum. Cap. 26. *Eccleſia non ſtatim epiſcopos habuit.* *Chriſtianiſmus metu gladij perdurans.*

EVERGISO nomen erat ei, qui tum in eccleſia Mindenſi pontificatum administrabat. Cuius temporibus Bruno Colonieſis archiepiſcopus, frater Ottonis Magni, corpora ſanctorum Patrocli, Gregorii, & Eſitii, cum baculo ſancti Petri de Roma Coloniam transferebat. Sanctum verò martyrem patroclum, militem Trecaſinum, in Suſatum Angarorum oppidum tranſtulit. Admonet nos Angarorum nomen, vt reminiſcamur veterum Saxonum, qui ſub nomine Angarorum ſe in Britanniam recepere, & pulſis habitatoribus, ſuum nomen indidere Angliæ: vt ex Britannia (quod vetus illi nomen fuit) vſque in hodiernum Anglia dicatur, ab Anglis Saxonibus, quos etiam Angros vocauere. Sed hæc vetuſtiora ſunt, quàm vt ad iſta tempora pertineãt: niſi quòd admoniti hoc loco de nomine Angrorum, præterire non debemus occaſionem exponendæ veritatis, quæ apud multos per inopiam verę hiſtoriæ, fabulis pro vero honoratur. Erant autem hęc ipſa, quæ nunc in manib. ſunt, tempora, clariſſima ſplendore nominis Henrici ducis Saxonię, qui tum in ſua gente & omni circum prouincia tantus erat, vt formidaretur à malis, & honoraretur à bonis. Reſpexere in eum Galli, quorum Conradus in Romano regno prædeceſſor, iam moritur[9], Euerhardo fratri tradidit Imperii inſignia, hortatus vt illa per- Cap. 27. *Anglia à Saxonibus, quę Angari, Angri ſeu Angli erant.*

*Henricus Saxo Imperatoris nomen non sumit.*

ferret ad Henricum Saxonem, quo nemo tum dignior principatu videretur. Migrauit Conradus, & perfecit Euerhardus quod frater monuit, Henrico Saxoni asserens Imperii insignia. Quæ ille tametsi venerans exciperet, & de voluntate principum rex enunciaretur, Romano tamen titulo fertur abstinuisse: satis sibi esse ratus negocii, si per Germaniam & Gallias res Imperii procuraret. Quod & magnificè fecit, & gloriosè amplificauit, transferens Imperii sui limitem ad Danos in Sliaswig (quam fecit Saxonum coloniam) & vsq; ad Wandalos in Brandenborg, ambobus in locis constituens marchionem, qui rebus præesset. Sed apud Danos res euanuit, apud Wandalos autem vsque permansit in hodiernum. Euergisus autem Mindensis per hęc tempora pontifex, die S. Lucæ euangelistę ad meliorem lucem est translatus, relinquens ecclesiam suam in bono statu: & cum augmento gloriæ mutauit ille stationem.

CAP. 28. MAGDEBVRGENSI vrbi, à se in primordiis regni sui fundatæ, Imperator Otto nunc demum post annos XXX. eum addidit honorem, vt metropolitico esset honore: sed diu caruit territorio: de quo regi cum Bernhardo Halberstadensi episcopo grandis erat controuersia, quòd ille ecclesiæ suæ iura minui non pateretur. Illo autem pontifice iam facto de medio, de Vallersleue tulit episcopalem sedem, quam inibi pater eius collocauit, & transtulit in Magdeburg: additoq; honore ex sententia summi pontificis, fecit archiepiscopalem, vt esset omnibus Wandalicis ecclesiis metropolis, & caput: subiecitq; illi ecclesias Mersburgensem, Misnensem, Citzensem, Hauelbergensem, & Brandenburgensem, quæ hodie quoq; illi parent: dedicariq; illam iussit in honorem D. Mauricii. Nam eius tutelaris sancti monasterium in expeditione bellica (quæ multa etiam inuitis principibus admittit) læsisse videbatur: Siue in Italica siue Gallica id fuerit, annales non explicat. Huic autem metropoli præfecit insignem virum Albertum, summæ sanctitatis patrem. Is primus in eam ordinatus ecclesiam, XII. illi annis cum summa laude præfuit, strenueq; pontificatum administrauit, multosq; Wandalorum populos prædi
971. cando lucrat⁹ est Christo. Cuius ordinatio facta est anno Christi LXXI. post nongentos, qui fuit Adaldagi pontificis XXXV. Sunt autem post primam S. Ansgarii ordinationem anni CXXXVII. Quomodo verò & vnde consecuta sit hæc ecclesia, vt primas dicatur Germaniæ archiepiscopus eius, necdum comperi, scien tamen nonnullos archiepiscopos illi non cedere in honore. Nam Saltzburgēlis cum eo contendit de paritate: nec archiepiscopi electores illi cedunt locum. Vnde ergo & in quo primatum habeat, alicunde mihi velim ostendi.

*Magdeburgi constituitur metropolis.*

*Pontifices non tendunt quo eorum maximus, nec constat de iure.*

CAP. 29. QVIA Hamburgensis archiepiscopatus hoc tempore cœpit habere suffraganeos, operæ precium est exponere, qui ab olim limites eius fuerint. Ab occidua quidem parte mari terminatur Britannico, vbi est quæ pridē fuit Bremensis, nunc isti incorporata: à meridie, Albi flumine: ab oriente, Pani riuo: & ab aquilone, mari Danico & Eydora flumine. Transalbiani (qui & Nordalbingi) tribus ab olim partibus constitere, Thietmarsis, Holsatis, Stormaris: quorum metropolis Hamburgum, olim (vt testantur antiqui annales) viris opibusq; potens: Ottonis autem primi tempore, quod nunc est in manibus, in solitudinem redactum, variam deinde fortunam expertum. Et quamuis occulto Dei iudicio vrbs crebrius vastata, decorem suum amiserit (ait scriptor Annalium) honorem tamen seruauit metropolis: vi duitatis suæ damna consolans in profectu filiorum, quos per totam septentrionis latitudinem, suæ legationi quotidie videt accrescere: de quibus lęta videbatur exclamare, *Annunciani, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Primus autē nostrorum pontificum Wandalis prædicauit Adaldagus, territis & iam edomitis per arma Imperatoris Ottonis post Henricum patrem: ecclesiamq; Aldenburgensem in Wagria fundatam (vnde postea in Lubecam est translata) suo, vt diximus, ponti fice primo Marcone imbuebat. Qui satis suo functus officio, populum strenuè docuit, & iugo Christi colla subdere verbo & exemplo monstrauit, prēmia repromittens sine mensura. Erat autē (vt diximus) ditio Marconis Aldenburgensis episcopi, in gente Wandalorū, longa atq; lata: incipiens ab sua ciuitate, in qua sedē habebat, per omnem terram Obotritorum (quæ nunc Magnopolis est) vsq; ad Panim fluuiū

*Hamburgi metropolitana sedes fuit.*

*Episcopatus tres ex vno facti.*

&

& ciuitatem Demyn, procurrit in Orientem. Et pro ſui magnitudine, poſtea eſt in tres epiſcopatus diuiſa: in quibus Aldenburgenſis prima trium, magis tenues ſibi partes retinebat, hodieq; minor eſt cæteris ſua ditio.

ALDENBVRGENSIS eccleſia hoc tempore ad finem Ottonis primi, ſecundum accepit pontificem Eguardum. Alii ſcribunt Eduardum, quod eſt vocabulũ Anglicanum: alij etiam Euagrium, quod eſt Latinum nomen. Vtcunque fuerit, ſcriptores pro ſuæ linguæ proprietate, nomen hoc mutauere: Saxones Egardum, Angli Eduardum: qui Latini eſſe & videri volebant, Euagrium: ſed hoc eſt magis alienum. Virum ſtrenuum, Deo deditum eſſe oportuit, qui tam grandem Dei vineam acceperit excolendam. Meſſis ibi multa, ſed operarii cum eo pauci, quòd refugerent à barbara gente formidata pericula. Et niſi Ottonis gladius formidabilior fuiſſet, quàm diuinæ vltionis cenſura, non tam citò ceruices inclinaſſent. Sategit bonus ille pontifex pro ſuo miniſterio, circumciẽs oppida & vicos, vt alios Chriſto lucrifaceret, alios in accepta fide firmaret. Non erant illa tempeſtate tam claræ vrbes, quàm pòſt ad maris littora ſunt exædificatæ: neque Lubeca, neque Wiſmarium, neque Roſtochium, neque Sundenſis illa vrbs, quæ ſplendore inuicem certant: niſi quòd iamdudum Lubecenſis extulit caput, viris, opibus, armis, cultu & omni ciuilitate præſtans. Tum erant mediterranea oppida, præter vnam Aldenborg, quæ tum ad mare reſpexit: nunc alluuione creſcente, receſſit & ipſa in mediterranea. Mekelenborg, Warlo, Keſſin, tum erant in ea gente oppida clariora: nũc villæ ſunt agricolarum. Sed Eduardo tum erat plenus in religione Chriſti fundanda labor. Quo enim magis gens erat inciuilis & barbara, eo plus illi fuit laborandum, vt ad Chriſti ciuilitatem perduceret. Inſtabat de ſua quoque ditione in eadem gente Albertus Magdeburgenſis epiſcopus, qui cum ſuis ſuffraganeis, Brandenburgenſi, Hauelbergenſi, ſtrenuè illi occurrebat. Septi iam erant vndiq; Chriſtianiſmo Wandali. Nam & à mari Danos audiuere Chriſti euangelio auſcultare: ab oriente autẽ necdum Pomerani credidere, ſed à meridie Magdeburgenſis cum Saxonicis epiſcopis intonabat. Ita proſperè tum creuit in ea gente euangelium: perſtitiſſentq; ſi modum feciſſent ſeculares principes imponendis tributis. Factumq; eſt poſtea, vt per eius rei occaſionem à fide apoſtatarent. Sed hæc ſuis in locis. Quamdiu autem ſupererat Otto, & per omnes dies filii ac nepotis ſui (hoc eſt per trium Ottonum tempora) res in omni decore permanſit: multiplicabantur eccleſiæ, monaſteria extruebantur, & creſcebat cum gloria Dei euangelium eius. CAP. 30.

*Imò Græcum potius.*

*Religio magis metu quàm vere boſcepitur.*

*Principum auaritia euangelium remoratur.*

HALBERSTADENSI deinde eccleſiæ ad finem Ottonis Imperatoris, poſt Bernhardum præficitur ab Hermanno duce Hildewardus, vir Deo & pontificio dignus honore, qui illam eccleſiam regebat per annos XXII. Hic primùm permiſit (quod Bernhardus nunquam conſenſit) de ditione Halberſtadenſi latiſſima, qđ eccleſiæ vicinæ metropolitanæ ad neceſſarios vſus prouenit. Quo tempore curauit Imperator Otto, vt filius ei æquiuocus, per Italiam, opulentam regionem, iam ſub patre notior factus, illi potiſſimùm imperaret. Nam Beneuentum, Calabriam, & Apuliam, iam retropulſis Græcis, ditione tenebat: effectiq; vt filia Imperatoris Conſtantinopolitani Theophania illi deſponſaretur, eſſetq; illi pro dote, quicquid Otto Imperio Orientis per Italiam detraxiſſet: commiſitq; regni principibus & in primis Wilhelmo archiepiſcopo Moguntino filio ſuo, vt fratrem eius Ottonẽ duceret Romam, ab Ioanne pontifice XIII. coronandum: vt non modò patri in Imperio ſuccederet, ſed iam viuenti accederet, anno regni Ottonis XXXI. Quæ omnia legitimè ſunt impleta. Ad annum verò regni eius XXXVI. (qui fuit à Chriſto DCCCCLXXIIII. Otto Imperator cum filio rege Galliam eſt ingreſſus: quæ iam illi non modò fœderata, ſed multiplici erat ſanguine deuincta: quòd ex germana ſorore rex Franciæ natus eſſet, & gener eius Conradus teneret Lotharingiam. Inde in Germaniam reuerſus, proximum Paſcha in Quedelinborg conſtituit celebrare: quod & fecit. Tertia verò feria ante Pentecoſten, venit ad locũ qui dicitur Milewe. Proxima nocte tranſacta, hora cõſtituta lętus ad menſam conſedit: venienq; tempore veſpertinis laudibus interfuit: ſed peracto cantu euãgelii, æſtuare ac CAP. 31.

*Nomen in Italia principat" Græca imperatori adempſit.*

*Ottonis Imperatoris mors, & apud Magdeburgenſes.*

fatigari cœpit. Quod quum intellexissent circunstantes principes, imposuerunt illum sedili. Inclinantem autem caput, quasi iam defecisset, refocillauerũt eum: Expetitoq; sacramento Dominico, & accepto, fine gemitu, cum magna tranquillitate spiritum reddidit Domino, nonis Maii, die Mercurii ante Pentecosten. Inde transportatur in cubiculum: & quum iam serò esset, transitus eius nunciatur populo. Cuius corpus magnis lugẽtium exequiis à filio rege transiatum est in ciuitatem Magdeburg, cuius ille cõstruendæ fuit author: ibiq; honorificè est tumulatũ. Magdeburgenses memores cõditoris sui, statuam ei insignem cum geminis vxoribus, grati animi signa, vsq; in hodiernum conseruant, in foro publico suæ ciuitatis.

CAP. 32. MINDENSI tum ecclesiæ præfuit ordine pontificum x. Helinwardus. Cuius in præclaris rebus hoc memoratur, quòd quum de consecratione maioris ecclesiæ Mindensis hæsitaret, non inueniens monumenta legitima ante se factæ consecrationis: quò solennitate maiori res gereretur, inuitasse fertur vicinarum ecclesiarũ pontifices, Dudonem Paderburnensem (quem ego Popponem alio dictum reor nomine) & Drogonem Osnaburgensem, vt illi in consecratione ecclesiæ suę principalis non dedignarentur adesse. Aderant: & rebus per omnia solenniter de more gestis, maximo cleri ac populi concursu, in sua quiq; redierunt. Consecrata est autem sub honore sanctorum martyrum Gorgonii, Laurentii & Alexandri, cùm annus Christi ageretur DCCCCLII. quum Otto Magnus rerũ Germaniæ potiretur, & crebris expeditionibus factis in Italiam, illam à Berengariorum tyrannide (qui eam inuaserant) liberauit. Quo merito assequutus est, vt à summo pontifice & Romano populo Imperator Romanus acclamaretur & consalutaretur. Moritur hic pontifex anno VI. post suæ ecclesiæ consecrationem. Vocat autem Annalis ecclesiam suam, monasterium. Vnde satis apparet, primordia huius, sicut & cæterarum ecclesiarum, fuisse regularia, sub ordine diuorum vel Benedicti vel Augustini. Erat obitus eius anno post natum Christum DCCCCLVIII. die S. Valentini martyris. Inclytam autem viri vitam testantur, qui de eo extant versiculi,

*Epiſcopi facti memorãdum.*

952.

*Eccleſiarum canonici, initio regulares fuerunt.*

*Hic ſublimatus in ordine pontificatus,*
*Moribus ornatus, doctus, vitaq; beatus.*

Testimonium præferunt, quid de illo homines sui seculi senserint, quàve fuerit apud omnes opinione & sanctitatis existimatione, præsertim apud populum, observatorem sui pastoris.

CAP. 33. SEQVVTVS est hunc ordine proximo in ecclesia Mindensi XI. põtifex, nomine Landowardus. Hic inter omnes antecessores suos primus regalia susceptit de manu Imperatoris Ottonis primi, anno DCCCCLXI. apud Forchem, VII. Idus Iunii. Cœpit tum ea res frequentari apud Imperatores, vt darẽt inuestituram episcopis, & regalia, postquam Leo VIII. omne patrimonium Imperii per Italiam restituit imperio, in persona dicti Ottonis primi. Qua de re literarum copias inserui Saxoniæ, vt videatur cursus & alternatio temporum. Ea tum volentibus & cupientibus summis pontificibus per Imperatores gerebantur. Secuta sunt tempora, quib. per orbem Christianum maxima fuere mala diuturnis temporibus, dum Imperatores, quod diu tenuerunt, dimittere noluerunt: & summi pontifices non paterentur, episcopos de manu laica suorum episcopatuum inuestituram suscipere. Inde duo Henrici Imperatores IIII. & V. duo Friderici I. & II. quartus Otto longa certamina habuere cum contemporaneis sibi summis pontificibus: quam rem in Saxonia attigi & prosecutus sum, quantùm tempus finebat. Sed hunc episcopum Imperator honorare volens, baculum pastoralem preciosum de lignis hebeni, beato Petro & ecclesiæ Mindensi obtulit. Quo etiam tempore monasterium virginum in Walsorde, in honorem sancti Ioannis Baptistæ est fundatum. Finiit autem hic venerabilis antistes cursum huius sui temporis, vt ad meliora transiret, in die sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani, viam vniuersæ carnis ingressus. Reliquere fratres honori eius insequientes versiculos.

*Patrimonium quod Petri dicitur, varios habuit dominos.*

*Inueſtitura certamina diuturna.*

*Præsul Landwardus, moribus redolens quasi nardus:*
*Gregem non tardus, seruat vigilans quasi pardus.*
*Carnem castrauit, hostem, mundum superauit:*

His

*His bene peractis, conscendit ad agmina lucis.*
*Famelicos pauit, sitibundis pocula lauit.*

Inepti quidem nec bene tornati versiculi: sed tamen testimonium qualecunq; præferunt suorum temporum.

HILDESEMENSI per ea tempora præficitur ecclesiæ Ochwinus: præfuitq; annis XXIX. hoc est, vsque ad tempora Henrici Imperatoris Bauari, de sanguine tamen Saxonico. Quo tempore Danicis rebus plurimum in religione profuit Poppo, vir Christianissimus: qui multis peragratis regionibus, multa vidit, audiuit, & recensere potuit. Hic in conuentu solenni procerũ regni, qui tum Wiburgi in Iutia agebatur, quum adessent noui pontifices, Ripensis & Sleswicẽsis, & de religione Christi populariter suscipienda dissererent, essentq; qui ex aduerso patriæ & auitæ religionis tuerentur iura, immiscuit se disceptationi Poppo, multa inferens ad cõuellendam vanam veterum & superstitiosam religionem, & ad fundandam & persuadendam solidã & veram Christi doctrinam. Eoq; tum exiuit disputatio, vt rebus potius quam verbis veritas comprobaretur. Ecce, inquit Poppo, ferrum in modũ chirothecæ fabrefactum, cui manus inseratur cum digitis. Iubeo totum igniri, spondeoq; portaturum sine læsione in quem locum constituitis, per virtutem Euangelij Iesu Christi, & veræ religionis eius. Expectabant vniuersi vt impleret quod dixerat. Ille ignitum ferrum manu induit, & intrepidus sine vlla contractione vultus, aut significatione doloris, ad locum monstratum deportauit. Cernite, inquit, virtutem Iesu Christi, cui parent elementa omnia, quippe qui fecit cælum & terram, & omnia in his degentia. Nunc, si quis assertor veterum fidat religioni quã coluit, experiatur virtutem Dei sui quem adorauit. Obstupuere omnes, præsenti miraculo conterriti, & mutire nõ audebant: quiq; antè insaniuere, dederunt nomina: & sacri baptismatis ad vnum omnes qui aderant, vndam salutarem subierunt. Quo merito in episcopum est omnium suffragio promotus. Hoc etiam tempore Wentzeslaus princeps Bohemiæ, à fratre suo Boleslao, qui ambiuit principatum, odio Christiani nominis cæditur, & preciosus Christo martyr consecratur: pro quo Deus vrbem Pragam, in qua requiescit, multis illustrat miraculis. Eius de rebus plura diximus in nostra Wandalia: nunc tantùm temporum recordamur. Eius festuni peragitur antepenultima Septembris. CAP. 34.

*Poppo cædentis ferri miraculo Danos Christo lucrifacit.*

*Princeps Bohemiæ pro Christo cæditur.*

MIMIGARDEVORDENSI ecclesiæ tum præerat vir Deo & hominibus acceptus, Suederus, ordine XI. à primo: qui pro sanctitate vitæ omniũ opinione dignus est habitus, qui in sanctorum numerum referretur. Hic vidit in diebus suis bellum transferri ex Germania in Gallias. Nam Otto II. consobrinis suis Lothario atque Carolo Franciæ regibus, bellum inferebat, quòd Romano Imperio iusta non persoluerent, seque subducerent legitimæ dominationi: quòd imperiũ à Christo regum omnium rege recognitum, ipsi viderentur posthabere. Et ibi ad bonum modum rebus constitutis, in Italiam Imperator Otto rem omnem conferebat, cum leuiris suis Orientis Imperatoribus pugnans infeliciter, vt vix ipse corpore abiret. Nam vires omnes ibi conciderunt, initio fugæ facto ab Romanis. Sed dum Imperator Otto in Galliis & Italia bellum gerit, Wandali se commouerunt. Nam episcopatum in Brandenborg & Hauelberg subuerterant, quòd essent male Christiani, sola specie præferentes titulum Christianismi, iam nunc in reprobum versi sensum resiluerunt. Citzensem autem ecclesiam Bohemi excurrentes deleuere: ita regnabat vbique Erynnis. Imperator vbi magno suo periculo euasit, laceri colligens reliquias exercitus, in Beneuentanos vindicare constituit: eamq; obsedit vrbem. Accepit, & inde ossa sancti Bartholomæi transferens, Romam perduxit: ac in ecclesiam, quæ est in insula Tyberis, honorificè collocauit. Sed aiunt Beneuentani illusum esse Imperatori: qui dum ossa D. Bartholomæi depoſceret, ædituus simulans se dicto pariturum, alterius ossa pro sanctis Apostoli reliquiis Romam deportauerit. Non arbitror ita simpliei animo gestam, vt non curaret diligenter ossa sibi tradi Apostoli tantus princeps. Plaudunt sibi Itali de calliditate: contemnunt Germanos pro sua (vt ferunt) simplicitate. Sed non erat is Ottonum animus, nõ ea vis ingenij, vt paterentur sibi illudi. Romanis infestus Impera- CAP. 35.

*Franci imperio Romano subiici nolunt.*

*Wandali vastigionem vrbis cuiusdam.*

tor, vt sine tumultu vindicaret in reos proceres, omnes iussit ad epulas inuitari. Medio conuiuio sermo oritur de transgressoribus & desertoribus, recitantur nomina reorum: & sine strepitu conuicti, cæduntur gladio: cæteri epulas, vt potuere, prosequuntur. Ita seuerè gubernabat Otto II. Imperium. Cætera eius magnifica recensentur inter res Saxonum. Vbi se fractum infirmitate vidit in certam incidisse mortem, condito testamento, atque pauperibus & ecclesiis thesauro distributo, concessit in fata, tumulatus Romæ in ecclesia S. Petri.

*Qui exactis sua gerant cæduntur.*

CAP. 36. VERDENSEM ecclesiam tum gubernabat Bruno, vir natu & virtute nobilis, qui hæreditatem quam à parentibus acceperat, Deo & ecclesiæ consecrauit. In loco Vlessem (nunc breuiùs *Vlssen* vocant) monasterium diuæ Virgini ac Ioanni Baptistæ erexit, dicauit, ac consecrauit. veterem ciuitatem vocant hodie Monasterium. Nam quum ibi olim esset oppidum, nunc translatũ reliquit nomen monasterio, vt vetus vrbs dicatur cœnobium. Allodium in Hiddestorp iste contulit ecclesiæ, sarcophagum fecit excindi D. Mariano, plurima ecclesię ornamenta cõparauit: dilexit enim decorem domus Domini, & illi amplificando diligenter in diebus suis institit. Successit in episcopatu Erpo, vir acutissimus: prouectus ad illũ honorem ab Ottone primo, quòd in contentione inter Colonien sem & Hamburgen sem archiepiscopos, ita tum diaconus adstitit domino suo Adaldago, vt polliceretur Otto Magnus, qui primus in ditione Germaniæ vacaret episcopatus, eum esset pro laude industriæ suæ assecuturus. Tenuit enim locum per tempora deinde duorum Ottonum, filij ac nepotis. Nam Otto III. eidem Erponi episcopo permisit, vt monetam suo nomine cuderet, mercatum in loco ecclesiæ suæ solennem haberet. Idem Imperator cõtulit eidem episcopo & successoribus venationem ceruorum atq; ceruarum, sublimium ferarum: qui fuit ab olim seruatus honor sum-

*Decor domus Domini.*

*Episcopus gaudet equo, cambus.*

985. mis principibus. Extant desuper literæ datæ, anno DCCCCLXXXV. Pagum autem venationis, Sturmium vocant. Otto III. descendens in Saxoniam, aliquandiu in Wildeshusen consedit: ibique præcepta nonnulla fecit, quæ extant. Inuisere, credo, voluit antiqua incunabula nobilitatis. Ibi enim Walbartus & Wicbertus, filius ac nepos Wedekindi, magni ducis, qui Carolo conflixerat (vnde omnis Saxonum nobilium stirps prodiit) habitare consueuerant. Quo tempore Hermannus dux Saxoniæ finem viuendi fecit, relictis filiis Bennone & Hermanno: quorum alter ducatum, alter comitatum tenuerat.

CAP. 37. MAGDEBVRGENSIS ecclesiæ primus pontifex Albertus, tum concessit in fata, postquam in XIII. annum ecclesiæ cum magno bonorum operum fructu præfuisset. Successorem habuit Othricum, virum ea tempestate doctissimum, cuius doctrinæ fama celebris auditores etiam illius illustrauit. Qui enim Othricum meruit audire præceptorem, aliquid sibi supra cæteros accepisse videbatur. Tam celebris fama virum illum ad archiepiscopatum subuexit. Iter ingrediens post electionem Romam inuisere, in itinere defecit: & surrogatus est in ecclesiam illã Giselerus, pridem Mersburgensis episcopus. Perfecit autem apud Ottonem Imperatorem Rufum, vt à minori ad maiorem assumeretur ecclesiã, minore tamen non relicta: & arbitrabantur multi, interuenisse *negocium, quod perambulabat in tenebris:* scandalumque peperit res illa ætate incomperta, vt duabus ecclesiis vnus esset pontifex, hoc est vnus spõsus duabus sponsis. Id verò ætas nostra iam desiit pro frequentia mirari, quòd passim cernimus alteram alteri ecclesiæ in vna persona accedere, vt habeat alteram in titulum, alteram verò in commendam. Sed nõ potuere tum pro rei nouitate placari homines, vt æquis animis acciperent, quòd Giselerus vtranque retineret ecclesiam, in Mersburgensem collocans religiosum, qui absentis vicem tueretur: vt esset, iuxta tum acceptam speciem, ex episcopatu facta abbatia, cuius fructus tolleret nihilominus prior episcopus. En temporũ mutationem, quam in multis præterea aliis est attendere.

*Scandalum illo seculo, hodie præmium excogitatis nouis nominibus*

CAP. 38. ALDENBVRGENSI ecclesiæ in Wandalis tertius præficitur pontifex Wago, vir militari non infimo genere natus. Qui regulo Wandalorum dedit coniugem, puellam in primis formæ ac moribus spectosam, vt illum sibi quàm arctissimè deuinciret, & peruios haberet populos eius ad disseminandum Christi euangelium.

Durauit

Durauit aliquandiu affectio magis de parte Wandali simulata, quàm germanitus impensa. Susceptam etiam inde prolem fœmineam, pontifex sacro impositō velo, Deo consecrauit. Sed hæc omnia malignus subuertit, & recidit in irritum. Nam germanam eius episcopo repudiatam remisit, & filiam velatam monasterio abstractam, dedit cuidam suæ nationis nobili coniugem. Quæ in Wandalia nostra plenius explicuimus. Turbatis ergo rebus Wandalicis, dura vidit tēpora iste pontifex: nec profuit instantia, quo minus, recrudescentibus populis, Euangeliū Christi posthaberetur. Interea Haraldus rex Danorū, religione ac fortitudine insignis, Christianitatem in regno suo iamdudum benignè susceptam, vsque in finem constanter retinuit: vnde & regnum suum sanctitate & iustitia confirmans, vltra mare in Normannos & Anglos (nam inde maternum duxit genus) suā dilatauit potentiam. Emundus filius Erici tunc in Suconia regnauit, & Haraldo confœderatus, Christianis eò venientibus placabilis fuit. In Norwagia Aquinus princeps erat: quem dum Normanni superbius agentem regno depellerent, Haraldus sua virtute restituit, & Christicolis placatum reddidit. Aquinus iste ferocissimus, ex genere Inguar & giganteo sanguine descendens, apud Normannos regnum restituit, quum antea diu diuisa prouincia, ducibus regeretur. Igitur Aquinus, xxxv. annis exactis in regno, sine prole decessit, Haraldum sceptri relinquens hæredem, qui simul Daniam possedit atque Norwagiam. Anglia autem post mortem Gudreg, à filiis eius Analaph, Sigereich & Regnolt, per annos ferè c. permansit in ditione Danorum. Haraldus verò ea tempestate filium suum Hiringum misit in Angliā: qui subacta insula, à Northumbris tandem proditus & occisus est. Angli negant totam insulam paruisse Danis. Sed de orientalibus & aquilonaribus Northumbrorum prouinciis negare non possunt: magnam enim vernaculæ suæ linguæ partem inde traxere. Inde factū est, vt maiores, de suæ linguæ multiplici commixtione erubescentes, Gallica vtantur.

*Wandali in vera religione valde fluxi.*

*Religio apud Danos promouetur.*

*Angliæ lingua multarū miscellanea.*

LVDOLPHVS, vir natu nobilis, in ecclesia erat Osnaburgensi ordine IX. sub Imperatore Ottone secundo. Qui dato priuilegio, ecclesiam illam quibusdam factis donationibus amplificauit, ob preces Theophanię contoralis suæ, & ob respectum optimi pontificis Ludolphi, quem suum vocat consanguineum. Fieri enim potuit (idque nomen indicat) fuisse illum ex antiqua nobilitate Saxonum, vnde & tribus Ottonibus fuit origo. Nomina prædiorum, quæ elargitus est ecclesiæ memoratus Imperator, hæc sunt, Apelderberch, Hesnow, Linga, cū curtibus & mancipiis adiacentibus. Quæ adeò etiam memorato episcopo dedit in proprietatem, vt si videretur illi, pro suo arbitrio alienaret. Quæ res indicat, magis tum Imperatorem, quum daret, respexisse in personam episcopi, quàm ecclesiam: alioquin arbitrium non permisisset distrahendi. Data literarum in Logbarden, siue illā Longobardiam signauerit, siue locum alium. Crebrius enim is Imperator in Italia versatus est: defecitque ibidem, tumulatus in æde D. Petri. Annus autem huius dominationis erat, DCCCCLXXV. anno Imperatoris illius septimo. Peruenit autem hic pontifex ad annum LXXXIII. post nongentos. III. Cal. Aprilis. Vnde colligimus annos, quibus præfuit ecclesiæ cum summa laude, quatuordecim: hoc est, à LXIX. quo interiit decessor eius, ad LXXXIII. quo ille defecit.

CAP. 39.

*Ottonis II. ampla munera episcopo collata.*

983.

ADALDAGVS Hamburgensis archiepiscopus, per annos quinquaginta quatuor, quos in pontificatu egit, peruenit ad tempora Ottonis III. qui in Wildeshusen consistens, oppido Bremensis ditionis, præcepta fecit, quæ extant, Imperialia. Tribus autem Ottonibus tam fuit cōmendatus iste pontifex, vt rara essent in magnis negocia, quæ sine ipsius interposito consilio transigerentur. Ordinauit in Daniam plures episcopos, quorum nomina quidem reperimus: ad quas verò sedes inthronizati sint, non legimus. Existimari debet, quòd pro rei nouitate nulli adhuc episcoporum certa fuerit sedes designata. Vnde plantandæ studio Christianitatis quisque in vlteriora progressus, verbum Dei tam suis quam alienis prædicare certabant: quod hodie trans Daniam in Norwagia (ait Annalium scriptor) & Suconia facere videntur. Igitur episcopi qui in Daniam ordinati sunt, hi fuere, Haraldus, Liafdagus, Reinbrandus: & post eos Harig, Stercolphus,

CAP. 40.

*Odincarus Danus, Danis Christi prædicat.*

Folchbertus, Adelbertus, Merha, & alij nonnulli. Odincarum seniorem ferunt, ab Adaldago in Sueoniam ordinatum, strenuè legationem suam in gentibus impleuisse. Erat enim vir sanctissimus, & doctus in iis quæ ad Deum sunt: quantum verò ad seculum, nobilis, & origine Danus: vnde & facilè barbaris congentilibus potuit de Christiana religione persuadere. Cæterorum verò episcoporum vix aliquem tam clarum prodit antiquitas, præter Liafdagum Ripensem, qui & miraculis celebris fuit, & transmarinis prædicauit Sueonibus & Normannis. Fuit & Odincarus iunior, nulla in re cedens maiori. Nam ambo literarum peritia & vitæ sanctitate insigniter eminebant: multos subiere labores pro Christo, in Suediam inq; Norwagiam nauigantes, vt rudem populum vel ad Christi fidem perducerent, vel iam credulum in fide solidarent. Quumque multiplici fructu bonorum ac ingenti fidelium animarum lucro ditassent ecclesias, in Christi pace dormientes, ad meliora transierunt, præmia meritorum excepturi. Nouissimis autem huius archiepiscopi temporibus, res in Dania sunt turbatæ. Nam Haraldo rege Christianoq; iam in senium vergente, filius Zuenotto & ipse baptizatus, sentiens procerum magnã partẽ pro susceptа religione indignari, quòd furta & latrocinia per mare, per terras (quibus insueuerant) ea lege interdicerentur: vt ad regnũ patris iuuenis celerius perueniret, patri bellum indixit: regno illum deturbaturus, patris reuerentiã cum Christo abiiciens. At ille senior, qui ab initio susceptæ religionis spem omnem in Christo constituit, tum verò maximè ipsi Deo rei commendans euentum, ita processit ad bellum, vt militibus suis seuera de seruando filio suo præcepta daret: non illo pietate minor, qui & viuentem & mortuum plangebat filium Absalonem. Quo in prælio, miserabili & plusquã ciuili bello, victa est pars Haraldi: ipseq; fuga sibi consulens, elabitur in Iulinum ciuitatem Wandaliæ, tum claram. In qua reparatis armis denuo duxit in filium: sed exitus erat pugnę qui prius. Igitur quum tertiò congressuri viderentur, diremptum est prælium interuentione procerum partis vtriusque. cui rei fidens Haraldus, quum egressus in terrã, se à suis paulisper elongasset, clàm iaculo percussus, ad necem est vulneratus: seq; in Iulinum mandauit reduci, vbi vltimum spiritum Christo reddens exhalauit: reductusq; post mortem in Daniam, regio tumulo in Roschildia tumulatur. Filium autem illi semper deinde sunt sequuti casus, vt facile illum pœniteret abiectæ religionis. Hæc autem plenius in Dania atque Wandalia fumus executi, nunc solorum sub pontificibus temporum recordantes.

*Zuenotto Danus Christianam religionẽ abiicit.*

*Pater filij infidelis circumuentus.*

CAP. 39. Ezico quarto ordine ab Adaldago consecratus est pontifex in Aldenborg vrbem Wandaliæ, longæuo pontifice, & iam in vltimũ senium declinante. Interior autem Wandalia, & in Orientem ad mare diffusa, cuius populi Polabi, Obotriti, Kissini, Winuli, Circipani, fidem Christi quidem audierant, sed necdum germanitus imbiberant: quanuis Corbeiæ patres & alij prædicatores ab Hamburgo & Magdeburgo sunt immissi. Duodeuiginti pagos quum haberet ea Wandalia, quæ Oceano Albique includitur, vsque in Prussiam atque Poloniam, omnes vsque ad tres tum fidem accepisse memorantur. Princeps autem eius temporis Christiani, sub quibus pax continua fuit, Wandaliq́ue sub tributo seruierunt, his erant nominibus, Missisla, Naccon, & Sederich. Missisla ille ipse est suasuor paterni sceleris, qui induxit parentem Bilugum, vt remitteret repudiatam vxorem Christianã, quam sororem fuisse diximus Wagonis Aldenburgensis episcopi: & vt fororẽ iam Christo dicatam, eximeret monasterio, traderetq́ue marito. Turbatio enim rerũ Christianarum in Dania, audaciores fecit Wandalos, vt & illi proiecto iugo, tributa simul & Christianismum recusarent. Sed hæc omnia adhuc timidius gerebantur, quòd vererentur arma Ottonis III. & Bennonis ducis Saxoniæ, quem filium reliquit Hermannus, ab Ottone primo ducali præditus honore. Sub hoc autem Eziconе pontifice, nata est turbatio à principe Nistiwoi: qui quum sequutus esset Bernhardum ducem Saxoniæ mille equitibus in Italiam (quum dux Imperatorem Henricum vadentem in Calabros fuisset comitatus) & promissa inde nuptiarum præmia Wandalus demoraretur, Brandenburgensis marchio Theodoricus rem omnem turbauit, non esse dandam cani nobilem puellam. Ea contumelia altius insedit

*Wandalis egrè Christus innotescit.*

*Verbum contumeliosum magnas turbat Christianæ causæ initus.*

insedit pectori eius, vt amicis questus Saxonum in se superbiam, arma rogaret auxiliaria ad vindictam. Fit coniuratio valida. Marchio deturbatur omni sua ditione, Aldenborg vastatur ad exterminium, LX. presbyteri miseris modis excruciantur: fit cum contemptu religionis grauis in omnes persecutio. Cui se immiscuit Godscalci, nobilis inter Wandalos iuuenis, iusta indignatio: nam parentem eius Saxo occiderat. Fit acerrima in omnes Saxonici generis & Christiani nominis persecutio. Adiuuit hanc acrimoniam iustum de acerbiore tributorum exactione in Saxones odium: dum enim illi modum non faciunt exactionis, fit pariter & religionis contemptus. Non poterant discrimen ponere barbari inter religionem & potestatem secularem: alterum cum altero coniunctum, iuxtà in odio collo cabat. Interea præsul Adaldagus magno fractus senio, de legatione sua voti compos effectus, & in omni opere suo domi forisque prosperatus, in senectute vberi migrauit ad Dominum, anno pontificatus sui LIIII. Dominicæ autem incarnationis, DCCCCLXXXVIII. regnante Ottone tertio. *Tributorum magnitudo religionem infamem reddit.* 988.

PADERBVRNENSI per ea tempora præfuit ecclesiæ vir clarus Retharius. Præfuit autem ecclesiæ suæ, cum magno bonorum operum fructu, annis XXVIII. multaque fecit in obsequium eius. Anno autem pontificatus eius XIX. ciuitas Paderburnensis grauí incendio concremator, & nobile principalis ecclesiæ monasterium, præcipui operis & decoris a Carolo fundatum, & a Badurado eiusdem ecclesiæ pontifice consummatum, cum libris, priuilegiis plenariis, aliisque ecclesiæ ornamentis conflagrabat: ob quam rem Retharius episcopus solennes misit nuncios in vrbem Romam, tam summo pontifici, quam Imperatori ibi tum agenti, detrimenta suæ ecclesiæ denuncians, omnia priuilegia ecclesiæ suæ prædicta tam à Romanis pontificibus, quam Imperatoribus concessa, postulauit innouari. Quæ & innouata sunt ab vtroque principe Christianissimi, Papa & Imperatore, sub Data Cal. Ianuarij, anno Domini millesimo, pontificatus Syluestri (qui antè fuit dictus Gilbertus) anno secundo, Ottonis III. Imperij XVIII. qui fuit vitæ & regni nouissimus. Nam post eaquam Crescentio Romanorum patritio colluctatus cum fuperasset, captumque iussisset decollari, vxor eius, callida mulier, & suæ pulchritudinis conscia, Imperatorem pellexit in amorem. Sunt qui adstruant, etiam pollicitum nuptias mulieri. Sed non erat quod mulierem mulceret: vindictam quærebat de priore marito, quam quum vi non posset peragere, dolo implcuit. Nam vbi sensit Imperatorem abiturũ, dono misit chirotheras insigni ornatu: sed in eis toxicum ita absondit, vt ab recipiente donum vitari nõ posset. Ita periit sine prole: prævaluitque electio, quam idem Imperator cum Gregorio quinto propinquo suo fecisset, quæque durat in hodiernum: vt non legitima succesione quæratur Imperator (quo modo à memoria Magni Caroli videbatur inolitum) sed electione septem primitiuorum principum assumatur. *Incendiũ Paderburnense grauissimum.* CAP. 40. *Ottonem III. mulier amoris specie veneno permist.* 1000.

HILDESEMENSI tum præerat ecclesiæ vir præstãs, Osdachus, per annos quinq; & viginti, per tempora videlicet Ottonis III. ad Henricum II. Vidit illa ætas grauc exterminiũ ab Danis, excurrentib⁹ pro sua cõsuetudine. Annus erat LXXXVIII. post nongentesimum, quum sub rege puero Germania in contemptum venit Danorum. Nam omnia maritima Phrisiæ vastauerũt: & per Albim ascendentes, Stadium petiuere: ibi in terram egressi, populationibus insiterunt. Nobilitas eius loci se obiecit, marchio Sifridus, ac comes Didericus, ingenti auxiliorum manu cõtracta, Danis atq; Normannis se obiecere. Diu fortiter pugnatur vtrinque: cessere demum Saxones, capti illustres viri, marchio Sifridus & Theodoricus comes, cũ aliquot ex nobilitate viris, & promiscuis militibus sine numero. Trahuntur in naues captiui, vt magno à suis ære exoluto, liberentur. Piscator erat, qui per artem qualemcunque scapha sua exceptum Sifridum abduxerat: quo comperto in cæteros sæuierunt, manibus aut pedibus aut naribus præcisis. Præfuit adhuc Saxoniæ rebus Benno, Hermanni filius. Is re comperta, superuenit cum memorato Sifrido, ac valida suorũ manu: & conserto prælio, egregie in Ascomannos vindicauere. Sic enim appellati sunt illa tẽpestate Dani excursores. Alia quoq; manus XX. M. quum à ductore Saxone in inuia deducerẽtur in Glindesmoer, ad vnũ omnes cæsi sunt à super- *Danorũ gratiis impressio.* CAP. 41. 988.

superuenientibus Saxonibus. Terruerunt multas tum & antè Dani nationes, foris inuicti, intus non ita. Nam & Henrico & Ottoni regibus, patri ac filio, cessere in limitibus regni. Mira hominum frequentia. Poterant egredi xx. xxx. c. millia, & per littora Germaniæ ac Galliarum grassari: intus nulla videbatur hominum iactura. Ita tum regiones aquilonis scatebant mortalibus: quippe apud quos illa ætate, vel rara vel omnino nulla fuit lues de peste: quæ solet multa millia cõsumere, quoties grassatur.

*Pestilentia regiones aquilonares olim non laborabant.*

CAP. 42. HAMBVRGENSI archiepiscopatui post Adaldagũ præficitur Libentius, vir Italicus, prædecessorem suum ex Italia secutus, qui etiam illum nunquam putauit deserendum. Sedit annis xxv. Pallium suscepit ab Ioanne xv. virgam pastoralem ab Ottone III. primus omnium consecratus est à suffraganeis. Erat autem vir literatissimus, & omnium morum honestate præclarus, magistri sui Adaldagi vitam imitatus, & in bonum semper æmulatus: solus ex ordinatione tanti patris dignus est habitus, cui Hamburgensis cura parochiæ commendaretur. Erat enim vir tantæ castitatis, vt rarò se mulieribus visendum præbuerit: tantæ abstinentiæ, vt pallida iciuniis ora semper portauerit: tantæ humilitatis, & in omnes charitatis, vt in claustro quasi vnus ex fratribus vixerit. Multæ nimirum virtutes eius. Quippe contentus quæsitis, rarò curiam adiit pro acquirendis: domi sedit quietus, parochiæ suæ curam egit diligentissimam, totumque studium ad lucra vertens animarum, districtissima sub regula omnes congregationes suas custodiuit. Archiepiscopus factus, curam egit hospitalis, fratribus & infirmis quotidiano ministrabat obsequio. Ipse quoque vice sua xenodochium nepoti suo commendauit Libentio, dum adhuc pax esset in Wandalia. Transalbianos populos frequenter visitauit, & matrem Hamburg paterno fouit amore. Legationem suam ad gentes (vt prædecessores eius) studiosè est executus, licet dierum obstaret malitia. Quo tempore quum magnam in Dania Christianorum persecutionem rex Zueno exercuisset, supplicibus archiepiscopus legatis crebrisque muneribus laborabat, quatenus ferocis animum regis mansuefaceret Christianis. Quibus ille reiectis, in sua credulitate ac perfidia sæuire non cessauit: vnde vltio diuina regem Deo contumacem est subsecuta. Nam quum cõtra Wandalos bellum suscepisset, bis captus, & in Julianum ductus, toties à Danis ingenti auri pondere est redemptus. Nec tamen adhuc reuerti curauit ad Dominum, quem primò in morte patris offendit, & deinde in nece fidelium grauius in se prouocauit. Potentissimus autem rex Sueonum Ericus, collecto innumerabili exercitu Daniam inuasit, & occurrit ei Zueno à Deo derelictus: sed quum vtrinque bello nauali (sic enim gens illa confligere solet) omnes essent copiæ Danorum contritæ, Ericus rex victor Daniam obtinuit. Zueno ergo depulsus regno, dignam factis suis à Deo mercedem accepit. Crebrescebant ex eo tempore mala latrocinia incursantium prouinciis ex Dania piratarum, vsq; adeò multiplicata, vt preciosa quæque de ecclesia Bremensi ad interiora Buccensis cœnobij sint perducta. Præsentem tamen vindictam Sifridus hostium dux in expoliata Ramsola est expertus. Nam malo dæmone mox correptus, mirè rotatur: tamque diu excruciatus est, donec ablata redderet, & tantundem de suis rebus repensaret. Libentius archiepiscopus in malis temporibus quod potuit, fecit. Nam gladiũ ecclesiæ distrigens in eos, effecit vt princeps eius vastationis, per annos LXX. sit integer in sepulcro repertus: donec Adelwardi ministerio (quem Albertus Hamburgensis archiepiscopus misit) solueretur à vinculis, tam diu sepultus: nam illicò est in cineres redactus. Interea pulso Zuenone, Ericus duo regna tenuit, hostis & ipse Christianismi. Ad quem missus Poppo, eius gentis vir præclarus & doctus, iam Sleswicensis ordinatus episcopus, magna populi frequentia in concionem euocata, de fide verbum habuit: & vt præsenti firmaret opere veritatem, candens ferrum (vt prius) quod chirothecæ formam præferret, induit, & ad locum pertulit demonstratum: cuius rei stupore perculsi præsentes, Christo mox crediderunt, magnum momentum fidei subeundæ apud alios futuri. Hoc siue secundò miraculum peregerit, siue hoc potius loco quàm superiore sit peractum, in medio relinquimus. Alio tamen æquè insigni miraculo idem vir præclarus populi no-

*Insignes episcopi virtutes.*

*Zueno à Christo desciscens, multis malis afficitur.*

*Excommunicatus absoluitur mortuus. Infrà lib. 4. cap. 33.*

*Candentis ferri iteratũ miraculum.*

li nouellam fidem imbuit. Tunicam indutus ceratam, quum staret in medio populi circo, in nomine Domini præcepit incendi: ipse verò oculis ac manibus in cælum porrectis, liquentes flammas tam patienter sustinuit, vti veste prorsus ambusta,& in fauillam redacta, hilari ipse vultu nec fumum incendij se sensisse testaretur. Cuius nouitate miraculi,& tunc multa millia per eum Christo Domino crediderunt,& vsque hodie per populos & ecclesias celebre Popponis nomen vbique seruatur.

In Aldenburgensi tum desolata ecclesia, morte Eziconis vacuata, tum erat surrogatus Folcquardus, vir Dei zelũ præferens: sed nihil poterat in re semel turbata. Misti woi princeps dum grauiter vindicat sui contemptum, omne nomen Wandalicum cum eo conspirat. Accessit post aliquot annos Godescalci, nobilis iuuenis in ea gente, iusta de nece patris indignatio, ita vt alter super alterum accedens tumultus, rem omnem Christianam perturbaret. Nihil potuere Saxones. Bernhardus dux frustrà contendebat: omnis conatus episcopi, licet instãtissimus, nihil profecit: odio tributorũ, quæ sine fine exigebãtur, pariter Christianismi nomen erat inuisum. non enim discreuere barbari inter ista. Folcquardus vbi se diu frustra niti cõspexerat, cõtendit in Norwagiã, vbi iam populũ accepit auscultare euangelio: & institit strenuè docere verbo & exemplo: ibiq; cum maximo fructu aliquanta tẽpora feliciter impendit. Respexit tamen in proprias oues, tentare volens si iam miserendi tempus aduenisset: & rediens, reperit rem nihilo quàm prius meliorem. Quo dolore quum cruciaretur, accessit corporis infirmitas: & moritur apud ecclesiã suã. Cui Rembertus ordine VI. surrogatur. Sed neq; ille præualuit in gente feroci lucra facere animarũ. Quo tempore Ericus rex Danorũ Sueonumq;, cum potẽtissimo principe Polonorũ Bolislao fœdus iniit, accepta filia eius vxore: cuius gratia fœderis, Dani à Sueonibus & Wandalis, iuxtà sunt impugnati. Bolislaus autem iam Christianus, cum Ottone III. societatẽ iniens, omnem suã Wandaliam subiecit Imperio, & Russiam & Prussos: sub quorum ferocia martyrio coronatus est sanctus Adelbertus Pragensis episcopus, cuius sanctas reliquias Bolislaus transtulit in Poloniã. Claruit eo tẽpore in Dania iunior Odincarus, discipulus senioris, cognominis sui viri clarissimi: qui in Fionia, Sialandia, Scania, ac in Sueonia prædicans, multos ad Christũ conuertit. Eius discipulus & nepos iste iunior, & ipse nobilis de regio Danorũ semine, de patrimonio suo erexit Ripensem episcopatũ. Quem dudũ Bremæ traditũ scholæ, archiepiscopus Adaldagus & suis manibus baptizauit, & suum illi nomen, vt Adaldagus diceretur, indidit. Quippe apud insignes ecclesias ab antiquo docti viri fouebãtur, qui publicas scholas sustinerẽt, priusquã publica literarũ gymnasia (quæ nunc multa florent) per Christianismum erigerentur: quæ res apud nostrates pene hesterna est. Nã nulla est in Saxonia publica schola, quæ centesimũ longe superet annũ. Erphordia, Lipz, Rostochiũ, vix totis viginti annis distantia habent primordia. Sed ea tempestate quam nunc explicamus, valuit vetus ecclesiarũ consuetudo, ab vsq; Origene & Clemente, & primis ecclesiæ doctoribus traducta, qui apud memorabiles ecclesias Antiochiæ & Alexandriæ suis temporibus docuerũt. Ergo Odincarus iunior à Libentio archiepiscopo nunc ordinatus in gentes, apud Ripam sedem accepit, & illustri vita & conuersationis sanctæ mirabili studio, Deo & hominibus acceptus habebatur. Christianismum in Dania suis est diebus fortiter tutatus.

Cap. 43.

*Tributorum odium animos, hominũ ab Euangelio alienat.*

*Adelbertus martyr.*

*Academiæ seriò in Germania erectæ.*

Hildesemensis ecclesia per ea tempora pontificem habuit Gerardum. Quatuor is solis præfuit annis, sepultus in pace in ecclesia sua. Qua ætate etiam in Norwagiam est euangelium Christi propagatũ, baptizato Olauo rege, Trutonis filio: quanuis nonnulli tradant, illum in Anglia baptizatum: alij etiã missis ex Anglia in Norwagiã episcopis ferunt euangelizatum Christum in ea prouincia: quæ res etsi præiudiciũ intulisse videretur legationi Hamburgensis ecclesiæ, quia tamen nouella fuit prouincia, & multis indigebat noua vinea cultoribus, meritò cũ Apostolo diceret, *Sunt qui per contentionem euangelizant. Quid enim interest, siue per occasionem, siue per veritatem, dummodo Christus annuncietur? Et in hoc gaudeo & gaudebo.* Ericus autem iam Dania potitus cum Suedia, in Dania Christi fidem accepit, &

Cap. 44.

*Apud Norwagios propagatur Dei verbum.*

perinde prædicatores in Suediam admisit: nonnullis tamen arbitrantibus quòd ad paganismũ sit relapsus. Quòd autem idem Ericus aliquando cum Ottone Imperatore III. manus prælio conseruerit, pugnansq; sit victus, Danorũ literæ nõ loquuntur: ab aliis tamen nõ silentur. Sic se res comperta est habere, vt omnes rerum scriptores suæ studeant nationi: veritatem tamen absconde re non oportet, quę est lex prima historiæ. Mortuo Erico, Zueno exul in regnum rediit, meliori necdũ mente. Inde factum est, vt Olauus Sueonum rex, Erici filius, paternam in Dania prosecutus ditionem, iterũ bello expulerit Zuenonem. Tum verò reuersus ad cor, cognouit quia Dominus ipse est Deus: & ex toto corde conuersus in illũ, pœnitentiã peregit errorũ priscinorũ. Exaudiuit illum Deus, & dedit illi gratiam in conspectu inimicorũ suorũ. Nam Olauus Suediæ rex, permisit illi Daniam, eo quòd vitricus eius esset, matrem suã tenens coniugem: & pactum inter eos valuit, de firmando, atq; in vtroq; regno propagando Christianismo. Olauus autem Norwegiæ rex, ex quibusdã causis indicto bello, mouit in Zuenonem: & classem suam armis virisq; stipatam, prouexit inter Sialandiã atq; Scaniam, vbi breuis maris traiectus vtranq; sub oculis constituit prouinciam. Ibi ergo infestis armis concurritur: sed cedunt iam Danis Normanni. Victus Olauus, ne videret victorem, se præcipitem dedit in mare: coniunx quoque eius malo exitu terminauit. Ita quum rediuina fide Christi, Zuenoni regi cum salute, de hostibus redit victoria.

*Historia lex prima, tamen raro usurpata*

*Zuenõ Dei misericordia ad sanitatem redit.*

CAP. 45. SVB Ottone tertio præerat ecclesię Osnaburgẽsi Dodo, eius nominis secundus, ordine pontificũ eius ecclesię decimus: cui præfuit per annos tredecim. Nec habẽt annales insigne aliquid, quod in rebus pro ecclesia gestis nomen eius illustret. Cæterùm quòd sine querela versatus sit in custodia gregis Dominici, satis magnũ haberi debet. Tempora autem eius insignit memorabile factum in ecclesia Coloniensi. Præerat illi Walramus quidam, qui compertum habuit ex detecto per quãlibet occasionem sepulcro præcessoris sui Geronis, illum fuisse viuum sepultum. Ita repertum est cadauer eius se vertisse cum cruoris stigmatibus in sepulcro. Indoluit archiepiscopus Walramus, qui syncopatum illum non arbitraretur, sed verè mortuum, curassetq; illum properantius tumulari. Fecit sibi conscientiam, vt poterat, de illo inconsultius ante tempus tumulato: & Romã profectus, culpamq; detegens inconsultæ festinationis, meruit absolui. Inque satisfactionem, reuersus ad ecclesiam, cœnobium diui Martini vetustate collapsum, magnificè reparauit. Peruenit autem hic Osnaburgensis ad annum XCIX. post nongentesimum. & II. Id. Aprilis obdormiuit in Domino.

*Archiepiscopus mendum mortuis præmaturè tumulatur.*

CAP. 46. MIMIGARDEVORDENSEM tum ecclesiam duodecimus in ordine administrauit Theodoricus, vir ad vtranq; rem solicitus, vt intus religione, foris cresceret opibus & rerũ abundantia, fertur enim multiplicasse & amplificasse prę ben das ecclesię suæ. Currebat millesimus tum à Christo annus, & Imperator Otto tertius, quum iam tertiò Romã cum exercitu petisset, immatura morte raptus occubuit, veneni (vt ferunt) potione, sub specie amatorij poculi, arte Italica. Post cuius mortem Imperiũ in contentione remansit: nisi tunc conualuisset constitutio, quã idem Imperator Otto III. cum Gregorio Papa V. cognato suo, de Imperatoribus eligendis sanciuit. Cuius vigore primus est electus Henricus Bauarus, de genere Saxonũ, ex sanguine I. Ottonis. Primus ille Henricus, qui Imperialem meruit insulam. Nam Henricus I. Ottonis pater, stirps omniũ regũ Saxonia prodeuntiũ, regno Germaniæ contentus, ad coronã Imperij nõ aspirauit. Romanorum tamen regem iustè etiã illũ appellamus, quod in Saxonia ostendimus. Ab illo quidem Henrico iste est secundus, pronepos primi, per nomen semper Henrici: nam huius Henrici & pater, & auus, & proauus erat Henricus. Interea Wandali sub Ottonibus pacati, Christi tum fidẽ sunt passi in suis finibus prolatari. Ottone verò III. de medio facto, quum à Christianis iudicibus plus æquo tributis grauarẽtur, excusso iugo seruitutis, libertatem suã asseruere, quum accessissent occasiones ex principe Mistwoi & Godescalco, quas suprà attigimus: sed in Wandalia nostra plenius sumus executi, quòd illius loci magis ea cõgrua sunt. Theodoricus autem Mimigardeuordensis episcopus, quanto tempore præfuerit, quid rerũ gesserit, in annalibus non legitur.

*Eligi Imperatores quando constitutum. Sup. cap. 40.*

*Radix omnium malorum auaritia.*

ECCLE-

Ecclesiæ autem Mindensi tum præerat Milo, episcoporũ ordine duodecimus. Hic ab Ottone III. anno Christi, DCCCCX CII. Indictione VI. impetrauit, vt monasteriũ monachorũ in quodam suo castello Wedegenborg exædificaret: vbi quędã sancta inclusa, nomen Tuedwif, prima solitariã vitã duxit. Deinde aggregatis fororibus, regulã S. Benedicti, cum multis virginibus, in simplicitate cordis, & sanctitate atq; iustitia Domino famulantibus, constituit obseruare. Quibus illa lac sacræ doctrinæ, velut mater illuminata, & ab infantia rite instituta, præbuit, & religionis sanctæ vitã monstrauit: vt ab hominũ frequentia sequestratæ, Christo Domino possent liberius famulari. Erat tum Saxonia cincta maiori, quàm nunc est, principum respectu: frequentes illi aderant, sedem in ea collocauerãt, crebros ibi Imperij conuentus peregerant. Nam Otto III. (quod in Saxonia nostra diximus) multũ diuq; in sede patrum suorũ, principum Saxoniæ, in Wildeshusen Bremensis ditionis commanebat. Hic verò pontifex, statu sedis suæ religiosè atque optimè ordinato, anno Christi, DCCCCXCIX. ipso die S. Eleutherij, ex hoc seculo nequã, 999. in cælestia regna transiuit. Extant autẽ versiculi, laudem & decus viri testificantes: Cap. 47. *Saxonia olim principum habitatione celebris.*

*Hoc mundi commune iubar, fidus generale,*
*Omnibus in media nube reuelat iter.*

Fuisse illum lumen seculo suo vult dicere, prębuisséque vitæ exempla inter turbines & tenebras mundi huius, in sidereas regiones.

Verdensem autem ecclesiam tum administrabat Bernarius, vir in vtroque homine nobilis, & Imperatori Henrico charissimus: qui eius contemplatione multa contulit ecclesiæ illius priuilegia, & ecclesiam illam sub singularem imperialis maiestatis protectionem accepit. Contulit autem hic pontifex ecclesiæ suæ decimam in Nendorpe. Excitauit iste quæstionem Libentio Hamburgẽsi archiepiscopo, de Ramsola, in districtu eius sita. Sed misso tum per archiepiscopũ Oddone ad Sergiũ summũ pontificem, terminata est dissensio, authorizante Papa, quòd in ordinatione Hamburgensis archiepiscopi locus permaneret, quanuis sit in terminis parochiæ Verdensis. Valuit memoria sanctissimi patris Ansgarij: qui fugiens ex incendio vrbis suæ Hamburgi, illic constituit oratoriũ, & collocauit reliquias, sanctã ibi fratrum fouens congregationem: cuius hodie cernuntur nonnulla vestigia, ex regularibus in seculares dudum degenerantibus, qui locum tenent: vt plerunque omniũ ecclesiarũ decursus est. Bernhardus Bennonis filius, Hermanni primi ducis nepos, tum rerum potiebatur in Saxonia. Ludgerus comes frater erat Bennonis, patruus Bernhardi, qui cũ vxore sua venerabili Emma Bremensi ecclesiæ plurima contulerunt. Archiepiscopus verò noster Libentius, legationis suæ in gentes non oblitus, plures ordinauit episcopos: quorum nomina ac sedes sunt incertæ, vtpote ad initia Christianismi, necdum benè distinctis limitibus per prouincias, neque adhuc firmatis vt oportuit sedibus, quia tempus persecutionis incubuit in Wandalia. Interea Libentius pontifex noster, expleto boni cursus legitimo spatio, migrauit ad Dominum, anno Christi, MXIII. Indictione XI. certa præmia recepturus in regno, quòd pedibus Christi in terris officiosissimè semper deseruiuit, hospitibus, pauperibus atq; ditibus peræquè benignus: nihil suo tempore intermittens, quod optimi curam patris deposcere videretur. Cap. 48. *Diuisidium episcoporum, papæ autoritate sublatum.* *Episcopi initio prædicationis sedes certas nõ habent.* 1013.

Berwardvs Deo hominibusq; commendatus, nobili genere prodiens (erat enim natu comes de Sommerschborg) in vtroq; homine illustris, tum in ecclesiã Hildesemensem assumitur pontifex, ordine XIII. præfuitq; cum multa laude ili ecclesiæ per annos viginti nouem. Opus illius est monasterium S. Michaelis, ordinis D. patris Benedicti, quod à fundamentis extruxit, & prædiis dotauit & ditauit. Talemq; se præbuit in vitæ sanctimonia, vt viuens & mortuus clarescèret miraculis: quocirca in sanctorum numerum est suo merito relatus, & ab ecclesia inter diuos confessores honoratus. Eius temporibus erat grauissima epidemia, vt villæ, vici & oppida vacuarentur habitatoribus in orientali Saxonia. Quam occasionem obseruantes Wandali (perpetui tum Saxonum hostes, quòd iugum subiectionis & Christianismi tum abiecissent) magnis agminibus venêre in Saxoniam: sed non & venisse gaudebant. Nam Imperator immissis armorum auxiliis, insigniter fecit Cap. 49. *Popularis morbus seuissimè grassatur.*

castigari excurrentes. Berwardus verò pontifex, operi intētus diuino, nihil omittebat ex omnibus quæ ad solicitum pastorem, bonũ patrem, optimum episcopum pertinere videbantur. Præfuit verbo, exemplo, & rebus omnibus bene cedentibus diuina miseratione, ecclesiamq; suam in diebus suis nõ mediocriter prouexit. Scripta sunt de eius vita non contemnenda miracula, quæ apud ecclesiam conseruantur, ad quæ remittimus desiderio eius rei flagrantem lectorem.

CAP. 50. HALBERSTADENSEM verò ecclesiã tum gubernabat Arnoldus, vir omni virtute cõspicuus, in illa ecclesia nonus episcopus: præfuit autem annis XXVII. cum multa laude & fructu bonorum operũ. Auxit quoq; ecclesiæ prædia in bonũ modum, vt non sentirent detrimenta rerum quæ inde ad Magdeburgensem peruenerunt. Turbatus tum erat Christianissimi status per Wandaliã, vt per septuaginta annos, à memoria 1. Ottonis fundata religio, tum labefactaretur, principibus eius gentis auersis: licet in populo esset, qui acceptã religionem strenuè secũ asseruarent. Ita vt in diebus suis idem Godscalcus, qui nunc iuuenis vindex esset paternæ necis, in ætate proiectiori, quum ex Dania rediret, ad cor reuersus, reuocaret Christo quod pridem auerterat, ipse factus victima pro populo: quod posteriùs suo tempore dicemus. Sed & Mistiwoi princeps, is qui contemptũ sui de Bernhardo duce Saxoniæ fuit persecutus, grauiter licet insolescens in Saxones Christianos, vt in auxilium vocaret congentiles suos dæmonicolas: ipse tamen susceptam Christi religionem non deseruit, sed se Christianis reddidit, in Bardewico consenescens, & in Christi fide moriens. Quo tẽpore venerabilis comes Henricus præpositurã fecit in Rosenfelde, aliàs Hertzfelde, hoc est sub præposito, fratrum conuentũ. Iamdudũ fuit abbatia sub regula diui patris Benedicti, rebus lapsis ad eam tenuitatem quæ cerni potest: dum posthabito Dei timore, & regula antiquata, facit quisque quod libet. Hæc facta sunt vltimo tempore senioris Libentij, sub duce Bernhardo Hermanni nepote, quem Otto primus euexit. Magnam is Bernhardus præstitisse creditur occasionem (si non causam) auersioni Wandolorum: nec potuit illos aut gladio aut altera vlla via in integrum reuocare.

*Annis LXX. intermittitur religio apud Wandalos.*

*Præpositura quid.*

CAP. 51. ALDENBVRGENSIS tum ecclesiæ, etsi insigniter euastata in Wagria (pars est ea Wandaliæ occiduæ in Holsatiæ confinibus) præsidebat vir egregius, Benno, prudens, & magnæ sanctitatis cum industria. Hic vt poterat, recollegit redditus ecclesiæ Aldenburgensis, pro subsidio sustentationis fratrũ, per Ottonem primum assignatos. Illis quoq; temporibus, qui nunc per ecclesias dicuntur canonici, tunc fratres in omnibus ecclesiis cathedralibus Saxonum ac Wandalorũ nuncupabantur. Sed quum iste vir, propter grauem manum Saxoniæ ducis Bernhardi, in exigendis tributis ab gente Wandalorum, populum ad fidem nouiter reuersum, nimis pensionibus vectigaliũ grauantis, nihil proficeret (ob eam enim causam reperit Wandalos nec Dei memores, nec ad sacerdotes beneuolos) videns se circa populum casso labore fatigari (quum, iuxta prophetam, *vinus ædificans, & vinus destruens, non prosperentur*) quum non inueniret vbi requiesceret pes eius, peruenit ad Hildesemensem præsulem Berwardum, aperiens ei angustias suas, ac quærens in tribulatione consolationem. Ab eo humanissimè recollectus, quum dedicaret eo tempore ecclesiam monasterij sancti Michaelis in Hildesheim, quod Berwardus episcopus nouiter fundauerat, à populo Benno episcopus compressus & attritus, post paucos dies vita functus est, in aquilonari eius ecclesiæ absidehonestam recipiens sepulturam. Successit illi in ea sua ecclesia Aldenburgensi ordine VIII. Meinerus. Qui, vt aliquanti prædecessores eius, etsi vigilanter institisset populum Wandalicum ad iuga Christi reuocare, obstitit ei tributorum ac vectigalium grauis nimium exactio, vt non magnopere proficeret: populum autem qui in fide remanserat, & aduenas Saxones potuit in fide retinere. Sed vsque ad redeuntem è Dania Godscalcum, nihil magnum in ea gente paratum est ad reponendam religionem. In eodem fuit temporum cursu & successor eius Abelinus, ordine bonus pontifex, vt res tenues per Wandaliam vtcunque sustineret: amplificate autem non poterat, ex causis memoratis.

*Canonici qui nunc sunt, olim fratres sub regula.*

*Benno populi frequentia oppriuatur.*

ALBER-

# ALBERTI KRANTZII METROPOLIS, LIB. IIII.

VNWANVS in metropoli Hamburgensi successit Libentio, vir natu nobilis, ex choro sumptus Paderburnensi. Ferulam susce-
pit ab Henrico Imperatore, pallium à Papa Benedicto octauo. Rumor erat, virum hunc memorabilem per labem fuisse pro-
motum: quòd quum dies esset, partem patrimonij Imperatori, partem cognationi, partem reliquerit ecclesiæ. Sed hanc suspi-
cionem longè submouet & Henrici Imperatoris venerãda san-
ctitas, & huius pontificis singularis religio. Compertum habemus, Henricũ istum Imperatorem, pro diuinæ zelo seruitutis integerrimum Imperatorem, non aliena concupiuisse, sed sua esse ecclesiis elargitum. Sed neq; archiepiscopi vita tale aliquid permittit suspicari. Facile est autem cadere in linguas obloquentium innocentissimos. Iste archiepiscopus primus omnium congregationes apud ecclesias cathedrales, aliasque, ad canonicam perduxit regulam: quæ antea quidem mixta ex monachis & canonicis, vtraque conuersatione turbata, degebat, non vigebat. Qua occasione fratres licentius de claustro egressi, mulierum consortia primò pe-
rebant absconsè, inde in maiorem dissolutionem abierunt. Paulatim ergo defer-
uescente in clero religione, apud ecclesias ex monachis regulares canonici, & ex his seculares (vt nunc vocantur) canonici prodierunt. Quid autem ex hac dein-
ceps resolutione sit oriturum quis nouit? Interpretemur, oro, vocabulũ. Si canon est regula, canonici sunt regulares. Quid ergo fiet de canonico seculari, nisi vt regularis sit irregularis, aut (si id malumus) regularis sine regula? Erat is deuotionis feruor sub sanctis patribus, vt inter fratres ipsi etiam pontifices victitarent: quod de huius proximo legimus decessore Libentio. Iam ventum est ad regulares, vt canonici dicerentur & essent: vtinamque ibi perdurassent. Inferior inuentus est gradus, canonicus secularis, hoc est monstrum sine exemplo, regularis sine regu-
la, canonicus sine canone. Ignosce, lector, diuerticulum non sponte facienti. Hic archiepiscopus omnes ritus paganicos, quorum adhuc reliquiæ multæ fuerãt, stir-
pitus in hac regione euulsit: ita vt ex lucis, quos nostri paludicolæ stulta frequen-
tabant reuerentia, faceret ecclesias renouari. Sancti Viti capellã Bremæ extra op-
pidum construi iussit: capellam quoque Willehadi exustam iussit reparari. Ipso tempore ferunt aggerem Bremensem firmatum contra incursus hostium. Nam Bernhardus dux in eam excreuit cõtumaciam, vt Imperatori Henrico rebellaret. Qui motus ad ecclesiam pertigit, dum staret archiepiscopus pro Imperatore. Interim excreuit insolentia ducis, vt primùm grauatam tributis gentem Winulorũ ad rebellionem impelleret: inde verò crescentibus malis, totam secũ Imperatori rebellare coegit Saxoniam. Nouissimè surgens in Christũ, ecclesias etiã cœpit im-
pugnare, præcipuè Bremensem, quæ cæteris ditior: & Hamburgensem, quæ longius essent ab Imperatoris tutela. Sed huius impetum viri taliter Vnwanus sua magnitudine fregit, vt præ pudore sapientiæ & libertatis episcopi, cogeretur ipse dux, cui antea esset aduersatus, deinceps beneuolus existere. Ergo accepto Vn-
wani archiepiscopi consilio, rebellis tandem flexus princeps, Cæsari Henrico sup-
plex dedit manus: moxq; admonente Vnwano, Wandalorum parte rursus tributo subacta, pacem reddidit Transalbinis, & ecclesiæ Hamburgensi. Ad cuius restau-
rationem Vnwanus post Wandalicam cladem, ciuitatem & ecclesiam fecit nouam: simul ex singulis congregationibus suis, quæ virorum essent, tres eligens fra-
tres, ita vt duodecim fierent: qui in Hamborg canonica degerent congregatione, populum ab idololatriæ reuocantes errore. Ordinauit is in ecclesiam Aldenburgensem, mortuo Remberto, Bennonem, virũ prudentem, qui de fratribus Hamburgensis ecclesiæ electus, in populo Wandalorum multum institit facere fructum. Archiepiscopus autem ecclesiæ thesaurum diu soliciteque collectum (& quasi minus necessarium, si intra parietes clauderetur) ad commodum legationis

CAP. I.

*Monachi in canonicos degenerant, ex quibus quos hodie videmus.*

*In locis demonstratum, martyrũ ecclesiæ construuntur.*

*Munera optimo consilio distributa.*

suæ ita curauit expendere, vt ferociſſimos Aquilonis reges hilaritate ſuorum munerum, ad omnia quæ voluit, beneuolos haberet.

CAP. 2. PADERBVRNENSI eccleſiæ adhuc præerat Retharius, quum Henricus Bauarus, origine Saxo, rex Romanorũ primus per electionẽ aſſumitur. Egehardus Saxoniæ marchio Miſnenſis (vt creditur) tum vehementer adſpirabat ad regnũ, feſtinans in Duſeldorp, vbi audiuit principes conuenturos. Berwardus in Hildeſheim, hoſpitaliter illũ excepit. Inde quum Paderburnam peteret, occluſas habuit portas: ſed agente Rethario epiſcopo, immittitur. Quumq; intelligeret epiſcopo inſtitutũ ſuum diſplicere, nec principes cõuenturos in dictum locũ, retroceſſit: & in Saxoniã reuerſus, ab hoſtibus Saxoniæ ducibus opprimitur. Hermannus quoq; Alſatiæ dux, Henrico reſtitit, Rheni tranſitũ obſeruans: ſed non profecit, quo minus (agente potiſſimùm Williginſo Moguntino archiepiſcopo, & Heriberto Colonienſi pacato) rex conſecraretur Aquiſgrani, magno principũ & nobiliũ conuentu. Venit Mersburgũ: ibi eum cõuenere archiepiſcopi Hamburgenſis & Magdeburgenſis, epiſcopi Hildeſemenſis, Verdenſis, Halberſtadenſis, Paderburnẽſis: & multi comites ac nobiles regẽ eum conſalutauere. Inde in Corbeiam reflexus, obuiam habuit Connegundã, contoralem ſpecie, ſed pudicitia ſororem: ambo enim continenter vixere. In Paderburna Williginſus reginã donat corona, & Sophia regis ſoror abbatiſſa conſecratur. Lætum diem obſcurauere Bauari pabulatores, qui in contentione ruſticã plebem in ſe excitauere. Cædes magna fuiſſet, niſi interuẽtu Bernardi ducis Saxoniæ dirimeretur. Rex vt placaret epiſcopum, dedit eccleſiæ Bokenfort & Foreſtam in terminis ſuis, interuentu Retharij pontificis. qui expletis viginti octo in epiſcopatu annis, euolauit ad meliora, terris relictis.

*Henrico ad regnum aſſumpto qui bo ſtes exterrent.*

*Henricus cum uxore continentiã colnit.*

CAP. 3. MAGDEBVRGENSIS metropolis tum meruit tertium archiepiſcopum. Nam Giſelero mortuo, fratres iure (vt putabant) eccleſiæ, elegerunt ex ſuis quendam Woldardum repugnantem & (vt poterat) reclamantem. Imperator ſui eſſe iuris reputans, eccleſiis prouidere, abſoluit inuitum, & repoſuit cancellarium ſuum Dagonem, virum ſine controuerſia optimum. Præfuit autem annis tantùm octo & quatuor menſibus. Singulari autem affectione rex eccleſiaſticam rem promouit, conuertens in Chriſtum, quod alij principes magnificandis liberis ſtudiũ impendunt. Eccleſiam Bambergenſem extruxit & dotauit: illique præfecit Euerhardum, virum primarium, epiſcopum. Brunus epiſcopus deuotionis gratia in Pruſſos profectus, vt illis Chriſtum euangelizaret, in ea gente coronatur martyrio. Gens Vngara fit Chriſtiana. Hoc enim proſpiciens ac ſperans futurum, germanã ſuam Giſlam, optimam fœminam, regi gentis dedit coniugem. Non ceſſauitaures pulſare mariti, donec peruinceret, qui in baptiſmo Stephani nomen accepit: & vſqueadeò in religione profecit, vt mereretur iam inter ſanctos per eccleſiam aſſcribi. Hoc eſt illud tempus, quo in Dania Zuenoni patri ſuccedit Canutus filius, qui ob magnitudinem imperij & rerum à ſe geſtarum, Magni cognomentum meruit: qui deuicto Adelrado Anglorum rege, victor ab Anglia rediens, in ditione ſua per multos annos tenuit vtrunque regnum. Quo etiam tempore multos in Daniam ab Anglia induxit epiſcopos: de quibus Bernardum poſuit in Scaniam, Gerbrandum in Sialandiam, Reinerum in Fioniã. Quod zelatus Vnwanus, Gerbrandum redeuntem ab Anglia capit, quem ab Elnodo Anglorum archiepiſcopo ordinatum cognouit. Ille verò (vt neceſsè fuit) archiepiſcopo ſatisfaciens, fidelitatem eccleſiæ Hamburgenſi cum ſubiectione debita ſpondens, familiariſſimus deinde Vnwano eſt effectus: per quem etiam ſuos legatos ad Canutum regem cum muneribus mittens, congratulatus eſt ei de rebus bene geſtis in Anglia. Sed inſeruit aculeos de præſumptione epiſcoporum, quos tranſtulit ex Anglia. Quod rex non auerſatus, patienter accepit: & ita poſtmodum eſt coniunctus archiepiſcopo, vt ex eius ſententia omnia deinceps facere maluerit. Erat hic pontifex Vnwanus magnificentia præcipuus. Nam in pleriſq; paſchæ aliisq; feſtiuitatibus, epiſcopos ſeptem, & aliquot abbates ſecum habuiſſe memoratur: ducem quoq;, & prouinciæ comites magnos, ſingulos comitate ſua, proſecutus, promeruit vt honorarentur. In Dania verò eius tempore ſuperuixerat

*Imperator in conſtituendis epiſcopis plus ſaluum ſibi fecit.*

*Vngari Chriſto lucrefiunt.*

*Sunt etiam ec cleſiaſtica feuda & homagia.*

*Splendor epiſcopalis.*

ille

ille insignis pontifex Poppo,& Odincarus,vir scientia & morum grauitate nō minor quam nobilitate:quem pro fide & sanctitate familiarissimum habuit archiepiscopus.Solus autem Odincarus transmarinas in Suedia & Norwagia visitauit ecclesias. Ezico Sleswicensis domi sedit, reliquos persecutio retardauit & dies mali: alios quoq; metropolitanus in regna Aquilonis misit episcopos. Venientes quoq; ex Anglia,quum ibi prædicarent pro regum amicitia,ad se pellectos donis ac muneribus,ad subiectionem ecclesiæ suæ fecit voluntarios.Quam viam expertus prę tulit rigori iustitiæ,præsertim quū non expediret in nouello populo de subiectione concertare.Quum ergo esset vir nobilissimus,æquè nobilem ac libertati suę sufficientem consecutus est archiepiscopatum, in quo & suam posset ostendere magnanimitatem, & necessitati simul ecclesiæ prospicere.

*Ne in adulte quidem.*

MENWERCVS, decimus in ecclesia Paderburnensi episcopus,ecclesiam ab Henrico rege per chirothecæ traditionem accepit in Goslaria,quò rex eo tempore morabatur.Ab archiepiscopo Moguntino & suffraganeis quibusdā ibi tum præsentibus,munus consecrationis assequitur:& ad ecclesiam suam veniens, honorificè excipitur,tanto cunctis gratior,quanto regi propinquior: erat enim illi sanguine iunctus.Ecclesiam nouam,quam post incendiū prædecessor inchoauerat,quū non satis ex dignitate muros ille tetendisset,deiecit quicquid ille cœpit: & a fundamento nouam extruxit,quam anno septimo consummatam dedicauit. Inhærerat Imperatori ad Italiam transeunti,& per varios secum casus transiuit.Papiæ satis periculosum est expertus tumultum,mixtus ciuibus & hostibus: sed victrix vbiq; virtus superauit.Coronatur in vrbe Roma Imperator cum coniuge,ab octauo Benedicto.Menwercus quicquid in priuilegiis voluit,impetrauit. Reuersus per alpes, dimisit exercitum:ipse Cluniacū peruenit cum episcopo memorato,qui inde fratres XIII. eduxit,cum pondere panis & vini,cum libris ac rebus ad obseruantiam necessariis:ac Paderburnam introduxit,ibi molitus monasterium.Erwete prædiū cum pertinentiis ab Imperatore impetrauit, pro ecclesia, interposita persona Imperatricis.Abbatem Corbeiæ,reformationi repugnantem,Walonem,deponi curauit episcopus:pro qua re,quum in eum locum deuotionis gratia declinasset,vel letq; sacrum peragere missæ officium,sacrista sacras illi vestes subduxit:iterum iterumq; monitus,tradere recusauit.Tum episcopus,Reddes(inquit)rationem altissimo,pro omisso hodierno officio.Monachus ille floccipendens, etiam risit episcopum:sed apparuit in morte eius episcopi,quàm non frustra esset minatus.Nam nihil antè mali sentiens monachus,in ipsa hora mortis episcopi expirauit. Multa in hunc modū mirabilia leguntur de hoc viro,sanctitatem eius contestantia. Fundauit in Heruordia domum diuæ Virgini, audito & examinato, q̄ diua Dei genitrix iusserit domum erigi,moniales reformari.Ipse ex sententia animi aduertēs omnia perfecit.Comitatum Werberg idem obtinuit pro ecclesia.Huius temporib.Henricus Cæsar in Tremonia conuentum habuit celebrem archiepiscoporum,episcoporum,ducum & nobilium.Ibi constitutum est, quid in suffragiis quisq; ex omnibus præsentibus sit facturus,posteaquam innotuit ex eo numero quem decessisse. Postea in Nouiomagio cōuentus est habitus, vbi multa de reformatione collapsæ religionis per omnia membra sunt constituta. Peruenit iste Menwercus ad annū Christi millesimum tricesimum sextum. Tum ecclesiam quam construxit,& duodecim præbendis dotauit,ipse dedicans in Rogationibus, Moguntinum & Colonienſem archiepiscopos,& episcopum Wirtzburgensem, tum ad hoc honorificè inuitatos,domi magnificè habuit,nec diu pòst,in vigilia Pentecostes,defecit.

CAP. 4.

*Cluniaco monachorum Colonia in Germaniam transfertur.*

*Monachi in episcopum conuitiantes pœna*

1036.

MIMIGARDEVORDENSI interim ecclesiæ tertiusdecimus præfuit episcopus,Segefridus,qui singulari studio prębendas & facultates ecclesiæ vberiores reddidit,intusq; & foris omnia in meliorem & vberiorem statum redegit. Vidit iste suis diebus, miram in Imperatore religionem, sanctimoniam & virtutem, vt non sine causa, moriens, sit in numerum relatus sanctorum: & tamen licet cum sanctissima coniuge sua Connegunde(quam vnicè dilexit) coniunctissimè vixerit, seminator tamen zizaniorum iniecit illi scrupulum zelotypiæ, quum ei suggereretur, quòd quendam militem amicius viderit quam par esset. Illa vbi

CAP. 5.

*Ferri candentem examen in suspectis pudicitia.*

comperit, iussit secretò sex igniri vomeres, & in conspectũ Imperatoris aliud agentis afferri. Miratus ille quid ageretur, vidit deinde charissimam cõiugem nudis pedibus conscendere ferrum ignitum intrepidam. Vides, inquit, Imperator, illæsam à ferro, illæsam ab omni immunditia? Ille in se reuersus, cœpit cogitare quid esset: suspicatus, mox procidens, genibus vxoris, imò sororis, prouoluitur. Illa procumbentem amicissimè leuat: cessauit ex illo die omnis sinistra suspicio. Segefredus autem episcopus, postea quam tempora sua explesset, concessit in fata, locum cedens alteri. Annales autem sunt in hac parte valde sobrii.

CAP. 6. APVD ecclesiam Magdeburgensem, quum defecisset Dago, fratres, ecclesiæ suæ iure, reponebant Waldardum, præpositum suum pridem electum, sed tum ab rege posthabitum, eundem tamen altera vice comprobatum. Non diu supererat in pontificio: nam annum non impleuit. Fecit tamen pro temporis sui breuitate quæ potuit: plura facturus in decus & ornamentum ecclesiæ, si longior illi vita fuisset. Eo iam vita functo, fratres, vt putauere, suo iure (necdum tamen erant Decreta les, qui hoc defenderent. Viuebant tum homines, iure ciuili in controuersiis vtentes: & satis videbatur, nondum excogitato iure canonico, nec in canones redacto, quod pontifices & alii patres in conciliis decreuerunt. Adhuc erat nascituras Gratianus, qui corpus decretorum compingeret. Erant, fateor, ante illum, qui canones conscripsissent: sed non ea fuit authoritas, quę est postea illis attributa. Ecclesia non approbauit, quomodo, quum vtatur illis quotidie in decidendis casibus.) Ergo fratres tum ex suo numero delegerunt quendam Theodoricum, virum pontificio dignum: sed non erat in talibus ratum, quod non princeps approbaret. Henricus ergo Imperator, Geronem capellanum suum fecit archiepiscopum, in eius locum assumpto eodem Theodorico. Præfuit autem Gero ecclesiæ Magdeburgensi annis decem, magnum sui relinquẽs desiderium. Hoc est illud tempus, in quo per Saxoniam fuere etiam, qui gubernarent prouinciam, marchiones, habentes titulum, vt Saxoniæ marchiones dicerentur. Sed de his in nostra Saxonia latius dixi-

*Varię varijs ſeculis admiſſtrandæ eccleſiæ rationes.*

*Ex iis quæ ſint ab Apoſtolis vſurpata?*

*Luxuriantib. monachis aliquid ex opib. detrahitur.*

mus. Henricus tum Imperator, quum latè omnia perspiceret, prospiceretq; fratres Fuldenses regalis abbatiæ non rectè ambulare in viis regulæ suę, multa illis prędia, tanquam luxuriem nutrientia, ademit. Factum est enim (quod hodie cernitur) vt *incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquerit Deum factorem suum.*

CAP. 7. HILDESEMENSI tum ecclesiæ post beatum Berwardum, virum sanctissimum (qui in numerum sanctorum suis meritis est relatus) non illo minor in omni virtute & sanctitate, successit Godhardus: qui in honorem D. Bartholomæi, ad muros ciuitatis extruxit conuentum regularium, ad Salinas vocant: locum hodie foris & intus, prædiis & religione florentem. Erat iuxta seculum, vir sanguine nobilis, natus ex comitibus Bauariæ, illis videlicet, quibus præteritis, primus Otto fratrem suum Henricum fecit ducem Bauarorum. Sanguine ergo coniunctus Imperatori, viro sanctissimo (qui & ipse auxit diuorum numerum) Godhardus in omni sanctitate & iustitia Deo seruiebat. Aderat frequens cœtibus Imperii, non minus temporalis tranquillitatis curator, quàm æternæ prouisor salutis. Non deerat Tremonienſi conuentui: vbi inter cætera curatum & prouisum est inter principes vtriusque ordinis, vt inita fraternitate, suffragiis se mutuis cõsolarentur. Decretum est, quòd ecclesiastici, triginta Missarum sacrificiis prosequerentur quemq; fratrẽ morientem: seculares eleemosynis pauperum in eam rem, pro cuiusq; opibus ibi taxatis, succurrerent. Aderant omnes archiepiscopi & episcopi, Saxoniæ & vicinarum partium. Inter alios Godhardus Hildesemensis, & Menwercus Paderburnensis, Osnaburgensis, Mindensis, Mimigardeuordensis, Verdensis, Halberstadensis, Metensis, Wormatiensis, Traiectensis, Mersburgensis. Ex archiepiscopis, Colonienſis, Hamburgensis, Magdeburgensis. Menwercus ea tempestate finem fecit viuendi. Intellexit Godhardus, insinuante spiritu Domini, quendam ex Saxoniæ episcopis diem suum clausisse. Et iam solito seriùs differebat sacrum ad altare ministerium. Erat propè prandendi hora: & admonitus à quodam, quòd hora appropinquaret edendi, respondit, Euestigio nuncium expecto, qui mortem mihi nunciet vnius ex charissimis, cui missarum debeo suffragia. Aderat non inde diu, qui Menwercum

*Mutua ſeculariũ & eccleſiaſticorum auxilia.*

*Epiſcopus ſeratu mortem procul nullo monitore cognoſcit.*

wercum Paderburnensem nunciaret episcopum excessisse rebus. Mox accingitur Godehardus, & pro sua consuetudine humillimè ac deuotissimè peregit ministerium: inde vbi assedit mensæ suæ, vtraq; manu similam apprehendit, & compressit. O beate, inquit, Menwerce, quomodo te lata tua simila a communi morte non liberauit? Et ego, inquit, quamdiu superfuero, de albo pane non gustabo. Quod ipse per duos annos, minus vno mense, quibus superfuerat, impleuit. Ita pure narrant annales: quid sibi velint, non satis accipio. Menwercus quidem fratribus suis similam dedit in pane. Hoc an sibi detrimẽto fuerit, dubitari potest, quòd Godhardus sibi ab illo pane indixerit & seruauerit abstinentiam. *Danus scilicet hoc non capit: Nec di posse ẽt opus.*

VNWANVS interim Hamburgensis archiepiscopus, quum essent res Wandalorum iam aliquantum pacatiores, renouauit metropolim Hamburgensem: clerumq; clade Wandalica dispersum colligens, magnam ibidem ciuium & cleri frequentiam contraxit. Itaq; cum duce Bernardo frequenter inhabitans locum, sæpe dimidium ibi permansit in annum, gloriosissimum regem Danorum Canutum inuitans inibi ad colloquium, Wandalorumq; principes, Vtonem & Sedericũ. Gloriosissimus rex Olauus floruit per hæc tempora, cuius est celebre nomen in regnis: cuius exitum gloriosissimum operæ precium est in diuinæ religionis contexta narratione inserere. Nec enim instituto nostro debet videri alienum, quum prouinciæ & legationi archiepiscopi nostri ea tum gens subdita fuerit. Igitur Christianæ religionis rex obseruantissimus, inter alia virtutum suarum præconia, & hoc reliquit exemplum sanctimoniæ. Die Dominico, cogitationibus grauatum quum gereret animum, baculumq; manibus teneret, cultello (vt fit) scindulas fecit, non aduertens. Admonitus ab adstante per iocum de violatione sabbati, non leuiter in se puniuit admissum: scindulas collegit diligentissimè, manuiq; suæ impositas iussit incendi, vt in se vlciscereturꝫ quod contra diuinum præceptum incautus admisisset. Hac seueritate in se vsus, non dissimulauit in cęteris crimina in legem Dei commissa, quanto ea seuerius vindicaret: vnde multorum (vt fit) in se odia concitauit. Qua ex re effectum est, vt quum grauissimo premeretur bello à Canuto Danorum rege, proditus à suis, fuga sibi est consulere coactus: peruenitq; in Suediam, vbi a socero Olauo armis mutuatis, contractisq; auxiliis vndecunque, renouato bello, regnum repetiuit, & prosperatus est. Quumq; non parceret criminosis, inueterato malorum odio noua accesserunt odiorum incentiua. Erant ex procerib. regni sui, qui in gratiam Canuti regis Danorum, in Olauum cõiurabant. Igitur ad arma conclamatur in regem: ipseq; non imparatus, exercitum habuit expeditum, tendebatq; in castris, hostium operiens aduentum. Dormiebat in tentorio suo rex Christianissimus. Quum iam hostes imminerent, expergefactus est à principe militiæ suæ: cui rex, Vtinam, inquit, modico me tẽpore quietum liquisses, vt visionis, quæ pandebatur, exitum perspicerem. Videbam adstare mihi scalam, cuius cacumen pertingeret in cœlum: meq; per illam cõscendisse, & vsq; ad superi portas peruenisse regni, iamq; iamq; ingressurũ expergefaciebas attonitũ. Ipsa iam beati regni felici propinquitate succensus, videre percupiebã, quæ Dominus ostẽdere dignaretur. Sed congressum inde prælio hostes excepere, superioresq; facti, regem in acie concrucidauerunt: iam extinctũ perduxere Trondemiũ (nunc Hodosiam vocãt) regni metropolim: ibiq; solenni funere contumulauere. Declarauit autẽ Dominus crebris miraculis, quę per eum operari dignatur, quanti sit apud illum meriti in cœlis, qui tam mirabilib. factis clarescit coruscatq; in terris. Rex omni æuo dum viueret sanctissimus, omnibusq; regionib. Aquilonis per quum celeberrimus: cuius patrocinio singulari vicina regna se commendant. Per idem tempus quidam ab Anglia Wolffred⁹, diuini amoris instinctu, aduersus superstitionẽ sacrilegam Suediæ se opponens, dignũ & optatum inuenit sancti martyrii exitũ, in concione populi vocifer-ans, Si, inquit, potẽs est vester deus Torstan, se vindicet. Et arrepta securi, simulacrum in frusta cõcidit: non tamẽ impunè. Quippe mox ab adstantib. mille petitus gladiis cõfoditur: frustatimq; concisus, pœnas (vt aiebãt) dedit violato numini gentis. Sed cum illo fide recta bene actum scim⁹: qui vitã alioqui naturæ impendendã, in sacrificiũ Deo reddidit, translatus ad meliora. Vnwanus autẽ, archiepiscopus, in

CAP. 8.

*Sabbathi reli-gio plusquam decent accura-ta.*

*Olauus morte quam insom-nouerat ab-sumpsit.*

*Wolffredum i-dolum deiici-ens trucida-tur.*

ea legationis suæ solicitudine in finem vsque perdurans, debitum Deo spiritum efflauit, anno pontificatus sui sextodecimo, Christi autem MXXIX. indictione duodecima. Quo etiam tempore migrauit à seculo Poppo, in omni gente Danorum celeberrimus: cuius virtute & instantia, infinita Danorum millia ad fidem peruenerunt.

CAP. 9. MAGDEBVRGENSI inde ecclesiæ Menfridus præficitur, vir religione præcipuus, ex monasterio Wirtzburgensi translatus per Henricum Imperatorem: præfuitq; ecclesiæ illi annis septem & viginti. Currebat hoc seculum regibus & pontificibus in sanctitate & virtute præcipuis. Romanum Imperium habuit hunc Henricum, ita miraculis post mortem assiduè coruscantem, vt sanctis annumeraretur. Non habet apud me fidem fabula, quam Mersburgensis ecclesia prædicat de calice aureo, cui ansa sit detracta, quum in trutina meritorum ac demeritorum eius, ab Laurentio diuo martyre iniiceretur calix ille, qui merita faceret demeritis præponderari. Non solent in sanctos referri, quorum de virtutibus tam ambiguum est iudicium. Nec tam leui momento pendebat sanctissimi regis æterna salus, vt vnius pondere calicis trutina illa librans in vnam decideret partem. Ego sanctissimi Imperatoris meritis indignam esse duco fabulationem. Potest ex aliis causis ansa esse calici detracta. Sed (vt dicere cœpi) currebat hoc seculum sanctissimis viris. Francia tum regem habuit Robertum, doctum, religiosum, sanctum: Vngaria Stephanum, Norwagia Olauum, Hildesemensis ecclesia, post Berwardum, Godehardũ: Menwercum Paderburna: omnes nobili secundum seculum origine. vt erubescât nostra secula, quæ nihil tale meruerunt. Successit humilitati fastus, religioni vanitas, sanctitati rapacitas & immunditia. Quocirca nostris temporib⁹, iuxta prophetiam, defecit sanctus in magistratibus: saluentur, quomodo possunt, quique in plebe & populo.

*Audet iste fabulas vocare, quæ in sanctorum legenda habentur.*

*At nos posteritæ diuos autu adiunget.*

CAP. 10. HALBERSTADENSI tum ecclesiæ præsedit vir pontificatu dignus Brandago, ad annum vsq; decimum quartum. Præfuit cum multiplici bonorum operũ fructu. Eius opera sunt, collegium diui Ioannis Baptistę intra vrbem, & collegium in Bosleue. Certauere tum pontifices in operibus pietatis, & vincere & vinci, in æquo habuere. Siquidem vbique prævalente pietate, Romano imperio per eatem pora, post Henricum Bauarum ex Saxonibus inter sanctos assciptum, Conradus Francus, eiusdem originis, præficitur à principibus Romanorum regno. Siquidem filiam suam Magnus Otto Conrado nobilissimo iuueni, Francorũ duci, dedit coniugem: vnde huic Conrado natalia fuere. Habuit aut frattem Henricum Sueuiæ ducem: qui quum fratri non pareret, oppositi illi Conradus arma, & expulit Sueuia, profugientem ad regem Vngariæ Stephanum, suum propinquum siue affinẽ. non placuit Vngaro contumacia Henrici ducis in fratrem, eamq; rem tali integumento insinuauit. Die Parasceues iubebat rex duci, affini suo, in mensam apponi carnes: & quum ille horreret illo die carnibus vesci, quando in omni Christianismo arctissimum esset ieiunium: rex subintulit, Minus malum reor vesci carnibus, quàm fratri sine vlla necessitate rebellare. Hoc admonitus facto Henricus dux, rediit in gratiam fratris in Noriberga. Ad importunam instantiam Brunonis episcopi Augustensis (qui frater erat Henrici Imperatoris proximè defuncti) rex Conradus comitatum Bambergensem reponere, & episcopatum subuertere cogitabat. Apparuit Henricus Imperator fratri dormienti, incusans, quòd illum in morte teneret affligere, reuocans in irritum, quæ ille in honorem Dei ordinasset: & nisi desisteret, malo illi exitu terminandum. Terruit episcopum visio, & permansit ecclesia in suo statu. Conradus Henricum filium procurauit regem eligi Romanorum in Minda à principibus, vt successionis certus esset. Ea est secunda post Imperatorem potestas. Olim post Augustos erant qui Cæsares dicerentur. Ita sub Vespasiano Augusto Cæsar erat Titus filius: & sub Heliogabalo Alexander consobrinus eius Cæsar erat: sub Diocletiano, Claudius Constantius: sub Constantino Magno, Gallus. Conradus Romam petens cum contorali, ibi consecratus est Imperator: rediens in Germaniam, Henricũ filium curauit à Aquisgrani regem consecrari, per Peregrinum Colonienſem archiepiscopum.

*Deglutientes camelum, euolantes culicem.*

*Romanorum rex, vt olim Cæsar, potestas secunda.*

HAM-

HAMBVRGENSI deinde ecclesiæ post Vnwanum, præficitur Libentius se- CAP. II.
cundus, primi ex fratre nepos, vir Italicus, patruum secutus: maior pridem domus
præpositus, virtutum auunculi aut patrui (res enim in incerto permansit) strenuus
imitator. Fretus potissimùm fauore Imperatricis Gislæ, ad pontificatum peruenit:
quippe quando harum rerum arbitrium vel maximũ fuit ea tempestate apud prin
cipes. Ferulam, hoc est pastoralem virgam, à Cęsare Conrado, pallium verò a Ioan
ne XIX. accepit. Vir simplex, ac rectus, & timens Deum: qui incõtinentiam cleri, *Clerus à mu-*
iam paulo serpentẽ liberius, acriter castigauit. Nã mulieres, quę se aperto iam scele- *lieribus subin*
re fratrib. coniunx erant, iussit foras eiici, & in villis custodię mancipari. Cessauitq; *de salmouen-*
hic morbus vsq; ad incensionẽ clarustri Bremensis, sub Bezelino & successore eius. *dus.*
Quumq; omnib. esset affabilis hic pontifex, singulari quodam amore clerum dile-
xit, inopum necessitatib. compatiens. Ipse igitur vicum Bremæ trans flumen ab in-
colis terræ precio redimens, & fratrib. offerens, triginta ex eo per annũ dari statuit
cõuiuia. Ac verò xenodochii talem omnino curam habuit, vt hac sola parte negli- *Pauperum di-*
gentias prædecessorum superare videretur. Adeo redundauit episcopatus & præ- *ligens cura.*
positura & xenodochium, vt vix egens quisquam posset inueniri. Sed hoc fortè in-
credibile videtur iis qui sequẽtium temporum vident egestatem: nec fortasse tum
futura quis crederet, quæ nunc facta conspicimus. Libentius igitur, bonus in præ-
positura, melior in cathedra, legationem suam ad gentes feruenti animo aggressus
est curare. Et primò omnium concilians sibi Canutum, potentissimum Danorũ re-
gem, in Sialandia Gerbrando surrogauit Auoconem, Turgoto aũt de Ramsola suc
cessorem posuit Godescalcum episcopum. Illis namq; diebus beatissimus Turgo-
tus episcopus, pro labore pdicationis suæ, Bremę diu cũ archiepiscopo consistens,
asperrimo lepræ percussus morbo, diem vocationis suæ cum magna expectauit pa
tientia: tandemq; bono fine consummatus, in sancti Petri tumulatus est basilica: v-
bi & Folquardus, & Harichus, & magnꝰ Odincarus, & Poppo in pace Christi quie
scunt. Aderant verò archiepiscopo insignes prædicatores, Odincarus iunior, Siga-
fridus à Suedia, Rodolphus à Normannia episcopi, narrantes ei quanta fecerit Do
minus in salutem gentium, quæ quotidie cõuertebantur ad Dominũ: quos noster
pontifex (vt par fuit) honorificè dimissos, ad prædicationem denuò redire curauit.
Interea Conradus Imperator filiã regis Canuti, antè filio suo desponsam, tunc eidẽ *Canutus tri-*
tradi curauit vxorem: & regio statim fastu Italiam ingressus, Canutum regẽ itine- *um regnorum*
ris sui comitem ducẽs, potentia trium regnorum insignem, barbaris in circuitu sa- *dominatione*
tis terribilem. Ille autẽ quum tres haberet filios, super singula regna singulos collo *insignit.*
cauit: ipse circumiens prouincias, desuper cuncta speculabatur. Dani in maius po-
tentiam eius extollẽtes, quinq; regnorum illum faciunt moderatorem. Sæpissime
autẽ consedit in Anglia: archiepiscopus autem noster crebrò Hamburgum, matri- *Pax summa*
cem ecclesiam suam visitãs, cuncta prospexit. Nam eo tempore virtute Canuti re- *vbique viget.*
gis & ducis Bernardi, pax firma trans Albim erat: quum etiam Cæsar Cõradus Wi-
nulos (pars est Wandalorum) bello domuisset. Generale quidem & antiquissimum
huius gentis vocabulum est, vt Wandali vocitentur: sed corrupto (vt fit) vocabulo,
tum Winuli dicebantur, & nunc apud omnes Slaui, quod ipsum nomẽ Bohemi ve
tustissimum suis inscribunt honori, à memoria etiam turris Babylonicæ, quod ver-
bosos sonat. Principes autem eius gentis per eam tempestatẽ, Gneus & Anatroch,
in Polabis & Obotritis erant. Vto verò tertius ex principibus, filius Mistiwoi (eius
qui concitauit tumultum, ob sui de suis promissis nuptiis contemptum) male erat
Christianus. Pater autem (quod diximus) inter Saxones Christianus consenuit, &
mortuus est in Bardewico. Vnde quum Vto pro sua insolentia, à quodã Saxonum
transfuga esset interfectus, filiũ habebat Godescalcum, qui per idem tempus apud *Godescalcus*
Luneborch monasteriũ ducis, literalib. erudiebatur studiis, Godescalco Gothorũ *nec patrui in-*
episcopo eiusdem cœnobii curam agente. Is iuuenis, comperta morte parentis, ita *dignatus, à*
furore commotus est, vt, reiectis cum fide literis, arma corriperet, Albiq; tranimis- *Christo defci-*
so, Winulis se Dei inimicis coniungeret: quorum fretus auxilio, Christianos impu *sect.*
gnans, multa milliaSaxonũ in patris prostrauit vindictã. Hunc tándẽ quasi latronũ
principẽ, Bernardus dux capiens, in custodia tenuit: virũ arbitratus futurũ fortissi-

mum, iuncto secum fœdere dimisit. Qui mox ad Canutum gloriosissimum Danorum regem est profectus in Angliam, & ibi mansit multo tempore. Interea Libentius piis operibus semper intētus, ecclesiam suam episcopaliter exornauit: & filios ecclesiæ pastoraliter educans, omnib. erat acceptus, etiam (quod difficile est) principibus. Suo ergo tempore Bernardus dux, & frater eius Theotmarus, exhortante piissima Emma, quæ fuit relicta patrui Bernardi, Bremensemq; ecclesiam plurimū dilexit, eidem multa bona fecerunt: suumq; thesaurum Deo & genitrici eius, sanctoq; Willehado confessori eadem Emma fere totum obtulit. Eodem tempore Li-
Libentii tranquilla mors. bentius ęgrescens, in festiuitate sancti Bartholomæi duas celebrauit missas: finitoque pro more psalterio, eadem die gaudens migrauit ad Dominum. Cuius obitus 10
1033. contigit indictione XIII. octauo Calend. Septembr. anno Christi millesimo tricesimo tertio.

CAP. 12. VERDENSEM interim ecclesiā sub Imperatore Cōrado gubernabat Wickgerus, XIX. eius ecclesiæ præsul, vir magnificus, & clarę famæ. Ædificauit ecclesiam maiorem, quę creditur esse secunda: & consecrauit summum altare, & tria alia altaria, quibus imposuit de sanctorum reliquiis, quas multas multa deuotione col-
1028. legit. Erat autem annus MXXVIII. quum ista agerentur: pontificatus autem eius erat annus decimusquintus, & hæc dedicatio facta est nona Decembris. Hic pontifex ab Imperatore Conrado hoc obtinuit prædium in Romesleue, cum omnibus pertinentiis suis. Extant de super literæ, quarum Datæ præferūt Goslariam locum, 20 anno Christi millesimo trigesimo primo. Tradunt, hoc tempore Conradum Imperatorem fundasse Spirensem ecclesiam: sed ea res controuersiam patitur, quòd ante Conradū, anno millesimo tertio, Borchardus episcopus Wormatiensis à Gwal-
Spirensis ecclesia condit. terio Spirensi episcopo acceperit epistolam: quod scribit Gratianus LXXIII. *dist. in can. In nomine patris.* Sed fieri potest vt ecclesiam prius & ante sua tempora institutam, sed prædiis & ædificiis minùs instructam, Conradus auxerit, dotauerit, & in maiorem modum prouexerit. Quod ipse facilè crediderim: quia ibi elegit sepultu-
ram. Veniens enim anno Imperii sui XV. ex Italia, podagræ cœpit incommodo tur-
bari: & quum Traiecti esset, accedente pernicioſiore morbo finiuit vitam, iussitq; 30
Laudes Conradi Imperatoris extinctum corpus Spiram deduci ad sepulturā: idq; sedulò factum est. Nam & posteritas eius in tertiam generationem, ibi meruit tumulari: adiuncti illi, qui primus Imperiale decus in suam domum prouexit. Hanc inter alia laudem reliquit Conradus Imperator, vt pacem solidissimam constitueret per Imperium: violanti, pœnā capitis constituerit. Sed nō patiuntur mores Germanorum, illam esse diuturnam. Bella quidem aperta non vlquequaq; possunt vel euitari, vel prohiberi: sed occulta per terras latrocinia quis prohibebit? Non patitur Italia, dedignatur Gallia cum Hispania, Turci non sinunt inulta: infelix Germania hoc genere malorum carere nequaquam potest.

CAP. 13. OSNABVRGENSIS tum ecclesia præsulem habebat Moncherum, ordine pontificum decimum quartum, qui venerabili Thietmaro pontifici illustri succes- 40
sit: nec potuit magnas moliri res, pro temporis sui breuitate. Solis enim quatuor annis scribitur præfuisse ecclesiæ: incipiens sub Henrico secūdo, durauit ad secundum Conradum, Henrici successorem, ex Franconia, vt nunc vocant, ortum. Cæ-
Francia Gallorum, à Germania ortum habet. terūm ea est vera Francia, in Germania. Nam inde olim Franci Germani, transito Rheno populariter, per arma occupauere Lutetiam Parisiorum, & circumiacentē prouinciam: institutoq; ibi regno, nomen suum prouinciæ indiderunt, vt ex Germanis Francis, regnum deinde Franciæ diceretur. Nam olim & nūc Gallia est: nomen autem Franciæ, Germanum est. Nam ex Teutonico vocabulo ortū est: *Franck* enim Germanorum lingua, liber dicitur, nulli obnoxius seruituti. Quod Frācinomen meruerunt sub Valentiniano primo Imperatore, dum eius iussu Saxones, Ro- 50
Franci cur sic dicti. mano Imperio minitantes irruptionem, reprimerent. Nam originem Francorum, quam inconcinnis fabulis Galli de Troia producunt, alibi subuertimus & irrisim⁹. Nunc hoc dixisse sit satis, ad ostendendam nationem huius Conradi II. quem alii Sueuum faciūt. Sed hoc intelligi oportet, olim fuisse latissimam Sueuorum nationem, si Cornelio Tacito credimus, scriptori memorabili. Ad pontificē redeamus:

qui

qui quum annis tantùm quatuor præfuisset, migrauit ad Dominum MXXVIII. 1028.
quum iam ante triennium emigrasset Henricus Imperator, qui Bambergæ tumulatus est. Secuta est illum non multis pòst annis Connegundis vxor, filia comitis de Rheno Palatini, virgo perpetua. Cœlibatũ enim seruauere per annos omnes coniugii, quomodo Ioseph & Maria, Chrysanthus & Daria. Nec desunt ista miracula nostris (quod scio) temporibus laus æterno Deo.

MIMIGARDEVORDENSI tum ecclesiæ præfuit vir insignis Hermãnus, CAP. 14.
eiùs nominis primus, episcopatum summa cum industria administrans, & religione in Deum præcipua, & in populum vigilantia non vulgari. Hic primus instituit,
dedicauit, & consecrauit monasterium & ecclesiam trans aquas, in titulum & honorem beatæ Mariæ Virginis. Quod breui monasterium ita excreuit, adeoque factum est celebre, vt nomen dederit & ciuitati & episcopo: ita vt paulatim abolito veteri Mimigardeuordensi vocabulo, inceperit dici Monasterienſis & ciuitas & ecclesia: quod nomen præualuit jn hodiernum, durabitq; cum Christiana religione in finem suum. Non inuenio in Annalibus, quis tum rerum status per Westphaliam (quæ vera & vetus est Saxonia) quis rerum summæ præfuerit: an tota pontificibus paruerit, à memoria Caroli Magni, qui iugi & tributi impatiẽtem populum ecclesiis subdidit, ad decimas & iusta omnia ecclesiis persoluenda. Equidem in orientali Saxonia erant temporales domini, qui rerum tenerent gubernacula, primò quidem reges de stirpe Magni Caroli, Ludouicus & filii eius, Arnulphus Imperator eius nepos, & posteri illius per sua tempora. Sub quibus tamen duces Saxoniæ de genere Wedekindi paulatim magis atq; magis increuerunt, vsque ad Henricum primum regem Romanorum: à quo tres per ordinem Ottones, deinde etiã marchiones Saxoniæ nati ex Henrico duce Bauariæ, fratre primi Ottonis: qui ob eam rem dicti sunt marchiones, non duces, quòd titulum ducatus Saxoniæ teneret Hermannus, ab eodem primo Ottone ducali præditus honore cum suis posteris. In quorum manibus res erant etiam hoc tempore quod est in manibus. Westphalia verò, quæ est occidua Saxonia, quos habuerit (si modò quos habuerit) principes seculares illa tempestate, cum episcopis rem administrantes, omnino non legimus: sequenti tamen ætate Henricus Leo dux, & ante eum auus illius Luderus dux Saxoniæ, inde Imperator, Westphaliam tenuisse leguntur. Nam ab eodẽ Henrico, quum destitueretur per sententiã Imperatoris Frederici primi, ducatus Westphaliæ titulum sibi archiepiscopus Colonienſis vendicabat: tenentq; eundem duces Saxoniæ inferioris de genere comitum de Aneholth: quod in Saxonia nostra monstrauimus. Sed huius temporis non inuenimus per Westphaliam (hoc est occiduam Saxoniam) vllos principes seculares.

*Monasterienſis ciuitas, sic dicta.*

*Westphaliæ ducatum qui obtinuerint.*

PADEBVRNENSEM ecclesiam post Menwercum excipit Rotho, abbas CAP. 15.
Hersfeldenſis, in diœcesi Moguntina. Quærebantur tum vndecunq; viri religione & doctrina præcipui, vt ecclesiis præficerentur: qui quantum honore administrationis cunctos præibant, tantum virtute præstabant & eruditione. Præfuit autem ecclesiæ annis tredecim, eo tempore quo Henricus Conradi filius, Imperium Romanum eius nominis tertius, teneret post parentem. Ferunt inuentum tum Romę corpus giganteæ magnitudinis, adhuc incorruptum, balsamo, aut nescio quibus rebus, in cõcauitate terræ seruatum. Patebat vulnus, & hiabat adhuc in latere quatuor pedum & dimidii: erectum corpus altitudine muros vrbis superabat. Inuenta dicitur lucerna ardens ad caput illius, quæ nec flatu nec humore potuit extingui: quum multa tentata sint, foratum vas quum aërem admitteret, extincta est lucerna. Feruntur adscripta carmina:

*Gigantis corpus, & ardens ad multa secula in lucerna.*

*Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni*
*Militis occidit, morte sua iacet hic.*

Nam Turnum quoq; fuisse giganteę magnitudinis & roboris, insinuat latinissimus poeta in XII. qui illum in Aeneam narrat misisse saxum:

*Vix illud bis sex lecti ceruice subirent,*
*Qualia nunc hominum producit corpora tellus.*

Robora fuisse hominum maiora quàm nunc sunt, continuoq; per ætatem decrescere, & Homerus sæpe questus est, & medici fatentur. Plinius (ait Augustinus noster) secundum seculum doctissimus homo, testatur, quanto magis magisq; præterit seculi excursus, minora ferre naturam corpora. Erat tum Imperatori Henrico tertio lucta grauis cum Bohemis, non satis faciētibus imperata. Vngaris quoq; excurrentibus conflictatus est. Singulare est in hoc Imperatore, quòd ad illum venerint ex vrbe Roma legati, petentes dari sibi summum à rege pontificem. Nam tres vno tempore de summo pontificatu cōtendebant. Rex adueniēs, Sindgerum Bambergensem episcopum fecit confecrari summum pontificem. Nec tamen diu præfuit, prospicientibus magistris Romanis, ne diu illis Germanus pontifex præsideret. Fredericum Eistatensem episcopum, curauit fieri papam Victorem. Demùm Tullensis episcopus Bruno factus est Leo nonus. Sed ista nunc breui pro temporū designatione annotantur, plenius in Saxonia nostra explanata. Curauit autē Henricus Imperator, vt filius eius Henricus, puer vix octenni maior, rex cōsecraretur, parente superstite. Sensérat enim Henricus Imperator non se diu superfuturum: voluit ergo prospicere filio, vt successionis certus esset. Nam electorum principū necdum bene conualuerat potestas. Vnde factum est, vt à Conrado patre ad Henricum filium peruenirent Imperium: nunc ab eodem Henrico tertio deriuatum ad eiusdem filium Henricum IIII. Qui quoniam iuuenis apprehendit sceptra, diu in illis agebat, ad annum nonum & quadragesimum.

*In contentione de papatu, Imperatoris autoritas imploratur.*

CAP. 16. HAMBVRGENSEM inde metropolim sub Imperatore Conrado post secundum Libentium (qui solis quatuor præfuit annis) suscepit Hermannus, & sedit annis vix tribus. Ferulam suscepit à Cæsare Conrado, pallium à papa Benedicto. Ab Halberstadensi choro electus, eiusdem ecclesiæ pridem erat præpositus. Vir miræ, vt scribunt, simplicitatis, parum habens serpentinæ (iuxta euangelium) prudentiæ: ideoq; facilè decipiebatur ab adstipulatoribus. Rarò parochiam visitauit, semel Hamborch accessit: & tum quasi cum exercitu veniens, episcopatum velut alienū despoliauit: abiensq;, velut terram salsuginis dereliquit. Rapacitatis incensor & author eorum consiliorum quidam Marco fuit, archiepiscopi vicedominus. Cæterùm nobiles & insignes viros habuit capellanos, Theodoricum & Sindgerum. Iste Sindgerus postea ex Bambergensi episcopatu assumptus est Romę in apostolicam Petri sedem, reiectis ex ordine tribus schismaticis: dictusq; est in ea Clemens. Subdiaconus autem archiepiscopi erat Albertus, postea eius per annum medium successor, iam tunc maximè vultu & habitu verborumq; altitudine audientibus suspectus. Hermannus ergo archiepiscopus, paruipendens omnia quę in episcopatu inuenit, primò quidem musicum Guidonem Bremam adduxit, cuius industria melodiam & clausträlem disciplinam correxit: quod solum ex eius operibus prosperè cessit. Deinde antiquissimum sancti Michaelis oratorium diruens, corpora triū prædecessorum, Adaldagi, Reginwardi & Hogeri, ab eo loco sustulit, ac recondidit in maiori basilica sub tribunali. Imperator per ea tempora Burgundiam vastat, Franciam contra Vtonem petit. Werbena castellum in confinibus Saxoniæ in solo Wandalico situm, Luitici Wandali obtinent, multis Christianorum partim cæsis, partim captis. Quos Imperator cum exercitu petit, retropellens, vt in suas inuias concederent paludes. Interim Hermannus archiepiscopus magnum ingressus opus, murum ciuitati Bremensi circundare voluit: vixque iactis fundamentis cum opere vitam finiuit, quarto Calend. Octobr. corpusque eius subterratum est in medio chori.

*Alienus ab episcopi moribus comitatus.*

*Wandali in Christianos fœuientes reprimuntur.*

CAP. 17. IN Aldenburgensi tum ecclesia præfuit Mainardus, à primo octauus, quem secundus Libentius præfecit: tenui quidem fructu in populo, quòd magna pars auersa Christianismo, per occasionem tributorum, verbis euangelii minùs auscultabat. Fecit tamē quod potuit bonus pontifex, temporum malitia impeditus: peruenitq; viuendo ad tempora Hermanni archiepiscopi, & etiam successoris eius: qui in deficientis locum surrogauit Abilinum, ordine nonum in ea ecclesia, quæ nunc est Lubecensis. Is quoq; pro temporū captu fecit in ecclesia quod potuit. Nā

*Per vos nomen Dei blasphematur.*

populus

populus tributis grauatus, aures auertit à lege Dei, imputans religioni, quod erat auaritiæ principum. Peruenit autem iste Abilinus ad tempora Becelini Hamburgensis archiepiscopi, ad imperium Conradi Cæsaris, qui anno Imperii sui decimoquinto, posteaquam laboriosè prouincias obiisset Imperii, descendens ex Italia in Germaniam, podagra cœpit laborare: & deinde apud Traiectũ morte vitam commutauit, anno Christi nono & tricesimo post mille: sepultusq; est Spiræ in ecclesia primaria, quam ipse bonum in modum auxit, ornauit, & ditauit. Ibiq; posteri eius tres Imperatores, omnes Henrici, in tertiam generationem ei sunt consepulti: & successit filius eius Henricus, eius nominis tertius. Cuius regni initio Normanni, qui hactenus ad littora Galliarum habitabant, Gallorũ victores, ad interiora Christianismi penetrabant. Iam tum in Italia sibi locum fecere, in Calabria & Apulia: vnde etiam aduersus illos Henricus Imperator Bauarus laborabat. Iam verò etiam vsqueadeo sunt animati, vt Romam intro irent armati, prius in pratis Neronis confligentes Romanis. Sed defecit iamdudum illa vetus & vera Romanitas. Ab hac etiam gente victi, portas suas asseruare haud poterant: acceptis tamẽ quas voluere, conditionibus, in suam Apuliam redierunt. 1039.

*Normanni ad Heroes Romæ veniunt.*

ELVERICVS (nostri nunc vocant Aluericum) decimussextus tum præfuit Osnaburgensi ecclesiæ, regnante Henrico tertio: quem alii filium, alii generum ferunt Conradi Imperatoris. Ego illis subscribo, qui filium ferunt Conradi. Nam vxorem ille accepit ex filiabus Magni Canuti, regis Danorum: qui illa tempestate quinq; regnis præerat, Daniæ, Suediæ, Norwagiæ, Angliæ, Scotiæ: Imperatoriq́ue Conrado comes erat in Italiam, quod in Dania nostra diximus. Huius ergo Henrici tertii, qui filius erat Conradi, temporibus, hic pontifex assumitur, tradente illi ferulam de more manu Imperiali. Quo tempore floruit Guido musicus per Italiam, qui multas lustrabat prouincias, emendans corruptam & adulteratam musicam, quum traderet pueris per flexuras articulorum in manibus discernere cantum. Operæprecium esset renasci alium Guidonem, aut quemlibet magistrum, qui corruptissimam nostris temporibus modulationem emendaret. Sed ad pontificem redeo: qui posteaquam quindecim annis ecclesiæ præfuisset, migrauit ad Dominũ, anno quinquagesimo secundo post mille, XIII. Calend. Maii. CAP. 18.

*Musicorum elementorum, qualia nunc tradantur, autor.*

HILDESEMENSI ecclesiæ post Godehardum, virum sanctum (qui numero sanctorũ est aggregatus) surrogatur Detmarus, vir animo & carne nobilis. Præfuit autem annis solis quinq; : vnde pro temporis breuitate, nec moliri nec perficere potuit grandia. Optimum tamen fuisse pontificem, tempora suadẽt fateri: quando in nobilitate maximè virtus efloruit, & religio. Vnde factum est, vt qualis sacerdos, talis populus: sub bono patre nõ degeneres. Viguit adhuc per omnes ecclesias obseruantia regularis: quod ex Annalibus deprehẽditur, quia de claustris loquuntur, & reformata regulari disciplina. Nam Hermannus horum temporum archiepiscopus Hamburgẽsis, & cantum chori, & disciplinam per Guidonem musicum dicitur reformasse. Verba Annalium posui ad fidẽ superiori loco, quum de archiepiscopatu Hermanni diceretur. Memorant hoc tempore fabulam de Hildebrando puero, fabri lignarii filio, qui spiritu prophetico magis ductus quàm instructus, mõstrauerit se futurum dominum à mari ad mare. Profecit enim in curia primùm regis Henrici: deinde ibi inuidia ob virtutem contracta, cessit multorum furori, se occludens in religionem: vnde proficiens, peruenit ad ecclesiæ Romanæ subdiaconatum: inde cardinalis assumitur: demum papa Gregorius euasit: sed multis aduersitatibus laboriosum gessit pontificatum. Colluctabatur enim Hẽrico IIII. Imperatori, huius tertii filio, vt infrà. Occasiõ prima prouectionis suæ fuit Bruno Tullensis episcopus, ab Imperatore Romam missus, vt Papa consecraretur: quod tum ferebat cursus temporum. Qui in itinere ab Hildebrando & abbate eius admonitus, insignia, quæ ante tempus assumpsit, summi pontificatus, monitu Hildebrandi deposuit: eumq; sumpsit in familiam, secum ducẽs Romam, vbi ad summum prouectus est Papatus fastigium: multis in rebus vtilis, imò necessarius ecclesiæ Dei, per malitiam temporum. CAP. 19.

*Repetitur & videtur hæc fabula infra ca. 29.*

BVRCHARDVS, vir nobilis, hac tempestate, peruenit ad episcopatum Hal- CAP. 20.

berstadensem: comes ipse Bauarię, quando alii ex genere Saxonum tenuere ducatum. Auxit opes ecclesiæ vehementer: duos fertur comitatus ecclesiæ coniunxisse, Norturigem & Stopudesem. Agebat tum in Imperio tertius Henricus, Conradi filius: cuius initio regni, de summo pontificatu summa erat trium contentio. Tædebat Romanum populum, ea de summa religionis controuersia: vocatus Imperator aderat, in vtranq; rem armatus. Nam & exercitum duxit copiosum, si confligendum esset: & magnum nihilominus episcoporum ac prælatorum numerum, si disputandum. Vbi Romam venerat, vocatur ex more à patribus conciliū: aderant frequentes. Ibi tres illi summi pontifices cessere papatui: fit nouæ locus electioni. Ibi omnium suffragiis deligitur Sindgerus Bambergensis episcopus: appellaturq; in sede Petri Clemens secundus: qui Imperatorem cum coniuge Imperiali donat diademate. Nec tamen diu supererat Clemens: vix enim impleuit annum in pontificatu, vel per aeris Romani nouitatē, vel ob insueti cibi nouam coctionem, quā Italici magistri singulari norunt ingenio temperare. Misitq; rogatus Imperator in locum demortui, Popponem, Brixinensem episcopum: qui nec ipse superuixit in pontificatu annum vnum, locumq; fecit successori. De quo circumspiciens Imperator, non inuenit in episcopis Germanię, qui ad certam mortem, hoc est ad Papatum, properarent. Gallia habuit qui se patereturad hanc rem mitti, Bruno Tullensis episcopus, vir natu nobilis, sed animo simplex: erat enim regii sanguinis, propinquus Imperatori. Quem Hildebrandus monachus repertum cum insignibus pontificii, instruxit vt poneret, donec in vrbe per legitimā viam acciperet. Paruit ille: & tam bono monitore carere nō est passus, ducēs illum in vrbē. Vbi profecit (qđ dixmus) ad Papatū, Gregorius septim⁹ vocatus: hic aūt Bruno, appellatur Leo non⁹.

*Romæ paratur etiamnum Claudi boletus.*

CAP. 21. MINDENSI ecclesiæ per ea tempora sub Henrico tertio, Conradi filio, præfuit Bruno, vir præstantissimus, ex choro sumptus Magdeburgensis ecclesiæ. Hic memor originis suæ, apud Mindam fundauit monasterium, in honorem diui Mauricii, primi patroni sui: transflatis illò fratribus de monasterio sancti Ioannis Magdeburgēsi, sub Meinwardo primo eius loci abbate, anno Christi post mille XLII. Inde post quatuor annos consecrauit monasterium in Kemmenade. Anno autē LV. quum iam Henricus quartus ex paruulo præsset Imperio, hic pontifex emigrans, ad meliora (vt confiditur) est translatus. Nam post longam ægrotationem, qua Dominus vas electionis suæ in camino tribulationis iussit & probari & purgari, quarto Idus Februarii (hoc est ipso die Scholasticæ virginis) beato fine feliciter in Domino obdormiuit: sepultusq; apud insulam, quam fundauit, lapideo sepulcro pretioso, etiam posito sarcophago. Testimoniales versus hi sunt:

*Mauricii monasterium ad Mindam.*
1042.

*Condidit hoc templum, quem claudit, Bruno sepulcrum,*
*Præsul, honor patriæ, lumen & ecclesiæ.*
*Idibus in quartis Februo, caligine mortis*
*It cinis in cinerem. Da Deus huic requiem.*

Post transitum autem huius venerandi præsulis, annis trecentis triginta tribus, duobus mensibus, abbas prædicti monasterii, nomine Ludolphus, ex militaribus de Gripeshope, transtulit corpus eius iam in cinerem redactum, ad nouum ędificii chorū, ante maius altare: qđ erat anno MCCLXXXIX. decimonono mensis Aprilis. Sedit aūt hic venerabilis Bruno, annis XVIII. Vnde & quidā in laudem eius cecinit:

*Victrix Minda dole, nono viduata tyrone:*
*Ex multis talem vix habitura parem.*

CAP. 22. IN Hamburgensi metropoli successit Hermanno Bezelinus, cognomento Alebrandus: & sedit annis decem. Assumptus est ex ecclesia Colonienſi, vir omniū bonorum genere decoratus, episcopali dignus officio, dilectus Deo & hominibus. Ipsiq; Conradus adhuc viuens baculum obtulit, & Benedictus Papa pallium transmisit. Ordinatus est autem à suffraganeis, & aliis septem Saxonię episcopis, in vrbe Hamburg, cum ingenti gloria. Hic ergò quum omnibus esset talis, qualem singuli desiderabant, singularem curam & amorem super clericos habuit: de quibus nec tolerare poterat, vt cuiquam malum diceretur verbum. Nam & claustrum renouauit, & canonicis mensam primus instituit. Prius enim quum præbenda tenuis

*Demensam canonicis augetur, septum cingitur.*

nuis videretur, triginta conuiuia, quæ Libentius episcopus per annum dari statuit, adiectis de sua parte quibusdam decimis, ita ordinauit, vt albus detur fratribus panis vltra solitam annonam quotidie: in Dominicis verò diebus, duplex mellitæ copia. Nam & vinum dari fratribus, contra naturam Saxoniæ, disposuit: quod etiam in diebus suis ferme peregit. Composita igitur mēsa, manum vertit ad clausturm: quod dum prius ligneum esset, lapideum fecit: forma (vt moris est) quadrata, vario cellarum ordine distinctum, & visu delectabile. Deinde murum ciuitatis, à prædecessore suo Hermanno orsum, in gyro construens, aliquibus in locis eum vsque ad propugnacula erexit: aliasq; quinque aut septem cubitorum altitudine semiperfectum dimisit. Cui etiam ab occasu porta grandis inhęsit, superq; portam firmissima turris, Italico munita opere, & septem ornata cameris, ad diuersam oppidi necessitatem. Quo tempore Bezelinus archiepiscopus, dum prædicta Bremæ operum insignia relinqueret, mox ad ecclesiæ Hamburgensis ædificationē toto cordis amore accingitur. Ibi enim post cladem Wandalicam (quam suprà contigisse retulim[9]) Vnwanus archiepiscopus, & cum eo dux Bernardus, clausturm de ruinis antiquis ciuitates eleuantes, ecclesiam & diuersoria omnia cōstruxerunt lignea. Bezelinus verò pontifex, aduersus crebras hostium incursiones, aliquod fortius præsidium pro inopia loci necessarium arbitratus, primus omnium ecclesiam, quæ constructa erat in matris Dei honorem, lapide quadro ædificauit. Aliam deinde sibi domum fecit lapideam, turribus & propugnaculis valde munitam. Cuius æmulatione operis dux prouocatus, & ipse domum in eo loco parauit. Tum verò pro legatione sibi ad gentes credita, more prædecessorum suorum solicitus, coadiutores prædicationis suæ ordinauit episcopos, Rodolphum ex capellanis suis in Sliaswig, Abelinum in Wandaliæ partem Aldenburg, Walonem à Bremensi choro in Ripam. Trans Albiam verò suo tempore, ac per totum regnum pax firma erat. Principes Wandalorum Anatrog, & Gneus, & Ratibor, pacificè ad Hamburg venientes, duci ac præsuli militabant. Sed quum diuerso animo in gente Winulorum dux & episcopus laborarent, duce scilicet pro tributo, pontifice verò pro religione firmanda, iamdudum sacerdotum studio Christiana religio conualuisset, si conuersionem gentis auaritia principum non præpediret. Eo etiam tempore Hermannus Colonicnsis archiepiscopus, veterem de Brema querimoniam renouauit: sed ipse tam instantia Bezelini, quàm trienhali silentio repulsus, archiepiscopo satisfecit, & per integrum mensem eum secum Coloniæ habuit, lautissimè exceptum & habitum.

*Hāburgensis ecclesia instauratur.*

*Principū dum taxat auaritia, quasi mulla sit faccerdotum, notat.*

VERDENSEM ecclesiam illo tempore gubernabat vir memorabilis Thitma rus, ordine vigesimus, in eo numero, qui simplicitatem columbinam industria serpentina exornauit: rexitq; ecclesiam suam industriè, incertum quot annis. Nimiū enim sobrii sunt annales, præter nomen pontificis & diem obitus interdum nihil præferentes. Obiisse tradunt septimo Calendas Iulii: quo tempore Henricus rex Bohemum rebellantē quum edomare constituisset, non est prosperatus. Nam Petrus Vngariæ rex, duci misit suppetias ad resistendum regi Romanorum: sed bene consuluit fortuna Henrico regi. Nam Petrus Vngariæ rex, qui antè roborasset Bohemum, regni hostem, pulsus a suis regno, ad pedes venit Henrici, supplex orans, vt gratiam mereretur & veniam de erratis. Rex illum affatus benignè, iussit bene sperare: parauitq; nouam in Bohemos expeditionem: & reb. tum prosperè gestis, coegit ducem post se venire Ratisponam: vbi ad pedes regis gratiā promeruit, pollicitus imperata se facturum. Interim Omo (quem Vngari fecere regem) vastat Bauariam, quòd Henricus Petrum tueretur: sed magna ibi Vngarorum manus ab Alberone marchione, pro Henrico militante, deletur. Hoc etiā tempore Sueno Normanniæ rex, cum valida classe iturus in Angliam, appulit in ostia Albis, ad Hadeleriam: ibiq; hostili more (vt solebat ea gens in paganismo) populatur. Aderant ex satellitibus Bezelini archiepiscopi, qui manu rustica coacta, obuiam grassantibus sunt profecti: & collata manu fauit fortuna, vt rex caperetur, & Bremam in præsentiam archiepiscopi traheretur. Excepit illum paternè pontifex: & bene sperare iussum, muneratumque magnificè, liberum dimisit. Ille popularibus suis glo-

*Cap. 23.*

*Bohemie dux ab Henrico armis domitur.*

*Normanni a rusticis prelio fusi.*

riam prædicauit episcopi, efferens opes & regiam magnificentiam ibi collucere.

CAP. 24. MONASTERIENSIS iam dicta est ex fundato & magnificato monasterio, ecclesia pridem Mimigardeuordensis. Cui ordine decimusquintus, præficitur Robertus, qui multis bonis ditasse & amplificasse memoratur ecclesiam. Hoc tempore Ratibor Wandalorum dux, cæsus est in acie à Danis, quum prædatum abiisset cum expedita manu in Iutiam. Erat vir Christianus, magnæ in sua gente authoritatis. Habuit octo filios, insignis nobilitatis iuuenes: qui omnes in vltionem patris assurgentes, ad vnum perierunt vniuersi. Nam Magnus rex Daniæ, filius diui Olaui, à Normannia rediens, Heidubam (hoc est Sleswicum) appulit: & reuersus ex Iutia, Wandalos prædatores in campestribus Heidubæ excepit: & quindecim millibus occisis, composita res est, & rediit tranquillitas omni tempore Magni regis. Sed tum Godscalcus, post mortem regis Danorum Canuti & filiorum eius (qui nō diu superstites fuere patri) cōtra Wandaliam, patriam suam, venit infestus: quòd principatum eius alii occupassent, quodq; Christiana sacra populariter in mediterraneis reiecissent. Omnes impugnauit: magnumque terrorem gentilibus suis incutiens, & quidem quum pro Christo ageret, prosperat⁹ est. Angebat virum bonum, quòd dum in adolescentia sua patris necem seuerè vindicasset in Saxones, popularibus suis occasionem præbuit à religione resiliendi, redeundiq; ad pagnismum: dum arbitrarentur, religionem & tributa paribus incedere passibus, vtrunq; abiecerunt. Sed Godscalcus, vir nobilis, iam per ætatem sanum sapiens, studebat recuperare Christo, quicquid per ipsius occasionem esset auersum. Quo in studio diu prosperatus adeo efferbuit, vt in fine sanguinem daret pro Christo, martyr factus, qui antè fuit persecutor. Sed hæc posteà.

*Octo fratres, patrii necem vlcisci cupientes cadunt.*

*Godscalc⁹ suā a Christo defectionem grauiter corrigit.*

CAP. 25. BEZELINVS interim, optimus metropolita Hamburgensis, ecclesiam illam suam matricem exornare studuit. Ciuitatem muro circumdari disposuit, tribus portis ac duodecim turribus: ita vt primam episcopus, alteram aduocatus, tertiam præpositus, quartam decanus, quintam scholarum magister, sextam fratres & canonici tenerent: alias sex ciues adhibitis sortirentur custodiis. Nam in eo loco post cladem Wandalicam, in diebus primi Libentii, Vnwanus archiepiscopus, & cum eo dux Bernhardus, clausirum nobile de ruinis veteris vrbis erigentes, ecclesiam cum diuersorio, ligno exædificabant. Alebrandus propter loci periculum & crebras incursiones, maiori munimento opus esse ratus, lapide quadro ecclesiam exædificauit. Aliam deinde domum fecit lapideam, turribus & propugnaculis satis communitam: cuius nuper à fodientibus in eo loco, ampla & magnifica sunt reperta fundamenta, ab Austro ecclesiæ: stuporemque ingessere cernentibus, mirantibusque quid hoc fuisset ab olim, quum iam in media ciuitate ruderes inde eruerentur: tum verò quum collocarentur, terminus ibi erat vrbis, ad ripam Albis fluminis positus: vt arcis custodes, extrema vrgente necessitate, abitum inuenirent (quum tutari non possent) elapsi per riuum fluminis, primoque impetu peruenirent in ripam fluminis alteram: sed etiam vt commeatus & necessaria omnia per flumen importarentur. Ea verò quæ ex hoc loco repertorum nuper fundamentorum, nunc extructa cernimus, post ea tempora sunt vrbi adiecta, quum paludosæ limosæq; terræ, puluere iniecto & arena, cum purgamentis locorum, in eam soliditatem redigerentur, vt domus superimponerentur. Poterat & vis fluminis alluuione augere terram. Huius autem lapideæ domus, cuius reperta diximus fundamenta, æmulatione dux prouocatus, & ipse domum in eadem vrbe suis instruxit munitam. Ita prorsus ciuitate renouata, basilica ex vna australi parte habuit domum episcopi, ex altera prætorium ducis. Iste verò archiepiscopus clericis ecclesiæ suæ, quos videbat in honestate indigos, multa sæpe largiebatur: aliquib. absconditè quaternos aut denos solidos argenti, multis præbendas, aliis suas vestes: pleriscq; etiam compatiens, quòd à laicis immodestè tractarentur, percussores eorum fecit ante se colaphis cædi, & taureis vapulare: nondū promulgato canone, quem Innocentius secūdus tulit post centum ferè annos ex hoc tempore. Ad laudem verò huius Bezelini parū est omne quod dicimus, à cuius præconio nō est auditus qui discordaret: quod vnū difficile est in vita mortali, ita viuere, præser-

*Hamburgensis ciuitas amplificata.*

*Iniuriæ clericis grauiter vindicatæ.*

præsertim in sublimi agentem, vt omnibus placeat. Vt enim breui quodam indice complectamur imaginem virtutis eius, pater patriæ fuit, decus cleri, salus populi, terror male potentum, exemplar beneuolentium, egregius pietate, qui vel omnia vellet ad perfectum deducere. Dicta ac facta eius omnia dulci memoria posteris comprænsa. Videns autem pestiferum morbum de connubiis clericorum magis de die in diem augescere, statuit pedibus ire in sententiã sui prædecessoris iunioris Libentij (si tamen ecclesiam & clausirum in suum perduceret perfectum) vt relegarentur quàm longissimè omnes mulierculæ. Et quum omnibus esset talis, qualem singuli desiderabant, singularis eius amor & cura fuit in clerũ: de quibus nec tolerare poterat, si quis malè loqueretur, aut illos verbo offenderet. Nam & clausirum renouauit, & canonicis mensam primus instituit. Quumq; omnibus pro sui magnificentia honorabilis haberetur, solis erat inuisus malefactoribus. Vtho quidam erat illa tempestate marchio, plurimum ditionis habens in Stadensi comitatu. Qui dum sibi pro sua superbia quod libuit, vidit non licere, auersatus est pontificem: sed ille superbiam retudit magnanimitate. Interea decedente Zuenone, Canuti regis filio, Norwagij Magnum, Olaui martyris & regis filium, sustulerunt in regem. Qui etiam Daniam inuadens magnis viribus, illam ex fœdere possedit, vt in Dania diximus. Nam quum Hardecanutus, Canuti Magni filius, in Anglia bellum gerens detineretur, pugnaturus in Magnũ Norwagiæ regem, classi præfecit consobrinum suum Zuenonem. Is à Magno victus, quum in Angliam reduceret laceratam classem, Hardecanutum iam reperit vita functum. Illo verò tempore Asconianni (quod tum piratis nomen erat) per ostia Wiserę progressi, peruenere Lismonam, omnia peruastantes. Sed illis ad naues redeuntibus, ad locum qui Anno dicitur, est occursum: ibi multi eorum trucidati perierunt. Angliam frater Hardecanuti vterinus Eduardus, Normannorum ex Francia ope obtinuit, pacto continens Zuenonem, quòd illi morienti, etiam exclusis liberis, is succederet. Qua conditione pacatus Zueno, in Daniam arma conuertit: quã iam Magnus Norwagius ex pacto occupauit, quod illi fuit cum rege decessore, vt in Dania diximus. Zeno arma intentauit, sed victus à Magno, retro abiit. Hæc pleniùs in Dania: nunc hac temporũ commemoratione breuiter attinguntur.

*Connubia clericorum prohibentur.*

*Dania a Norwagia rege occupatur.*

HILDESEMENSI tum ecclesiæ ad initium regni Henrici tertij præficitur Aselmus, episcoporum ordine decimus sextus: præfuitq́ue annis xx. cuius temporibus Egbertus marchio Saxoniæ, regi suo probè militans, copias ducebat in Bohemos: cepitq́ue armis ciuitatem eius prouinciæ primam, Pragam, non sine laude insigni. Ante hæc paulo tempora, Bezelinus archiepiscopus, Magnũ, duorum regnorum potentem regem, euocauit ad colloquium in Sliaswico, præsente Bernardo duce Saxoniæ, Tiadmaro episcopo Hildesemesi, huius immediato prædecessore: atque Rodulpho, quem eidem Sleswico dedit pontificem. Iste verò Tiadmarus, quum esset origine & natu Danus, patrocinio reginæ Gunildis (quæ fuit Magni Canuti regis filia) episcopatum meruit Hildesemensem. In quo colloquio, soror Magni regis, Ordulpho Bernardi ducis filio desponsatur. Qui vix peractis nuptiis, in gratiam leuiri, quendam Haraldum Danorũ principem, redeuntem ab Apostolorum liminibus Transalbiam, obtruncauit innoxium: quòd formidaret rex Magnum, virum regij sanguinis, sceptro propiorem, sibi quandoque illaturum arma. Ea res initium calamitatis peperit in familiam ducis. Magnus autem rex, pro iustitia & fortitudine charus erat Danis, verùm Wandalis suspectus ac tremendus. Nam opulentissimam eius gentis ciuitatem Iulinum oppugnauit: sed tamen clades par fuit vtrinque. Optimus ac sanctissimus pater profuit bono regi plurimum ad commendationem. Cæterùm Wandalis (vt diximus) infestus erat: qui pro veteri consuetudine maritimorũ, mortuo Canuto Magno, Daniam vastauerunt. Hoc tempore nobilis, prudens ac religiosa domina Emma, vxor quondam Luderi comitis, qui patrem habuisset Hermannum, primum eius familiæ ducem, fratrem autem Bennonem: fœmina autem germanũ habuit Menwercum Paderburnensem episcopũ, virũ æquè sanctũ. Vidua hæc erat per annos quadraginta: quæ ingentem thesaurũ à marito relictũ, fere totũ pauperibus & ecclesiis

*Nuptiæ innocentis hominis cædem sunestæ.*

*Emma vidua pietas.*

dispersit: cuius corpus in Bremensi quiescit ecclesia. Ea dum viueret, cortem Stiplage iuxta Rhenum, Bremensi contulit ecclesiæ. Lismona quoque quum esset patrimonij eius, incertum pro qua re, cessit Imperatori Conrado. Ex qua causa Gisla vidua, Conradi regina, eo tempore Bremam accedens, fratribus multa bona fecit, ecclesiæq; & indigentibus cunctis multa distribuit: inde Lismonam cum archiepiscopo visitauit.

CAP. 27. ANNO penultimo Bezelini archiepiscopi, domus sancti Petri Bremæ conflagrauit: eiusq; flamma incendij, claustrum cum officinis, vrbem cum ædificiis totã consumpsit: veterisque habitaculi nullum permansit vestigium. Ibi sacer thesaurus ecclesiæ, ibi libri & vestes, ibi omnia ornamenta sunt consumpta. Archiepisco pus autem præposituram tulit Edoni. Pro cuius rei zelo iunior Edo, nepos eius (vt fertur) iratus, monasterium incendit: pro cuius etiam sacrilegij compositione, pater Edonis suam hæreditatem obtulit ecclesiæ. Edo verò præpositus Hierosolymã peregrinatus abiit, circa festum sancti Iacobi egressus: rediitque in proximo Pascha. Sed hæc quæ diximus, rerum damna facilè possent recuperari, si maiora non paterentur in moribus detrimenta. Multum enim distant, vt quidam ait, damna morum à damnis rerum temporalium, quum illa extra, ista intra nos sint. Sanè ex illo tempore, fratribus (qui antea canonicè vixerant) extra clausirum (quod perierat) vagantibus, regula sanctorum patrum per multa prius secula studiosè conseruata, primò negligentius cœpit haberi: deinde funditus abiecta consenuit. Ver ba sunt Annalium, quæ ad agnitionem temporum ex fide posui. Et sunt anni ab ordinatione sancti Willehadi (quum Bremensis ecclesia fundata est) vsq; ad tempus huius conflagrationis (hoc est ad finem pontificatus Alebrandi, quando eadem ecclesia conflagrauit) ferme ducenti septuaginta. Exusta est autem intrante autumno, quod est III. Idus Septembris. Quo tempore archiepiscopus in Phrisiam iter vertit. Qui conflagratione ecclesiæ audita, mox pedem retorsit: iactisque sequenti anno fundamentis, ad formam Colonien sis disposuit eius magnitudinem perficere: & profectò, si longiorem illi vitam fata concessissent, omne opus ecclesiæ paucis perficisset annis. Tanta erit illius animositas, & in omni opere perseuerans instantia, præcipua verò in templi ædificatione vigilantia. Porrò sola æstas quæ hoc opus inchoauerat, fundamenta ecclesiæ iacta, columnas & arcus earum, lateraque in altum vidit erecta. Transacta autem hyeme, quum iam paschalis immineret festiuitas, beatissimus pontifex Alebrandus pridie ante Dominicam cœnam, insci us (credo) suæ vocationis, ab ecclesia Schirmbeke, nudis pedibus Bremam peruenit: vbi cum lachrymis oratione multa profusa, Deo & sanctis eius cõmendauit ecclesiam. Quumque iam febribus vexaretur, nauigio ad Buccensem delatus est præposituram: ibique septem superuixit dies. Sic terrenum phasc cælestibus mutans azymis, anima eius gaudens transiuit ad Dominum. At verò corpus antistitis cum ingenti luctu sequentiũ occurrentiumque per alueum Wiseræ fluminis Bremam deportatur: in medio nouæ, quam ipse tunc orsus est instaurare, 40 basilicæ tumulatum est: in quo scilicet loco altare primò maius situm erat, iuxta Mausoleum sancti patris Willehadi. Ipso autem anno quo archiepiscopus decessit, migrauit etiam Odincarus Ripensis episcopus. Contigit autem ea depositio pa
1043. tris nostri Alebrãdi, anno MXLIII. circa diem XVII. Calend. Maij, indictione secunda. Vale in Christo, pastor amabilis, tuoque gregi nunquam obliuiscende (ait Annalium scriptor) transi ad Pascha cælorum: vbi cum agno Paschali epuleris in azymis sinceritatis & veritatis: recipere feliciter in æterna tabernacula, vbi cum angelis indeficienti læteris beatitudine. Quandiu enim temporali vita nobiscum fruebaris, pastoralis curæ officia vigilanter implesti. Nunc autem raptus es, ne malitia mutaret cor tuum. Ideoque pius Dominus properauit te educere de medio iniquitatum, vt fructum laborum tuorum plenè perciperes, etiamsi non omnia perfeceris quæ bona voluisti. Ergo iustitia tua manet in æternum, & memoriale tum non derelinquetur in seculum seculi.

*Brema incendio cõsumpta.*

*Bremã ab archiepiscopo instauratur.*

*Bremensis pontificis mors & successor.*

CAP. 28. MAGDEBVRGENSI quoque ecclesiæ, per ea tempora Henrici tertij, post Meinfridum (quem alij scribunt Hunfridum, virum Deo deuotum, authorem colle-

collegiorum Nicolai & Petri) præficitur ab eodem Henrico Engelhardus, ex monasterio Wirtzburgensi translatus, Winfrido reiecto. Cui quum rex episcopatum deferre videretur, contemptum retulit. Præfuit autem Engelhardus eidem annis duodecim cum summa vigilantia. Quo tempore Henricus rex Pannoniã ingressus, quam tum Vngari magna ex parte tenuere, vt etiam hodie tenent: sed partem etiam Pannoniæ nunc Austria habet, subiectis antiquis limitibus prouinciarum. Sed tum rex Henricus militari expeditione prosperatus, duas populosissimas ciuitates, quarum nomina in annalibus non extant, subuertit: plures deditione sibi subiecit. Prouocauere in se regem Vngari, veteri quæstu nõ abstinentes: nam excursionibus vexabant partes Charintinorum ac Bauarorum. Sed rex Henricus adeo retudit eorum ferociam, vt facilè pœniteret illos excursionis. Nam ingressus cum exercitu prouinciam, regem cum exercitu etiam suo occurrentem in acie excepit, profligauitq; vastauitque terram vsque ad fluuium Ratha: partemq; regionis in deditionem accipiens, præstito sibi ab illis fidelitatis iuramento, cõmendauit gubernatoribus quos præfecit: victorem deinde exercitum in sua reduxit. Deferbuit iam ferox illa Vngarorum vis, quæ antea videbatur inuicta: iam verò manuefacta, consilio & viribus potuit perdomari. Quod idem vsu euenit cæteris quoque barbaris nationibus, quæ prima barbaric feroces, haberentur insuperabiles: vbi in leges concessere, manuescunt, fiuntque tractabiles. Hoc in Gothis, Wandalis, Hunis: hoc in Vngaris, Turcis, Tartaris, si quis attendat, inueniet. Qua in re perpendent sensati, non esse aliud quam Dei flagellum, quod prouinciis immittitur per excursiones barbararum nationum.

*Vngaria non tota est Pannonia.*

*Vngari victi, in potestatem Henrici venuunt.*

VERDENSI tum ecclesiæ præfuit Bruno, eius nominis secundus, ordine pontificum vigesimus primus: qui erexit ecclesias inter procellas turbinum: sed vt vir bonus & pastor egregius, malis temporibus est vsus in bonum. Bella, fames, pestilentiæ, mala, quibus hominum Deus castigat peccata, tum efferbuere. Nam Wandalorum commotio non potuit immunem præstare ditionem Verdensem, conterminã illi. Nam hodie quoq; pars eius gentis sub ecclesia manet & districtu Verdensi. Bella quoq; plurima Imperatori foris fuere: quæ dum illum tenent apud exteros implicitum, intra Imperij viscera surrexere bella domestica. Nam Bohemis & Vngaris Henricus rex tertius colluctatus, respirare fecit audaciam gentis Wandalorum: quem motum ecclesia non potuit non sentire. *Quis infirmatur*, ait Apostolus, *& ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Ergo pastor bonus Bruno, tempore duro virtutem magis exercuit, fecitq; splendescere: quomodo solet *sulco attritus splendescere vomer*, vt ait ille. Ferunt tum in regis domo adoleuisse Hildebrãdum puerum, de quo comminiscitur nescio quis fabulator inconcinnas fabellas, quòd quum filius esset fabri lignarij, ex sarmentis ordine compositis, insciusque ipse has literas conseruisset, quibus adstans homo literatus, legerit ex ea compositione scindularum, *Dominabor à mari ad mare*. Vnde coniectans diuinum aliquid in puero, suaserit parenti vt eum literis traderet. Traditus profecit, & in cancellariam regis peruenit. Vbi somnio admonitus Imperator de eodem, tum scriniario suo, quòd cornua videretur habere, quibus filiũ eius contereret, hominem in vincula coniecisse: sed ab Imperatrice vinculis exutum, Cluniacensi monasterium petiisse. Indeque profecisse primùm in subdiaconum, deinde in cardinalem, nouissimè in septimum Gregorium. Sed ego leuissimos homines ridendos duco, & cum suis fabulis exufflandos.

*Wandali ad rebellionem mouendam reduunt.*

*Licet omnes similes videre: sed docè qui deprehendantur.*

Cap. 29.

PADERBVRNENSEM ecclesiam per ea tempora post Rothonem, susceCap. 30.
pit gubernandam vir præstantissimus Imadus, præfuitq; cum summa laude annis viginti quinq. Ferebat tum temporum cursus, vt quum in Romana sede de apostolatu cõtenderent tres viri, non satis pontificio digni (alioqui legitimã expectassent cleri & populi voluntatem) Imperator ipse Henricus à Romanis aditus, pontificem dedit, primum quidem, Clementem II. ex Bambergensi episcopo, quum Sindgerus diceretur: à quo idem rex Imperiale diadema susceperit. Misit deinde interpellatus, Brunonem Tullensem episcopũ, qui Leo IX. est creatus pontifex. Post quem etiã Gebehardũ Eistatensem pridem episcopũ, curauit fieri in Romana sede

Victorem, qui ad nouissimum eiusdem Henrici annum descenderat ad regem in Goslariam. Sed dum Imadus præsset Paderburnæ, curauit idem imperator Henricus III. biennio ante mortem suam, vt filius eius Henricus IIII. octennis puer, Aquisgrani ab Hermanno Colonien si archiepiscopo, Romanorum rex sit consecratus. Consenuit iam tum Electorum potestas, siue ab Imperatoribus est contempta, quum filius patri ad Imperium surrogaretur. Poterat id quoque principũ voluntate fieri, qui magis idoneum in regno non viderent, præsertim quum puer legitima patris gauderet tutela, succrescens ad Imperiũ sub patris disciplina. Adiuuisse fertur eam rem vehementius Hildebrandus, iam Cardinalis, postea Gregorius Papa VII. qui tum aderat Henrico III. quum ea fieret de filio IIII. Henrico subuectio. Moritur deinde Imperator Henricus, & succedit filius. Mater Agnes, vt gubernacula pro filio teneret, nupsit duci Bauariæ. Imadus autem (quod bonũ decebat pontificem) curabat vt in suo distrĩctu ecclesiæ decorarentur, ministri ad cultum religionis instituerentur, populus deuotione augeretur. Et fine bono cõsumptus, conceſſit ad meliora, anno pontificatus sui vigesimo quinto.

*Electorum potestas imminuitur, quum filius patri accedit ad imperium.*

CAP. 31. ALBERTVS, siue Adalbertum (vt quidam) dixeris, in cathedra Hamburgensis metropolis, succedit Bezelino, si ab Willehado numeraueris, Bremensi episcopo, decimus sextus, ab Ansgario verò primo metropolitano Hamburgensi (sub quo Bremensis vnita est Hamburgensi, minor maiori) erit ordine decimus tertius. Erat is genere nobilis, ex comitibus Bauariæ, quem nescio quo errore quidam inscribit Simonem Cunzani (hoc est Conradi) comitis Bauariæ filium. Sedit annis triginta. Virgam pastoralem suscepit ab Henrico III. Imperatore. Hoc enim tempora tulerunt sub Henricis, vt episcopi & abbates ab regibus inuestirentur: sed sub Henrico V. ea res susceptit mutationem: quod dicemus. Pallium verò accepit à Papa Benedicto, eius nominis X. Ordinatio eius facta est Aquisgrani, Cæsare præsente cum principibus, adstantibus etiam XII. episcopis manum imponentibus. Fuit autem prius Halberstadensis præpositus, ingenio acri, memoriæ celebris, eloquentiæ singularis, forma corporis speciosus, castitatis amator, largitatis tam promptæ, vt præueniret precantes. Tardè autem aut humiliter accepit: humilitas tamen in eo dubia videbatur, quam solis exhibuit seruis Dei, pauperibus & peregrinis: adeò vt sæpè antequam cubitum iret, triginta, aut amplius mendicantibus ipse genu flexo pedes lauaret: principibus autem seculi & coæqualibus suis, humiliari nullo modo voluit. Anno igitur ordinationis suæ primo, videns basilicæ nouiter inceptæ opus immensum, vires exigere maximas, nimis præcipiti vsus consilio, statim murum ciuitatis à prædecessoribus suis orsum, & quasi minus necessarium, iussit demoliri, lapidesque poni in templum. Tunc etiam turris speciosa, quæ septem cameris ornata fuit, funditus diruta est: clausturum quoq; quod lapide polito constructum, pulchritudine sua visus contuentium refecit, absque mora dissipari præcepit, quasi aliud pulchrius cito facturus. Cogitauit enim (vt ipse fratribus de ea re scisciantibus aperuit) refectorium, dormitorium, cellariũ, & cæteras fratrum officinas, per omnia ex lapide susciture, si locus aut ocium suppeditarent. Ad quæ omnia, quum sibi omnia ad manus fore gloriaretur, solã clericorum & lapidum penuriam querebatur. Interea feruet opus, surgit ecclesiæ murus, cuius formam antea Alebrandus ad instar Colonien sis inchoauit: ipse verò ad exemplum Beneuentanæ domus cogitauit. Anno tandem septimo inchoati operis, moles à fronte est leuata, ac principale sanctuarij altare in honorem sanctæ Mariæ dedicatum. Nam secundum in occidentali apside consecrandum altare, in honorem sancti Petri disposuit: sub cuius inuocatione legitur extructa prima basilica. Emergentibus itaque multis archiepiscopo anguſtiis, opus imperfectum vsq; ad XXIIII. pontificij sui annum permansit. Et quoniam pontifex vidit ecclesiam suam, quam Adaldagus decessor suus principum molestia liberam fecit, iterum in idipsum recidisse, summo nisu conatus est eam reddere pristinę libertati, ita vt nec dux, nec comes, nec aliqua iudiciaria persona, quamlibet iurisdictionem haberet in suo archiepiscopatu: quod tamen per summum multorum odium fieri nequiuit. Itaque totus ad auxilium palatij confugit, cuius præsidio meminerat Adaldagum

*Episcopi nouæ ex mira humilitas.*

*Dirruit, edificat.*

*Ecclesiæ libertates nemini subesse magistratui.*

gum omnia patrauisse: nec sibi, nec suis, nec ecclesiæ pepercit, Cæsarem & aulicos placando, dummodo id efficeret, vt ecclesia liberaretur. Proinde tantos visus est in curia labores toleraſſe, tantisq; vbique terrarum expeditionibus cum suis sponte desudasse, vt infatigabilem eius constantiam miratus Cæsar, ad omnia reipublicæ consilia primum illum habere voluerit. Expeditiones verò quas in Vngariam, Wandaliam, Italiam, Flandriam cum Cæsare fecit, multæ sunt: quæ dum singulæ magnis episcopi sumptibus, multisque familiarum exactionibus & oppressionibus exigerentur, duarum nos tantùm facere mentionem instituimus: hoc est Italicæ, quæ prima fuit: & Vngaricæ, quæ postrema fuit: eo quòd præ cæteris fuerint insignes, ecclesiæque ambæ incubuerunt graues. Sed paucis interpositis, ad eam narrationem reuertemur.

CAP. 32.

DVM Albertus Hamburgensi archiepiscopatui præesset, Henricus rex Panoniam inuadens, satisfactionem & obsides ac munera, pacisq; confirmationem per iusiurandum accipiens, discessit, indeq; reuersus, Synodo Constantinensi adfuit, vbi cunctis in se delinquentibus debita dimisit, omnibus inimicitiis destructis: pacem hactenus inauditam, tam in tota Sueuia, quàm in aliis regni sui prouinciis, per edictum regiæ censuræ confirmauit. Deinde Agnetem Wilhelmi Pictauiensis principis filiam, prima vxore (filia regis Daniæ) defuncta sine liberis, apud Moguntiam vngi faciens in reginam, regalibusque sibi nuptiis apud Ingelheim copulauit. Vnde infinitam histrionum atq; ioculatorum multitudinem, nō solùm muneribus, sed etiam cibo potuq; vacuam & mœrentem, abire permisit. Deinde XLV. post millesimū annum, tertiò Pannoniā ingressus, Ononem cum vxore & filiis à regno fugauit, Petrumq; restituit in regnū: tubditoq; sibi Vngarorum regno, cum honore summo reuertitur. Godfridus dux Lotharingorum Henrico regi rebellans, ad deditionem coactus, in castello Gebefrenstein, vsq; ad condignam satisfactionē custodiæ mancipatur. Sexto deinde post MXL. anno vocatus in Italiam & vrbem Romā, ob ecclesiasticā necessitatem, comitem habuit (cum cæteris regni principibus) Albertum nostrū archiepiscopū, cum Moguntino. Vbi depositis, qui de Apostolica sede certauerunt, Benedicto, Gratiano & Syluestro, Albertus archiepiscopus noster eligi debuit, nisi pro se Sindgerum collegam posuisset, Bambergensem episcopū, vocatum in papatu Clementem. Qui ecclesiæ Hamburgensi ab olim concessa sedis Apostolicæ priuilegia renouauit: à quo mox Henricus coronatus, Imperator Augustus est consalutatus. Post hæc Imperatorem ab Italia reuertentem, archiepiscopus Bremam vocauit: occasione prætenta, vt Lismonam (quæ Imperialis erat iuris) videret, vel vt regem Danorum ad colloquium inuitaret: sed reuera vt Bernardi ducis Saxoniæ fidem exploraret. Imperator autem regio (vt oportuit) apparatu receptus, cortem quæ Balga dicitur, fratribus obtulit: Ecclesiæ verò comitatum Phrisiæ concessit. Inde Lismonam veniens, per insidias à Tiadmaro comite ducis fratre, pene circumuentus est: sed archiepiscopi studio defenditur. Quare idem comes in ius vocatus, quum se duello pro veteri Saxonum consuetudine vellet expurgare, à satellite suo est interfectus. Cuius mortem germanus eius dux, filiiq; eius zelantes, in archiepiscopū, ecclesiā, & episcopium, & cius familiā, se vindicare constituerunt, capitaliq; odio sunt insectati. Quumq; pax facta inter vtrosque conciliata esse videretur, nihilominus tamen qui ducem sequebantur, antiqui memores odij, quod patres eorū in ecclesiā exercuerunt, inquietā faciebant ecclesiæ familiā. Metropolitanus autem econtrà, bonis certans studiis, & beneficiis redimens tempus (quoniā dies mali erant) pacem cum ducibus fecit, hoc est cum Bernardo & Ordulpho filio. Inde solicitudinem gerens parochiæ, aliquod magnum dignumque cogitauit, vbique nobilitatis suæ vestigia relinquere constituens. Et quidem primò floccipendens auream prædecessorum suorum mediocritatem, vetera contempsit, noua molitus omnia perficere. Igitur magnis animi & sumptuum conatibus instans, vt Bremam cæteris coæquaret vrbibus, statim ex suo peculio duas fecit præposituras (collegia nunc vocant) vnā sancto Willehado, vbi corpus eius requieuit: alterā sancto Stephano, cuius se famulū multoties gloriabatur. Has quidem duas constituxit à principio: verùm etiam

*Henrici regis res fortiter gestæ.*

1045.

1046.

*Saxoniæ dux Hamburgensem archiepiscopū vexat.*

*Præpositura olim, postea collegia.*

alias postea fecit: hoc est, in Brema tertiam, sancto Paulo, de bonis quæ hospitali pertinebant: Lismonæ quartam, de prædio eiusdem cortis: quintam voluit fieri apud Stadium: sextam verò trans Albiam, in Sullenberg: septimam quoque incepit in Aspice, qui locus in Mindensi est parochia, sylvestris & montosus: octaua est abbatia Gosficana, iuxta Salam fluuium, quæ fundata est à parentibus archiepisco pi. Alia etiam plurima diuersis locis inchoauit opera, quorum pleraque ipso adhuc viuente defecerunt, quum reipublicæ negociis intentus, perficere vel nõ potuit, vel non curauit. Nam domus illa lapidea in Aspice, ipso præsente, subito casu lapsa corruit: cætera verò ex negligentia præpositorũ dissipata probantur: in quos detectos seueriſſimè animaduertit, si crimina mixta negligentiæ depræhendit. Et hæc domestica videbãtur negocia: de legationibus autẽ deinceps perstringemus.

10

CAP. 33. STATIM vt ingressus est archiepiscopatum, ad reges Aquilonis pro amicitia misit legatos, epistolas quoque commonitiuas per omnem sparsit Daniam, Norwagiam, Suediam, & vsque ad fines terræ: exhortans episcopos & presbyteros in illis partibus degentes, vt ecclesias Domini nostri Iesu Christi fideliter custodirẽt: atque ad conuersionem fidelium seduli niterentur. Statum autem earum rerum in regnis, in Dania nostra plenius explicuimus. Nunc paucis attigisse sat erit; quãtum ad legationis pertinet ministerium. Nam per id tempus, quum mortuo Magno, Olaui regis martyris filio, Norwagiæ atq; Daniæ rege, Zueno magni Canuti regis ex sorore nepos, Daniam simul & Angliam possedit: prosperatusq; rebus in regno terreno, cæleste (vt fit) leuius pendit. Nam quum multis antea concubinis iungeretur (ex quibus etiam filios post se regnantes sustulit plurimos) admonitus à pontificibus, vt legitimo toro indulgeret, donaretque vagam libidinem, animũ coniugio adiiciens, eam, quam propter sanguinis coniunctionem nõ licuit, duxit vxorem: vagam venerem damnosa & interdicta repensans. Qua in re suorum in regno episcoporum leuius ducens monita, in sententia perseuerauit. Perlata est res ad archiepiscopum Albertum. Is ob eam causam solennes misit ad regem oratores, modestius primùm admonituros: deinde, si non pareret, durius increpaturos, cum commination e maledictionis & anathematis. Ille nihil mouetur, minas minis discussit: si non sibi temperaret archiepiscopus, totam Hamburgensem parochiam vastaturũ ferro & igni minitatur. Sed archiepiscopus interritus, arguens & obsecrans, perstitit immobilis: donec per literas summi pontificis rex flexus, libellum repudij dedit consobrinæ. Nec tamen commonitionibus omnino obtemperans, rediit ad concubinatum: & ideo susciatuit ei Dominus in circuitu multos inimicos. Quam rem in Dania plenius sumus executi. In Suedia autem, extincto Iacobo rege Christianissimo, frater Emundus successit, Christianus quidem vocabulo magis quàm re ipsa. Hunc acephalus quidam Osmundus, diu Bremis literis vacans, ex dispositione Sigafredi Norwagiorum episcopi: sed is contempto suo episcopo, ductus ambitione, Romam petiit, vt episcopatus ordinem ad euangelizandum in gentibus obtineret: repulsusque inde venit in Poloniam. Ibi à quodam archiepiscopo ordinatus, se transtulit in Suediam, apostolica ordinatione se fingens missum archiepiscopum: præferri enim crucem sibi fecit. Audiens archiepiscopus noster, solennes ad Suediæ regem misit oratores, qui hominem acephalũ exturbarent prouincia, regemque docerent de ecclesiastica hierarchia: monerentque regem, non auscultare vanis sermonibus hominis gyrouagi. Sed apud regem, seculo magis quàm religioni deditum, præualuit existimatio hominis conterranei: qui multis apud regem modis effecit, vt oratores cum contumelia dimitterentur. Erat inter illos, quem noster archiepiscopus illi prouinciæ consecrabat episcopum. Reiecti, ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt, pro iustitia & veritate sustinere contumeliam. Sed regij sanguinis bonus iuuenis illos excepit, perductosque ad religiosam dominã, quam nuper Zueno Damæ rex ob propinquitatem sanguinis dimisit, quæ ex illo tempore ieiuniis & eleemosynis vacabat, in viduitate Deo seruiens: post eum maritum, quem insciа non legitimo iure habuit, nullum alium dignata virum. Tandem illius ope fœminæ, in Daniam, & inde in Saxoniam redierunt inanes. Sed illi deinde post suum eiectum pontificem, sunt casus

*Rex concubinatu deinde incesto coniugio infamis, monitem ponti ficem spernit*

*Archiepiscopi nomen & dignitatem sibi falsò tribuens.*

*Repudiata ob consanguinitatem, vidua cõtinentiam seruat.*

casus secuti Suediam, vt facilè intelligerent Suecones, agrorum sterilitate, aeris intemperie, & diffortunio rerum bellicarum, se diuina plecti vltione. Qua de re mittentes ad archiepiscopum, facilè impetrarunt, vt Adalwardum (hoc enim consecrato erat nomen) illis mitteret, quem pridem repulerunt episcopum. Ille perueniens in Suconiam, multum Domino populum acquisiuit ex iis terræ finibus, in quibus nullus antea prædicator visus est vel auditus. Idem ab rege Haraldo Norwagiæ dominante (Olaui martyris, olim regis, germanus frater is erat) inuitatus, in Norwagiam nauigauit. & inter alia religionis officia, quum ad tumulum hominis ante LX. annos defuncti perduceretur, stupente populo, quum adhuc integrũ hominis cadauer, quasi hodie sepulti, cerneretur, episcopus in spiritu cognouit, eum excommunicationis maledicto teneri laqueatum. Erat autem ex iis (vt liquidò compertum habebant) qui senioris Libentij tempore, in ditionem Bremensis ecclesiæ populabundi incesserant: quos (vt diximus in Libentio) idem pontifex maledictionis gladio feriebat. Quumque interposita prece pontificis Adelwardi absolueretur, mox solutus in cinerem recidit. Sed idem Haraldus iam regno potitus, omnes tyrannorum æuitias facilè superauit, æquè vicinis ac subditis onerosus. Arma portauit in Islandiã, diuina humanaq; omnia permiscens. Diuinos & sacrilegos, quos frater eius exterminauit, ille denuò reuocatos est secutus: & (quod est omnium nequissimum) nihil territus miraculis, quæ ad tumulum fratris quotidie gerebantur, fideliũ oblationes, quas illi turmatim aggerebant, ille inter milites suos est partitus, defuncti fratris vocitans donatiua. Pro quo sacrilegio, missis ab archiepiscopo nunciis, admonitus est paternè vt abstineret, fratrem defunctum reuereretur, Deum timeret vltorem. Sed ille in malitia perdurans, nuncios cum contumelia iussit abire. Episcopos deinde, quos archiepiscopus noster consecratos regno immisit, contempsit: missis in Angliam & Franciam ex suis, quos volebat consecrari: illosq; sic consecratos à non suis metropolitanis, recepit, aliis abire iussis. Pro qua contumacia grauiter est increpitus ab Alexandro summo pontifice. Tenor Apostolicarum literarum hic est.

*Qui excommunicati mortuum tumulum, non pertrectant, nisi absoluantur.* *Sup. lib. 3. cap. 42.* *Haraldus Dei & miraculorum contemptor.*

ALEXANDER episcopus seruus seruorum Dei, Haraldo Norwagiorũ regi, salutem & apostolicã benedictionem. Quia adhuc in fide rudes existitis, & in ecclesiastica disciplina quodammodo claudicatis, oportet nos (quibus totius ecclesiæ cõmissum est regimen) diuinis admonitionibus vos frequenter visitare. Sed quia ob longarum difficultatem viarum per nos hoc agere minimè valemus, sciatis nos Adelberto Hammaburgensi archiepiscopo, vicario nostro, hæc omnia firmiter commisisse. Prædictus itaq; venerabilis archiepiscopus, legatus noster, suis nobis conquestus est epistolis, quòd episcopi prouinciæ vestræ, aut non sunt consecrati, aut data pecunia (contra Romana priuilegia, quæ suæ ecclesiæ sibiq; data sunt) in Anglia vel in Gallia pessimè sunt ordinati. Vnde ex authoritate Apostolorum Petri & Pauli vos admonemus, vt sicut apostolicæ sedi subiectionis reuerentiam debetis exhibere, ita venerabili archiepiscopo vicario nostro, & vice nostra fungenti, vos vestriq; episcopi impendatis. Et reliqua. His apud Norwagiam sic se habentibus, magno studio instituit archiepiscopus, Danorũ regem Zuenonem, quem pro repudio coniugis offensum habuit, reconciliare. Sensit enim, quòd si talis cum eo princeps staret, leuiorem sibi ad alia quæ in animo gessit, introitum fore. Mox igitur interueniente gratia largitatis, quam in omnes habuit, venit in Sliaswicum. Vbi facilè notus, & superbo regi reconciliatus, muneribus atque conuiuiis certauit archiepiscopalem potentiã regalibus anteferre diuitiis. Deniq; (sicut mos habet in ea gente) ad confirmandum pactum fœderis, conuiuia vicissim inibantur per dies octo. De multis rebus ecclesiasticis ibi disponitur: de pace Christianorũ, & conuersione paganorũ, ibi in mediũ cõsulitur. Rebus compositis, pontifex cum gaudio reuersus, persuasit Imperatori Henrico III. vt reuocatus rex Danorum in Saxoniam, appellaretur ab ipso, & vterq; alteri perpetua confœderaretur amicitia. Nam Henricus antea vxorem habuit ex eo regno, iam vita functam, Canuti regis filiã, huius Zuenonis consobrinam. nam eundem Canutum is auunculum suum agnoscebat. Factumq; est vt admonuit archiepiscopus. Cuius con-

CAP. 34. *Papæ ad Norwagiæ regem epistola.* *Archiepiscopi opes nihilo regius inferiores.*

fœderationis beneficio, multũ prouectionis accepit ecclesia, & legatio in boreales nationes, cooperante Zuenone rege, prosperis est aucta incrementis.

CAP. 35. SED vt illorum temporum ecclesiasticum statum plenius agnoscamus, paulo nobis retro redeundum est. Anno quinquagesimo primo post M. generalis synodus est habita apud Moguntiam, præsidente in ea summo pontifice Leone, qui in gratiam Imperatoris Henrici ad eam descenderat. Aderat idem Imperator, cum archiepiscopis & episcopis multis, Bardone Moguntino, Euerhardo Treuerensi, Hermanno Colonien si, Alberto Bremensi, Engelhardo Magdeburgensi, cęterisq; prouinciarum sacerdotibus. Magnũ inter omnes erat nomen archiepiscopi Hamburgensis, & apud pontificem, & apud Imperatorem, qui tum Goslariæ palatium instruxit, & duas ibidem congregationes fratrum instituit, quarũ alterã dedit Alberto gubernandam: collegia nunc vocãt. Id quum esset assecutus pontifex, quòd indiuiduus comes hæreret Imperatori, & cooperator esset ad omnia, spem concepit accipiendi comitatus in ditione ecclesiæ constituti (Phrisiæ hunc arbitror, qui nunc de Aldenborg inscribitur) abbatias quoq; & prædia, quæ magno deinceps ecclesiæ impendio mercata est ecclesia. Nam & cœnobia Lauriss & Corbeiæ, & comitatus Bernardi & Egberti, prædia quoque, Suiticum, Plissna, Groningmor, Dissergum, & Lissmona, iam animo conceperat possidenda. Quibus iam spe præreptis, arbitrabatur se archiepiscopus aut per mare ambaturũ, aut per terrã nauigaturum, postremò omnia quæ in animo habuit, facilè perfecturũ: præsertim eo fultus adminiculo, quòd Papa Leo pro corrigendis ecclesiæ necessitatibus venit in Germaniam, quem sciret sibi pro veteri amicitia nihil negaturũ, quod iure cuiquam præstari deberet. Quo tempore idem pontifex Leo Ratisponam transiens cum Imperatore, reliquias beati Dionysij martyris (de quibus diu dubitatum est an ibi haberentur) præsentibus Parisiorũ legatis perspexit, ibique teneri probauit. Sanctum quoq; Wolffgangum, eiusdem vrbis episcopum, de tumulo leuauit. Indeque Bambergam cum Imperatore transiens, priuilegia eiusdem loci à cancellario suo Friderico (qui illi in pontificatu successit) perspici, & coram Imperatore populoq; pronunciari mandauit, suaq; authoritate confirmauit. Ad annum de- 1054. de LIIII. Leo mortem obiit. Henricus post duos deinde annos finiuit vitam. Sapienti antè vsus consilio, ab omnibus quibus potuit, veniã petiit, quibusdã prædia quæ abstulit, restituens: cunctisq; qui contra eum & regnũ damnabiliter peccauere, relaxans culpã, filium suum Henricũ, Romani pontificis cunctorumq; pontificum & principum regni electione regem constituit. His atq; aliis, prout vitæ possibilitas, bene dispositis, III. Nonas Octobris hanc vitam finiuit. Post cuius obitũ, quia filius eius Henricus adhuc puerulus fuit, Domina Agnes Imperatrix, mater pueri, regnum sub sua cura aliquandiu tenuit, & sapienter ac strenuè rexit. Donec principes aliqui zelo ducti, puerũ matri abstulerunt, eamq; regimine regni abalienauerunt. Quorum numero Anno Colonien sis archiepiscopus se immiscuit: qui puerũ in loco qui Werda dicitur, naui imponens, matri abduxit. Et ex eo tempore incommoda orta, & deinceps sunt aucta. Nam perinde in regno dissensio, ecclesiæ perturbatio, monasteriorũ destructio, clericatus despectio, totius iustitiæ ac religionis conculcatio & cœpit, & diu permansit. Imperatrix verò rerum perturbationes considerans, in Italiam se contulit: & apud monasterium, quod dicitur Friceria, religiosam vitam aliquanto tempore duxit. Post Romæ defuncta, in ecclesia sanctæ Petronellæ est sepulta. Mirum quomodo in aliis legitur, quòd nupserit duci Bauariæ Welpo. Sed quid faciemus hominum opinionibus? Vera quærimus, verisimiliora narramus.

*Moguntinæ synodus, anno 1051.*

*Archiepiscopus victu & vestitu non contentus.*

*S. Dionysij reliquiæ, papæ iudicio, sunt Ratisbonæ, nõ in Gallia.*

*Imperij moderatus, archiepiscopi opera mulieri auffertur.*

*Sup. cap. 30.*

CAP. 36. ÆQVANIMITER feret lẽctor, imò cum suo lucro sinat, vt quædam supplcat ista narratio, in Saxonia nostra præterita. Agnem Imperatricem Henrici relictam, peruenisse ad nuptias ducis Bauariæ, tradunt nonnulli: & fieri potuit, vt etiam illo marito vita functo transierit in Italiam, quod proximè diximus. Eodem autem tempore, instante pueri regno, Luitit ij gens erat Wandaliæ, alij Lusatios dicunt. Nam ea quoque gens erat Wandalica, hodie parens marchioni Brandenburgensi. Vtcunque fuerit, ea gens tum erat Christo perfida,

Wanda-

Wandalici generis. Quæ pridem quum vastauisset Saxoniã, factis excursionibus, iam nunc Saxones gentem efferam hostiliter inuaserunt: diuersisq; malis eam affligentes, Romanę ditioni subdiderunt: & acceptis obsidibus, ad propria redierũt. Ex illo tempore Bremensem ecclesiam omnes calamitates oppressérunt, Alberto archiepiscopo tantùm curiæ negociis intento. Ad gubernationẽ enim regni, mulier cum puero, magno videbatur detrimento. Indignantes enim principes, aut muliebri potestate constringi, aut infantili ditione regi, primò quidem cõmuniter vendicarunt sę in pristinam libertatem, vt non seruirent: deinde cõtentionem mouerũt inter se, quis eorum videretur esse maior: postremò armis audacter sumptis, dominũ atque regem suum deponere sunt conati. Tandem seditionibus ad pacem inclinatis, Albertus Bremensis, & Anno Colonienſis archiepiscopi, consules declarati sunt: & in eorum consilio summa deinceps rerum pendebat. Sueuorum tum ducatum tenuit Otto princeps, *de Swinfurt* cognominatus, Francus genere. Qui quum sine prole decederet, Rodolphus *de Reinuelden*, ducatum eius accepit: is qui posteà in cõtrouersia electus est rex aduersus hunc Henricum IIII. quod in Saxonia commemorauimus: nec obliuiscemur in hac rerum serie, quum ad ea tempora perduxerimus narrationem.

*Mulierris & pueri dominatum pati turpe habetur.*

ENGELBERTVS succesſit Brunoni, ordine pontificum Mindensium decimus septimus, vir Bauarus, translatus Imperatoris voluntate de ecclesia Bambergensi. Nam principes illius temporis, non modò de pontificatibus suarum prouinciarũ tum disponebant, verùm etiam de Apostolica sede tum prouidendi acceperant facultatem. Nam III. Henricus effecit, vt Bambergensis episcopus fieret Clemens II. Et Henricus IIII. desuper imploratus, non reperit in Germania pontificem, qui sedem Apostolicã vellet accipere. Sed Bruno Tullensis episcopus tum factus est Leo IX. quod expressius in Saxonia signauimus. Huius autem Engelberti Mindensis episcopi temporibus, ordo sancti Augustini (qui & Canonicorũ regularium) primò ab Apostolis, deinde à memorato doctore Augustino institutus, tum sub magistro Iuone episcopo Carnotensi cœpit reflorere. Seditautem præsul Engelbertus annis vigintiquinque, mensibus octo, diebus IX. Sepultus est apud ecclesiam sancti Martini, quam à Sigeberto prædecessore erectam iste prouexit. Mortuus est in crastino sancti Andreæ, anno octogesimo post mille. In horum sarcophago hi versus ad perpetuam laudem leguntur: CAP. 37.

*Ordinis sancti Augustini canonicos Apostoli instituerunt. Cur non cæteros omnes?*

*Præsul Engelbertus, ipsęq; prior Sigebertus,*
*Hic fundatores hilaresq; fuere datores.*
*Ergo Dei pietas, dedit his sedes requietas:*
*Et tibi, Martine, conregnabunt sine fine.*

Sed vtinam illo feruore quo res inchoantur, perennarentur. Qua in re nimium fallunturopinione fundatores: degenerant enim in deterius omnia. Quod in probatissimis quibusque religionibus spectatur. Inde crebræ reformationes, & secutæ deformationes. Sic teritur vita. Sub hoc pontifice erat incendium Mindæ grauissimum, quod maiorem ecclesiam totam, præsente Imperatore Henrico *** & anno pòst decimo reparatur: & per Radolphum Sleſuicensem (vt ferunt) episcopum consecratur, largiente Imperatore insignem curtem cum mancipiis, pro obsequio quod illi impenderat Engelbertus, pontifex illorum temporum.

SVB Imperio quarti Henrici (qui puer surrogatus est patri) ecclesiæ Osnaburgensi decimus septimus loco præfuit Wertincherus: quem nonnulli putant fuisse binominem, vt & Benno diceretur. Nam qui hunc secutus est in pontificatu, secundus scribitur Benno: quod nisi primus præisset, non fieret. Præfuit autem annis XVI. Mirum cur per tanta tempora nihil egerit memorabile: & si quid factum sit dignum mentione, cur non est in literas missum? Sed est hæc vetus querimonia apud nostrates: facere laudanda, quàm scribere, maluerunt. Inde est nobis & posteritati tanta rerum memorandarum ab antiquitate inopia. Peruenit autem hic pontifex viuendo ad annum sexagesimum octauum post mille: & translatus est ad meliora, vt confidimus. Durat enim memoria eius in benedictione apud posteros. CAP. 38. 1068.

CAP. 39. *Godscalci pietas & Zelus.*

IN Aldenburgensi ecclesia præerat isto tempore Abelinus, nonus à primo episcopus, quum res ecclesiasticæ satis reflorescere inciperent. Nam Godscalcus gentis princeps (de quo prædiximus) vir prudentia & fortitudine prædicandus, acceptа in vxorem filia regis Danorum, Wandalos suos ita perdomuit, vt eum quasi regem timentes, offerrent tributa, & pacem subiectione peterent. Qua temporis occasione Hamburg pacem habuit, & Wandalia sacerdotibus ecclesiisque plena fuit. Godscalcus igitur, vir religiosus, ac timens Deum, archiepiscopo etiam familiaris, Hamburg soluendorum causa votorum solebat frequenter adire. Proculdubio in omni Wandalia rarò quisquam erat potentior, & tam feruens in Christi religione alius non erat. Igitur omnes Wandalorum populi, qui ad Hamburgensem seu Aldenburgensem pertinent curam, toto tempore quo Godscalcus superuixit, Christianam fidem deuotè coluerunt. Tunc etiam per singulas vrbes cœnobia fiebant sanctorum virorum canonicè viuentium, item monachorũ, & sanctimonialium: sicut testantur ij qui in Lubic, Aldenburg, Racisburg, Leontio, & in aliis ciuitatibus singulis viderunt. In Magnopoli verò (quæ est ciuitas Obotritorum) tres Deo seruientium dicuntur fuisse cõgregationes. Gratulabatur ergo archiepiscopus de nouella plantatione ecclesiarum: misitq; de suis episcopis & presbyteris viros ad Godscalcum principem sapientes, qui rudes in Christianismo populos confortarent. Ordinauit autem in Aldenburg, defuncto Abelino, Eizonem monachum, ordine & numero decimum, in ea ecclesia episcopum. Sed quoniam magna erat parochia Aldenburgensis ecclesiæ, partiendam illam putauit, & tribus episcopis, dum res florerent, commendandam.

*Crebra cœnobia ædificantur.*

CAP. 40. *Tres ecclesiæ ex una factæ.*

INITIVM quoddam & fundamentum hoc tempore iactum est ecclesiarum, quæ nunc sunt Suerinensis & Raceburgensis, sumpta parte ex ditione latissima Aldenburgensis (quæ est nunc Lubecensis) ecclesiæ: vt minimas partes ipsa seruauerit, maioribus ad filias deriuatis. Nam Albertus archiepiscopus Bremensis, quum tamen titulũ vbique præferret ecclesiæ Hamburgensis, propter legationem, quæ ei sub hoc nomine debebatur in regna Aquilonis: Is archiepiscopus animo voluens maiora, vt patriarchatus quidam constitueretur in ecclesia Hamburgensi, sub se habens archiepiscopos, ecclesiam Aldenburgensem latissima ditione arctam contraxit, & in tres episcopatus diuisit. Nam Ioannem Scotum constituit in Magnopoli episcopum, qui nunc est Suerinensis: & Aristonem quendam ab Hierosolymis venientem, in Racesburg destinauit. Quod quidem Imperiali minimè factum est institutione (puer enim erat) sed Alberti archiepiscopi admuentione. Ipse enim vir magnificus & præpotens in regno, quum Papam ac Cæsarem propitios atq; voluntati suæ per omnia cõsentaneos haberet, in omnibus Borealibus regnis, Daniæ, Suediæ, Norwagiæ, functus est authoritate archiepiscopali, & legationis apostolicæ ministerio. Nec his contentus, patriarchatus honorem assequi voluit: atq; intra terminos suæ ditionis duodecim statuere episcopatus cogitauit.

*Archiepiscopus patriarchatum conderе instituit.*

1062. Iam ad annũ Christi sexagesimũ secundũ, mortuo Bernardo duce Saxoniæ, Ordulphus filius accepit gubernacula ducatus, permisso comitatu fratri Hermanno. Is comitatus quis fuerit, nõ satis explicatur, an Phrisiæ de Aldenborg, an Stadensis, an fortè Holsatiæ & Stormariæ: horũ singula, an fortè omnia: res enim in obscuro permansit. Ergo filij Bernardi, memores antiqui odij, quod (licet occultè) patres eorũ contra Bremensen ecclesiã exercuerunt, statuerunt iam apertè vltionem sumere de episcopo, totaq; ecclesiæ familia. Et primò quidẽ dux Ordulphus, viuente adhuc patre, hostili stipatus multitudine, Bremensem in Phrisia deuastauit episcopatũ, homines q; ecclesiæ cæcauit: alios etiam ad se legatos pro pace directos, publice verberari & debaculari iussit. Postremò omnibus modis ecclesiã & suos impugnare, spoliare, exedere, ac cõtemptui cœpit habere. Archiepiscopus autẽ querelã ad curiã deferens, nil aliud meruit sub rege puero, quàm derideri: nam & rex puer, a duce & fratre eius primò derisui habitus est. Quapropter archiepiscopus, vt fratres ab inuicem diuelleret, Hermannum comitem suum adaptauit militem: profectusq; est in Vngaricam expeditionem cum rege, velut princeps militiæ eius, relicto super negocia regni Annone Colonien si archiepiscopo. Restituto autem

*Iniuria grauis archiepiscopo illata.*

tem in regnum Salomone, quem Vngati expulerant, Albertus cum rege puero victor ab Vngaria regressus est. Tunc comes Hermannus magnum ambiens beneficium, quod dare noluit episcopus, statim in furorem versus est: venitq; contra Bremam cum exercitu copioso: diripiensq; omnia quæ inuenerat, soli pepercit ecclesiæ. Castella verò, quæ pontifex diuersis construxit locis, diruta sunt. Archiepiscopus eo tempore primatum curiæ tenebat: cuius audita querela, comes secundum iudiciũ palatij, exilio relegatus, post annum clementia regis absolutus est. Deinde verò idem comes, & frater eius, dux Ordulphus, ad satisfactionem ecclesiæ venientes, pro delicto suo quinquaginta mansos obtulerunt: & terra quieuit dies paucos. Tunc etiam rex vastationi ecclesiæ Bremensis condolens, transmisit ei ad solatium fere centum pallia, cum aliis vasis argenteis, libris & thuribulis, auro paratis. Hæc autem sunt munera quæ misit rex ad reædificationem ecclesiæ: tres calices aureos, librarum x. vnum vas chrismale argenteum, scutum argenteum deauratum, psalterium aureis scriptũ literis, thuribula & candelabra argentea, dorsalia nouem regalia, casulas xxxv. cappas triginta dalmaticas & subtiles x i i i. & vnum plenariũ, cuius tabula i x. libras auri habuit. Hæc de Annalibus libenter inserui, vt munificentiam regum ex illis temporibus agnoscamus.

*Damna archiepiscopo illata sarciuntur.*

OPERÆ PRECIVM est intueri quid egerit ille archiepiscopus ad exaltationem ecclesiæ suæ. Corbeiam & Lauriſſam cœnobia, pro quibus diu multumq; episcopus laborauerat, ecclesiæ Bremensis ditioni (etsi longè distantia) traduntur à rege. Tunc & Lismona, quæ hactenus fuit Imperialis, venit in ditionem ecclesiæ, quæ cors l x x. mansos habet: & maritimas Hadaleriæ regiones possidet. pro qua soluenda archiepiscopus Agneti reginæ dedit i x. libras auri, quoniam ea in partem eius ditionis cessit. Quinquaginta ergo cortes dominicales habuit archiepiscopus, ex quibus Walde maxima, vnius mensis persoluit seruitiũ: cæterùm Ambergen minima, quatuordecim dierum. Tanta erat opulentia archiepiscopi. Statuit autem omnes comitatus suæ parochiæ. qui in sua diœcesi aliquam iurisdictionem videbantur habere, in potestatem ecclesiæ redigere, instar aliorum præsulũ, maximè Wirtzburgensis, qui in episcopatu suo neminem dicitur habere consortem: ipse enim quum teneat omnes comitatus suæ parochiæ, ducatum etiam prouinciæ gubernat. Quapropter ab initio illum maximum Phrisiæ comitatum de Findgoc, est adeptus a rege, quem prius habuit dux Godfridus, tunc verò Egbertus. Pensionem annuam esse dicunt, centum librarum argenti: quarum ducentas Egbertus soluit, fuitq; miles ecclesiæ. Archiepiscopus autem obtinuit eundem comitatum per decem annos, vsq; ad expulsionis suæ diem. Alter verò comitatus erat Vtonis, qui per omnem parochiam Bremensem sparsim diffunditur: maximè circa Albiã. Pro quo archiepiscopus tantum Vtoni obtulit de bonis ecclesiæ, quòd singulis annis mille libras argenti soluit: quum vtiq; tanta quantitate precij maior posset ecclesiæ fructus omni anno parari: nisi quòd sufficit ideo pauperes esse, vt diuites seruos habeant. Tertius erat comitatus in Phrisia, Bremensi parochiæ vicinus, qui dicitur Emisgoc: pro quo archiepiscopus pactus est, se regi mille libras argenti daturum. Cuius pecuniæ summam quum non facilè posset conficere, iussit cruces, altaria, coronas, & cætera ornamenta ecclesiæ deponi: quibus denudatis, infelicem maturauit contractum perficere. Gloriabatur autem, pro argentea citò se auream factutum ecclesiam, omniaq; ablata in decuplum restituere: sicut & prius in destructione claustri visus est egisse. Tunc etiam ornamenta aurea, quæ obtulit domina Emma, confracta sunt. Aurifaber illa conflans, ad sonitum mallei visus est audire quasi vocem gementis pueri. Tali modo thesauri Bremensis ecclesiæ à veteribus summo studio, magnaque fideliũ deuotione collecti, tunc pro nihilo sunt pessundati: vix tamen ex eadẽ pecunia media pars debiti est conflata. Gemmæ autem distractæ, in vsum seculi male peruenerũt. Ab illo ergo die ruentibus in occasum prosperis, omnia Bremẽsi ecclesiæ aduersa fuere: archiepiscopus & sui, ab omnibus velut hæretici exibilabãtur. At ille omniũ voces paruipendens, simul etiã rebãta rei domesticæ cura, totus in curiã vehemens, & in gloriã præceps ferebatur.

*Wirtzburgensis solus in tota diœcesi regnum obtinet.*

*Stulta archiepiscopi ambitio.*

ANNVS erat sexagesimus sextus, post mille à Christo, quum Albertus archi-

episcopus Hamburgensis, consulatū curiæ per Imperiū est adeptus: æmulisq; remotis, primatū arcemq; capitolij possedit: nō tamen sine inuidia, quæ solet esse comes gloriæ. Tunc verò quædā aurea renouaturus secula, in cōsulatu suo cogitauit disperdere de ciuitate Dei omnes operātes iniquitatem, præcipuè illos qui vel in regem miserunt manus, aut ecclesias deprædasse videbantur. Cuius delicti conscientia quum ferè omnes episcopi & principes regni tangerentur, vnanimiter conspirabant, vt ille solus periret, ne cæteri periclitarentur. Igitur omnes apud Triburiam congregati, quum præsens rex adesset, Albertū archiepiscopū, quasi magum & seductorem a curia depulerunt. Audientes autem duces, Ordulphus, & filius eius Magnus, & Hermannus comes, pontificem ab ordine senatorum esse eiectum, sunt gauisi: atque vt eum penitus à suo quoq; episcopio pellerent, sunt annisi. Ipse autem eo tempore quum nihil tutius haberet, Bremæ confedit, inimicorū custodia vndique vallatus. Quumq; tota ducis familia pastorem & ecclesiā persequerentur, Magnus adolescens, ducis filius, ante omnes sæuiebat: glorians se reseruatum esse, vt rebellem domaret ecclesiam. Aiunt ducem Bernardum, futuri præscium, hoc ipsum sæpius narrasse cum gemitu, quo in extremis positus dixerit, filios suos ad excidium Bremensis ecclesiæ fataliter esse destinatos. Vidit enim per somnium, ex penetralibus suis egressos in ecclesiam vrsos aprosque, deinde ceruos, ad vltimum lepores. Vrsi, inquit, & apri erant parentes nostri, fortitudine velut dentibus armati: cerui sumus ego & frater meus, solis decori cornibus: lepores autem sunt filij nostri, modicæ virtutis, & timidi: de quibus metuo, ne impugnantes ecclesiam, diuinam incidant vltionem. Quapropter sub obtestatione diuini timoris præmonuit eos, ne quid impium cogitarent aduersus ecclesiā & pastorem, néve læderent hunc aut illum, quorum iniuria redundaret in Christum. Hæc ille surdis auribus præcepta dedit. Magnus enim, hepos eius ex Ordulpho filio, collecta multitudine latronum, non eo modo ecclesiam impugnare conatur, quemadmodum parentes eius: verùm ipse ecclesiæ pastorem persecutus, vt cōtentionem diutinam fuisse videretur, aut membris truncare, aut penitus interficere quærebat ipsum. Nec tamen illi dolus defuit ad cauendum, auxilium verò in militibus prorsus nullum habuit. Et ipso ergo tempore archiepiscopus à Magno duce obsessus, clàm metu fugit Goslariā: ibiq; securè apud Loctunā in prædio suo per dimidium annū mansit: castra autem & seruitia eius ab hostibus sunt direpta. Tandem fœdus cum Magno pepigit, offerens ei in beneficiū (Feudū nunc vocant) de bonis ecclesiæ mille mansos & amplius: vt qui hostis erat, miles fieret: eo nimirum tenore, vt comitatus Frisiæ, quorū alterum Bernardus, alterum Egbertus inuito retinebat pontifice, Magnus absque omni dolo iuri ecclesiæ reuocaret & defenderet. Ita prorsus diuiso in tres partes episcopatu Bremensi, vnam partem Vdo, alteram Magnus possedit, tertia vix remansit episcopo: quam etiam ipse postea Eberhardo aliisq; regiis adulatoribus distribuēs, fere nihil sibi retinuit. Nam & curtes episcopij, & decimæ ecclesiarum omnes, cessserunt in vsum laicorum. Tantis ergo largitionibus nil erga Vdonem & Magnum lucratus est, quàm ne à suo episcopatu penitus eiiceretur, & vt dominus inani nomine diceretur.

*Archiepiscopus gratia & potentia excidit.*

*Bernardi filij archiepiscopo supra modum infesti.*

*Archiepiscopus defensores magno emit.*

CAP. 43. SVBIERVNT tum ecclesiasticis rebus per vicinam Wandaliam infelicissima tempora. Nam Christianissimus per Godscalcum principem ad bonum modū restitutus, tum penitus est subuersus. Nam dum ipse pro sua in populo authoritate instantissimè ageret, vt fideles firmarentur, & infideles conuerterentur: iamque prosperatis (vt videbatur) rebus, maiorem in modū fides reflorescereet in ea gente, subitò exarsit coniuratio malè potentū in caput Godscalci: & in ciuitate Leontio (nunc Lenze vocant) ad ripam Albis, opprimitur, pro Christo cæsus ad aram, cum sacerdote Ippone, VII. Idus Iunij, & aliis multis tam clericis quàm laicis, qui pro Christo diuersa pertulerunt supplicia. Manauit sæuitia ista latè per omnem prouinciam. Erat congregatio fratrum Christo seruientium sub patre Ansuero. Hic sæuientibus Wandalis, & sanguinem Christianum sitientibus, quum ad passionem peruenirent, rogabat sæuientes, vt prius fratres, quibus ipse metuebat, lapidarentur. Quibus coronatis, ipse gaudens, cum Stephano genua posuit, & coronam

*Multorum Christi martyrum cædes.*

ronam accepit martyrii sui. Huius sancti brachium integrum seruatur apud Stadium, in ecclesia beatæ Mariæ, nunc subuersa, prius fratrum moribus euersis: intus habitant, si non degunt. Ioânes etiam senex episcopus in Mekelnburg, peregrinationis amore quodam Scotiam egressus, venerat in Saxoniam: & clementer ab archiepiscopo exceptus, non multo pòst ab eo est in Wandaliam missus, Magnopolensis episcopus. Hic apud principem Godscalcum illis commoratus diebus, multa millia ante tumultum exortum baptizauit: & nunc pro cõfessione Christi in Mekelnburg fustibus cæsus, deinde per singulas Wandalorum ciuitates ad ludibrium ductus, quum à Christi nomine flecti non posset, truncatis manibus & pedibus, in plateam corpus eius est proiectum, capite desecto. Quod barbari contis perfigentes, in titulum victoriæ deo suo Radegast immolauerunt. Hęc in metropoli eorum Rethre gesta sunt, III. Idus Nouemb. Ea vbi fuerit ciuitas, non bene compertum habemus: sed coniectura assequor, vt credam in terra Stargardiæ fuisse, in loco Robel, ad lacum profundissimum & piscosum. Nam Starigard Wandalica lingua, magnam sonat ciuitatem. Vnde factum conjecto, vt nomen ciuitatis acceperit, & seruauerit in hunc diem regio & totus dominatus nunc parẽs ducibus Magnopolensibus. Filia quoque regis Danorum (vxor videlicet Godscalci) apud Mekelenburg cum cæteris Christianis mulieribus cæsa, diu nuda per ignominiam est dimissa.

*Ioannes pro Christo atrocis mortis affectus.*

ECCLESIARVM Magnopolensis (quæ nunc est Suerinensis & Raceburgen sis) principia sunt sanguine martyrum cõsecrata: nam Magnopolitanum episcopatum Ioannes primus episcopus, sanguine suo rigauit: Raceburgensem, Ansuerus, cum fratribus pro Christo cæsus, dicauit. Aristo autem episcopus non legitur cæsus. Ergo Wandali victoria potiti, totam Hamburgensem parochiam ferro & igni demoliti sunt. Stormarii & Holsati fere omnes aut occisi, aut in captiuitatem sunt perducti. Hamburg cum arce sua funditus excinditur, & in derisionem Saluatoris nostri, etiam cruces à paganis sunt truncatæ. Ciuitas etiam Sliaswig ab iisdem funditus euertitur. Huius autem cladis author Plusso quidam fuisse dicitur, qui sororem Godscalci coniugem habuisse fertur: domumq; reuersus, & ipse obtruncatus est. Ita q; omnes Wandali, facta conspiratione, ad paganismum denuo sunt relapsi, eis occisis, qui in side perstiterunt. Dux Ordulphus sæpe contra Wandalos dimicans, nulla vnquam potitus est victoria. Igitur expulsio archiepiscopi, & mors Godscalci, anno Henrici regis octauo, archiepiscopi vigesimo secundo, anno scilicet Christi LX. post mille, prouenerunt. Vacauit exinde sedes Aldenburgensis, cum filiabus Magnopolensi & Raceburgensi, per annos LXXXIIII. Hæc est Wandalorum tertia negatio, quos primò Carolus conuertit, deinde Otto primus, nũc verò tertiò princeps Godscalcus. Et hæc mala signauit horribilis Cometa, qui ipso anno apparuit circa dies Paschæ. Eodem anno clades maxima prouenit in Anglia, per Wilhelmum Normannum, ex littoribus Galliarum: quod in Norwagia nostra sumus plenius executi.

*Cap. 44.*

*Wandalorum in Christianos sæuitia.*

*1060.*

*Wandali ter Christum abnegarunt.*

# ALBERTI KRANTZII METROPOLIS, LIB. V.

NON alienum est professioni nostræ, quãdo res ecclesiasticas scribimus prouinciarum Germaniæ Borealis, intexere catalogum summorum pontificum, annotationibus breuissimis, cum designatione rerum clarissimarum, quæ sub cuiusque pontificatu agebantur. Igitur quoniam ad Nicolaum primum seriem deduximus, inde prosequamur cæteros, exequentes ad nostra vsque tempora, hoc est ad initium Henrici quarti regnantis: cuius Imperium multum diuq; colluctatum est aduersus Romanos pontifices: quod in Saxonia nostra ostendimus.

*Cap. 1.*

HADRIANVS II. natione Romanus, quòd pontificatu dignus fuerit, vel inde clarissimè constat, quòd inuitus ad cathedram traheretur, laudante Ludoui-

co secundo concors votum, qui & illius refragantiam libenter approbauit. Sub hoc damnatus est Photinus hæreticus in Constantinopolitano concilio. Optimus pontifex, nihil prætermittens quod erat ministerii sui, anno quinto, mense nono pontificatus defecit.

*Photinus damnatur.*

111 IOANNES VIII. patria Romanus, Græcè & Latinè doctissimus, Carolũ III. cognomento Grossum corona donauit imperii. Tumultum & carcerem à suis passus, euasit in Gallias: ibi rem ecclesiasticam composuit, concilio Trecensi. Deniq; ad vrbem rogatus rediit. In Sarracenos duxit, expellens eos Italia & Sicilia. Multa è Græco transtulit. Peruenit ad annum pontificatus decimum, & obiit.

112 MARTINVS II. quem alii Marinum vocant, natione Gallus, malis artibus fertur ad pontificatum peruenisse. Ioanni prædecessori suo insidiatus, dicitur eius carcerem procurasse. Et tamen pontificatum male quæsitum, bene administrare non potuit. Sed in hoc feliciter prouenit ecclesiæ, quòd non diu fruitus est honore pontificio. Nam anno secundo, mense quinto defecit.

*Malis artibus papatum nactus.*

113 HADRIANVS III. patria Romanus, tanti fuit animi, vt adepto pontificatu decretum faceret, quòd in assumptione Romani pontificis Imperatorum assensus non expectaretur: quod Nicolaus potius molitus est, quàm inchoabat. Ferebant tempora, Romanorum improbitas, vt Imperatores adessent: nunc quum virtus in Imperio elanguit, ausi sunt pontifices eos contemnere. Anno secundo pontificatus, spem multorum fecit inanem, deficiens.

*Quantum animi, tantum in re.*

114 STEPHANVS V. patria Romanus, pontificatum iniit eo tempore, quo Galliæ Normannis, Italia Sarracenis colluctantur: tenuitq; labore plurimo. Nam & Italia in quieta fuit, & Romani non satis parebant. Fecit tamẽ bonus pontifex quod potuit, vt ecclesia Dei bene proficeret, & iurib. eius nihil decederet. Compleuitq; in pontificatu annos sex, & transiuit ad meliora.

115 FORMOSVS, hic Portuensis episcopus, Ioannis VIII. seueritatem veritus, vrbem dimisit, quòd conscius crederetur vinculorum Ioãnis. Nomen assumptum in põtificatu, insinuat hominem insolentem. Episcopatum & vrbem abiurauit: sed Martinus eum absoluit, & restituit. Papa creatus, Arnulphum fecit Imperatorem, accitum in vrbem: perduxitq; pontificatum in annum quintum, & mortuus est.

116 BONIFACIVS VI. patria Tuscus, creatur pontifex: sed quòd paucis diebus præerat, nihil magnum efficere potuit: nec declarauit quã sequeretur tum factionem, quæ fuit inter cardinales, & perinde creatos pontifices. Tantùm enim XV. (vt alii, XX v.) diebus in pontificatu dicitur vixisse.

*Cardinalium regnum in se diuisum.*

117 STEPHANVS VI. patria Romanus, adeo fuit infestus Formoso, vt exhumatum, pontificalibus iuberet nudari, digitos prçscindi, & in Tyberim mergi, quibus contra iusiurandum sit abusus: sepulturæ tradi laicali. Fuit hæc dissensio pernicioso exemplo inter summos pontifices, vicarios Christi, quàm dissimillimos sanctitati patrum, qui ad martyrium ex hoc gradu transierunt. Anno secundo, mense tertio defecit.

*Papa in papã insquam Scytha.*

118 ROMANVS, & vocabulo & origine, suffectus Stephano, statim improbat acta prædecessoris, vltrà etiam fortè processurus, si vita illi longior fuisset, ad declarandam sectam siue factionẽ suam, qua tum turpissimè pontifices laborabãt. Nam mense tertio ab inito pontificatu moriens, illum reliquit.

119 THEODORVS, & ipse Romanus, nihilo melior prædecessoribus suis. Formoso & ipse subscripsit, contrariæ factioni, quantum potuit, renisus. Sed nõ potuit intra paucos dies multa: nam vicesimoseptimo die initum pontificatum moriens dimisit.

120 IOANNES IX. & ipse Romanus, Formoso inhæsit. Et quoniam Romano populo visum est graue ita tumultuari pontifices, vt pene commotio grauis excitaretur, nisi Ioannes cedens, Rauennam peteret: ibi in pontificum cõcilio acta Formosi iustificat, Stephani condemnat. Sed ne vltrà procederet, vita breuis effecit. Nam anno secundo vix ingresso moritur, & successori fecit locum.

*Neque tamen papa erat.*

121 BENEDICTVS IIII. & ipse Romanus, modestia & suauitate præstitit prædecessoribus. Nam factioni illorum se non immiscuit, sed vt potuit, ministerii sui munus

munus diligenter impleuit. Exinde probatior, quòd illum tot praua non fecerint exempla deteriorem. Anno tertio, pontificatum moriens reliquit.

LEO V. (cuius patria nusquam exponitur) fuit Benedicto in pontificatu surrogatus: vir optimus, sed qui inuidiam suorum euadere non posset. Captus enim à domestico suo Christophoro, ambiente pontificatum, quarto Leonis die, ita coactus est se pōtificatu abdicare: & breui deinde, cōfectus animi dolore, Leo interiit. 122

CHRISTOPHORVS malis artibus, pontificatu per vim deiecto Leone, o- 123
primè de se merito, fit pontifex: sed septimo mense, quo modo ingredi batur, sic deturbatur, in monasterium detrusus. Sed inde exemptus, duriori carceri est tradi tus à successore, quòd successori quieturus non videbatur: ibiq; moriens defecit. *Amen, amen.*
Sic præmia sint male meritis.

SERGIVS eius nominis III. natione Romanus, iam tum diaconus Formoso 124
restitit: quapropter in Gallias fugere est coactus. Reuersus autem, fauore Lotharii regis ad pontificatum peruenit. Christophorum monasterio exemptum durius carcerauit. Formosum sepultum, iterum erutum, iussit decollari, atque in Tyberim proiici. Sed repertus, ad sepulturam redditur, non sine miraculis. Moritur iste anno septimo. *Papa in Formosum impr.*

ANASTASIVS III. patria Romanus, Sergio surrogatur, vir bon⁹: & in hoc 125
præcipuè collaudatus, quòd prædecessorum suorum factionibus se minus immiscuit, neque approbans, neq; reprobans acta cuiusquam, sed omni solicitudine sua tempora curauit. Nam secundo anno sui pontificatus deficiens moritur, facitq́ue locum successori.

LANDO, patria Romanus, adeo fertur obscurè pontificatum gessisse, vt non- 126
nulli eum inter pontifices non numerent. Alii tamen hoc eum loco dignantur, qui eum tradunt interposuisse authoritatem, quo minus Berengarius, tum rex Italiæ, & Rodulphus Guidonis filius, bello inuicem decertarent. Sexto autem mense sui pontificatus moritur.

IOANNES eius nominis X. patria Romanus, pontificatum est adeptus multis 127
aduersationibus. Rauēnas erat archiepiscopus: inde deturbatur, fit vniuersalis Romanus: bene temporibus necessarius, quòd cum Alberico marchione Hetruriæ, Sarracenis eiiciendis laboraret. A militibus autem Guidonis capitur, dum se nimis immiscet temporali gladio. Ceruicali in os proiecto necatur, anno pontificatus decimotertio. *Cuius tamen iuris habere sertur.*

LEO VI. patria Romanus, componendis ciuibus, per tempora prædecessorū 128
tumultuantibus, laborem impendit. Italiam pacauit, vt potuit: hostes exteros exclusit. Et omnia in melius reformans, dum maiora molitur, ê vita subtrahitur, mense pontificatus sui septimo. Mirum de menstruis pontificibus: non carent tempora veneni suspicione. *Papatus philtrum.*

STEPHANVS VII. natione Romanus, pontificatum iniit, dum Vngari & I- 129
taliæ & Germaniæ graues imminerent. Ipse autem dum Italiæ prospicit, dum vrbē Romam componit, maiora meditatus, vitæ cursu subtrahitur. nam anno pontificatus sui secundo, vitam cum morte commutauit.

IOANNES XI. natione Romanus, pontificatum administrauit eo tempore, 130
quum Genuę fons sanguinis effluxit, prænonstrās vastitatē, quam erant Sarraceni facturi. Vngari quoq; Italiam ingressi, latè omnia populati sunt, vt mōstris fieret fides. Ioannes autem pontificatus sui anno IIII. moriens, successori locum fecit. *Fons sanguinis fluxit.*

LEO VII. patria Romanus, eo tempore gessit pontificatū, quum Hugo & Ro- 131
dolphus ex Galliis acciti, gubernarent eam quæ dicitur Lombardia, prouinciam. Leo autem quum suæ studeret quieti, nullis se rebus implicuit. Pontificatum egit in annum vsque tertium: quo moriens, locum cessit se viuaciori.

STEPHANVS VIII. natione Germanus, pontifex creatur, mirum quomodo 132
sinentibus Romanis: præsertim quum nullus ex Germania Imperator vrgeret. Sed Romani virum bonum adeo contumeliis affecerant, & pudendis in frōte vulneribus, vt publico abstineret: & facilè appareret, illum inuitis dominis Romanis in sede esse Petri. Moriturq́; pontificatus sui anno tertio, mense quarto. *Papatus Germano vix potest.*

133 MARTINVS III. patria Romanus, pontificatum adeptus, post multos respexit germanitus ad officium publicum quod gerebat. Templa instaurauit, pauperes aluit, pietatem coluit, mores reparauit: & forensibus omissis, cuius in terris vices gereret, diligenter est intuitus. Sed bonus pontifex diuturnus esse nō potuit: nam tertio anno sui pontificatus, sexto mense defecit.

*Quibus abstinere papa debeat.*

134 AGAPETVS II. natione & ipse Romanus, pontificatum gerebat in diebus vltimi Berengarii. Quem quum cerneret intractabilem, & ad solam tyrannidē insolenter agere, vocauit Ottonem primum, Germaniæ & Romanorum rēgē. Qui dum conflictaretur Berengario, Agapetus in annum vsq; nonum cum summa laude pontificatum gessit, in pace concludens.

135 IOANNES XII. Alberici potentis Romani filius, papatum occupat. In eo seculariter viuit, venationibus & libidini seruiens. Romani iam formam veteris reipublicæ renouasse videbantur. Erant consules, & decarchones. Sed Ioannes vbi nihil modestius agit, duo cardinales literis accersunt Ottonem: malè mulctantur ab Ioanne, vbi innotuit. Venientem Ottonem non expectauit: sed abiens in auia, occiditur in adulterio, anno nono.

*Cardinales papam abdicandum curant.*

136 LEO VIII. ciuis Romanus, & Lateranensis protoscriniarius, depositō à patribus Ioanne, creatur pontifex in locum eius. Sed non sunt passi Romani, qui abeunte Imperatore Benedictum surrogarunt. Reuersus Imperator, adegit Romanos Leonem reponere, Benedictum dedere. Itaq; peregit in pontificatu Leo annum vnum, menses quinque. Eius literæ antiquitatis indices, sunt in nostra Saxonia.

137 BENEDICTVS V. natione Romanus, declinante cum exercitu Imperatore, deturbato Leone, ab amicis Ioannis pontifex creatur. Non est passus Otto legitimi pōtificis Leonis iniuriam. Exercitu vrbi admoto, adegit Romanos ciues multis incommodis, Benedictum dedere, Leonem restituere. Benedictum cum Adaldago cancellario suo, archiepiscopo Hamburgensi, misit exulatum in Hamburgū. Ibique dolore animi moriens, sepelitur.

138 IOANNES XIII. patria Romanus, Narnienſis episcopus, pontifex creatur: Sed Romanorum suorum inuidiam superare non potuit. Iofredus Campaniç princeps, Romam accersitus, cum capit: includit arci Sancti angeli, abducit in suā prouinciam. Occiditur Iofredus, papa restituitur. Otto vbi audiuit, parabat vindictā. Ioannes autem sexto pontificatus sui anno pene expleto, dormiuit in pace.

139 BENEDICTVS VI. patria Romanus, vbi insolescentium ciuium voluntatibus refragatur, capitur à Cincio potēti Romano, & in arcem Hadriani recluditur: néve ex Germania euocaret Imperatorem, ibidē strangulatur, vel (vt alii scribunt) fame moritur. Ita virtus emicuit pestilentium Romanorum, hominum qui à vera nobilitate nimium degenerauerant. Anno secundo sui pontificatus moritur.

*Cincius papæ inimicissimus.*

140 DONVS, patria Romanus, vir per omnia modestus, qui ciuium voluntatibus non adeo refragatus, pacem temporū habuit. Ecclesiastica administrauit mediocriter, neq; laudem magnam, neq; reprehensionem meritus. Quietè transiuit tempora sua, ad annum pontificatus sui non expletum, moritur.

141 BONIFACIVS VII. cuius ignoratur patria, malis artibus adeptus pontificatum, cùm non modestiùs ageret in eo, quàm consendisset, exturbatur. Preciosa quæq; abduxit, & pecunia suffarctus rediit: corrupit quos viderat sibi profuturos. Ioannem diaconum sibi obsistentem exoculauit: mense septimo bestia periit.

*Vulpes, leo, taurus.*

142 BENEDICTVS VII. patria Romanus, pontifex creatur. Rhemis celebrata Synodo, Gilbertum damnari curauit, hæresimq; extinxit. Ottonis iam senescentis annuens votis, Ottonem filium cum Theophania coniuge Imperatorem consecrauit, & coronauit, peruenitq; ad octauum sui pontificatus annum.

143 IOANNES XIIII. pontifex creatur ex Romanis: sed breui captus, in Hadriani molem clauditur. Sua id culpa acciderit, an Romanorum insolentia, non satis aperiunt scriptores. Potuit vtrunque esse in causa. Verùm ibi inedia moritur, mense octauo initi pontificatus.

144 IOANNES XV. patria & ipse Romanus, hoc habet testimonium, quòd amore cognationis suæ oblitus sit religionis: nam nepotibus, consobrinis & proximis omnia,

omnia, religioni & merito nihil deferebat. Vnde visus odisse clerum, ab eo non amabatur. Nostrorum temporum mala. Octauo mense defecit. *Suos plusquã Christum amauit.*

IOANNES XVI. & ipse Romanus, vir pōtificatu dignus, restitit Romanis insolescentibus. Crescentius autem Romanus quū omnia in se traheret, coegit pontificem cedere in Hetruriam. Verùm timens quòd Ottonem tertium accerseret, misit amicos oratum vt rediret: venientemq; veneratur. Perduxit autem pontificatum ad annum vsq; decimum. 145

GREGORIVS V. German⁹ origine, Saxo regione, de sanguine Ottonis tertii, in gratiam eius pontifex creatur. Sed Crescentius non destitit augere potentiam: cessit pontifex in Hetruriam, inde in Germaniam. Interim Crescentius muniuit arcem Hadriani, visus Germanorum viribus resistere. Venit cum exercitu Imperator: Crescentium & Antipapam capit, & occidit. Gregorium reponit. Sed nō diu supererant, curantibus magistris Romanis: Nam & Otto III. veneno tum periit, anno secundo Gregorius cessit. 146

IOANNES XVII. is est natione Græcus: quem in locum cedentis Gregorii Crescentius intrusit, doctum quidem senem, & diuitem hominem, Placentinum episcopum: sed ambitione cæcum, qui se pateretur in locum legitimi pontificis intrudi. Vnde male periit cum suo Crescentio, decimo mense sui pontificatus. 147

SYLVESTER II. natione Gallicus, malis (vt ferunt) diaboli artibus conscendit vt esset primùm Rhemensis, deinde Rauennas archiepiscopus, demum papa. A diabolo animatus, tam se diu victurum, quoad Hierusalem contingeret, non cogitauit de capella in Lateranensi. Ibi celebrans infirmatur ad mortem: moriturus, signa magna dat pœnitentiæ: iubet se dimembrari, & proiici canibus. Spem aiunt factam salutis: alii fabulam contemnunt, quod & ego. Ad annum secundum peruenit. 148 *Papa à diabolo sophistica circumuentus.*

IOANNES XVIII. cuius ignoratur patria: quia parum præfuit, parum de illo scribitur: nam viuendo vix attigit mensem quintum. Quo tamen omni tempore visa sunt prodigia multa, temporum mutationem præsagientia: cometes, & terræmotus varii. 149

IOANNES XIX. & ipse Romanus, quum pontificatum iniisset, vsus modestia, paucis se rebus implicuit, memor quibus se priores pontifices difficultatibus implicuissent. Si ad pietatem omnia conuertit, bene habet: si non, suis commodis & quieti temporum, ad solam voluptatem indulsit. Anno quarto mortitur. 150

SERGIVS, eius nominis IIII. & ipse Romanus, pontificatum adiit, dum Saraceni in Sicilia dominarentur, & in Italia pedem infigerent. Sed Sergius omni quo potuit conatu, nobilitatem Italiæ monuit ac stimulauit, vt gentem eiicerent: & perfecit, vt Normanni ibi potissimùm laborarent. Anno secundo pontificatus defecit. 151

BENEDICTVS VIII. patria Tusculanus, papatum iniit, & Henricum Baua rum per electionem primum assumptum, corona donauit: quo mortuo, ab æmulis pellitur, & alius surrogatur. Tamen postea cum æmulis compositus restituitur. Ad annum vndecimum peruenit. Hunc scribit Petrus Damianus, visum episcopo sedentem in atro iumento, & eleemosynas pro se dari mandantem. Episcopus, omnibus omissis, religionem ingreditur. 152 *Horrendum de papæ mortuo visum.*

IOANNES XX. & ipse Romanus, creatur pontifex, quum Conradus secūdus imperaret: quem etiam corona donauit. Sed ab æmulis vexatus, illius patrocinio permansit in pontificatu, & perdurauit in annum vsq; vndecimum. Nam Conradus interminatus est Romanis, si se aduersus pontificem commouissent. 153

BENEDICTVS, eius nominis IX. patria Tusculanus, papa creatur: quē Romani præ ignauia contempsere: detūrbatoq; eo, Ioannem Sabinum episcopum, Sylueſtrum III. vocantes, sufficiunt. Sed & ille displicuit, ac eiicitur, Benedicto reuocato. Sed quum videret eius rei discrimina sæpius subiturum se, Ioanni archidiacono sancti Ioannis ad portam Latinam (quem appellabant Gregorium VI.) papatum tradidit, si non vendidit. Harum rerum pertæsi Romani, deferunt Imperatori arbitrium de pontificatu. Annos decem durauit sub Benedicto ista variatio. 154 *Europus Romanus pontificatum.*

155 SYLVESTER, eius nominis III. in locum deturbati Benedicti, non legitimè, sed per tumultum creatus, quum esset antè Sabinensis episcopus: repositio Benedicto, & ipse deturbatur, non legitimè accepto pontificatu. Nam die quadragesimo nono ab assumpta, imò occupata dignitate, detruditur.

156 GREGORIVS VI. archidiaconus, siue (vt alii scribunt) archicanonicus, vir primarius, à Benedicto propinquo suo papatum nõ legitimè accepit. Ideo cunctis de papatu & tribus competitoribus malè sentientibus, Henricus tertius Imperator interpellatur. Benedictus non suffecit, Sylvester non eligitur, Gregorius male comparauit: omnes destituuntur.

157 CLEMENS II. natione Germanus, antea Sindigerus, Bambergensis episcopus, cum Henrico Imperatore inter multos Romam petens, papa creatur: præfuitque papatui in annum secundum. Ab eo Henricus titulis Imperatoris & Augusti decoratur. Veneno petitum aiunt periisse, arte magistra Italicorum. Quomodo enim ferrent Germanum papam, qui Romanum non ferebant?

158 DAMASVS II. natione Bauarus, surrogatur, antea Fridericus dictus, præcessoris sui cancellarius. Alii Stephanum dicunt vocitatum, qui etiam dominum sum, ambitione accensus, veneno petierit. Sed credo infamiam à magistris impositam innoxio, quo à se deriuarent. Nam & is breui tempore mansit in pontificatu, mense vno.

*Venefitia vbi crebra.*

159 LEO IX. natione Alemannus, Tullensis episcopus, quum arbitrium de papatu Romani ad Imperatorem Henricum tertium coniecissent: nam potens quisque per ambitionem contenderat ad eam dignitatē. Inuidia ergo magis alterna, quam honore regio moti, deferebant Imperatori. Is circumspiciens, quum non esset in episcopis Germaniæ qui veneficis præfici vellet, homo simplex Bruno, Tullensis episcopus, mittitur, & pontifex consecratur. Peruenit ad annum quintum.

*Germani non emunt tanti pontifices.*

160 VICTOR II. antè Gebehardus dictus, natione Alemanus, episcopus Eistatensis (antea dicebatur Aureata) pontifex creatur ex sententia Henrici Imperatoris tertii: quum in eam rem Hildebrandus Romanus subdiaconus missus esset. Ille Synodum Florentiæ celebrauit: & in pontificatu non exegit annum secundum.

161 STEPHANVS IX. natione Lotharingus, Fridericus antè vocatus, curauit labem Simoniæ detergere, ecclesiam Mediolanensem superbiētem sub Romanam reuocare. Concilium indixit Florentiæ: sed priusquam conueniret ibidem, octauo mense defunctus, sepelitur.

162 BENEDICTVS X. natione Campanus, Feltrensis episcopus, Mintius antè vocatus: quum Romani tumultuarentur, pontificem ex sua gente poscentes, pontifex acclamatur, & clamore populari pro pontifice habetur. Cessere cardinales, cumque his Hillebrandus subdiaconus, cuius magna erat authoritas: & mensibus nouem permansit in præsumpta dignitate.

163 NICOLAVS II. natione Allobrox, episcopus Florentinus, Gerhardus antè vocatus, Senis (quum Romæ non liceret per tumultum) pontifex creatur. Fecit constitutionem de pontifice deligendo, quæ est in corpore Decretorum. Benedictum se cogit abdicare pontificatu: peruenit ad annum tertium.

164 ALEXANDER II. natione Mediolanensis, episcopus Lucensis, Anselmus antè vocatus, creatur pontifex. Cisalpini cum Henrico iuniore ius antiquum repetente, primum Cadolum Parmensem episcopum, fecere Romanum, & vsque Romam perduxere: sed quum multo labore Alexāder ius ecclesiæ tueretur, obtinuit. Quam rem plenius in Saxonia inter res Imperatorias egimus. Alexāder ad annum vndecimum peruenit pontificatus.

165 GREGORIVS VII. Hildebrandus antè vocatus, natione Hetruscus, quum multa pro Romanis pontificibus egisset, acclamante clero & populo Hildebrandum à beato Petro electum succedentem, magnis votis & concordibus eum designauere patres. Multus illi labor erat cum Henrico IIII. multiplex colluctatio: sed superauit veritas & iustitia: obtinuitq; pōtifex, vt ad annum decimum tertium peruenirent. Hic sistemus calamum, redeuntes ad pontifices nostros.

CAP. 2. QVVM Henricus IIII. in Imperio esset primis annis pueritiæ abusus, didicit quod

quod dediſcere non potuit, frena laxans libidini: quum per Imperium duo archiepiſcopi conſulatum tenerent ordinarium. Sed iam (vt diximus) deturbato Adalberto Bremenſi & Hamburgenſi archiepiſcopo, plus Anno Colonienſis archiepiſcopus rem adminiſtrabat, vir optimus, ex nobilitate Sueuiæ prima natus, cum fratre Weſſilo, quem alii vocant Wernerum. Hunc curauit, moriente Engelhardo, eccleſiæ metropolitanæ Magdeburgenſi præficere archiepiſcopum. Reſtitere fratres, qui iure ſuo electionem intentabant: prætendentes præpoſitum ſuum Fridericum, virum bonum, doctum, nobilem. Sed præualuit Annonis ſententia: ceſſere fratres, vt fuit neceſſe, viro potentiſſimo. Fridericus tamẽ præpoſitus (vt dicemus) ordinante eodem Annone, factus eſt epiſcopus Monaſterienſis. Genus amborum fratrum Annonis & Weſſili, ex comitibus de Sonnenberg. Reſponderat virtus nobilitati: & vterq; in ſua eccleſia digniſſimè rem adminiſtrauit: niſi quod Anno iam maiori fultus authoritate, etiam Romanum regebat ſub puero rege imperiũ. Weſſilus autem (ſiue Wernerum dicere mauis: vtrunq; enim nomen legitur in Annalibus) annis quatuordecim cum ſumma laude præfuit eccleſiæ ſuæ. Vidit tamẽ tur bationem in prouincialibus ſuis Wandalis, qui pro magna parte reciderunt in paganiſmum, cæſo Godſcalco viro Chriſtianiſſimo. Sed voluentibus ſeculis, quum rediret tempus miſerendi eorum, & ipſi reuerſi ſunt ad Chriſti religionem.

*Imperium à ſacerdotibus adminiſtratur.*

HALBERSTADENSI deinde eccleſiæ poſt Burchardum præficitur alius Burchardus, cognomento Buko, qui annis viginti octo præfuit eccleſię cum ſumma laude. His temporibus intantum efferbuit perſecutio Wandalorum, vt vicini Chriſtiani male ab illis haberentur. Non erant contenti fidem reiciſſe, niſi etiam in priſtinos dominos ſuos vindicaſſent Saxones. Nihil Ordulfus dux, nihil Magnꝰ filius eius, potuere in gentem efferueſcentem. Pugnauere aliquoties in eam: ſed cladem, non victoriam, reportauere. Crito erat dux in gente rebellionis princeps, ſanguinarius: qui Godſcalci alterum filium dolo perdidit, ab altero & ipſe in ſenectute, poſt multa tempora, interemptus: quod in Wandalia diximus. Vſqueadeo ſæuiit Crito in Sturmarios & Holſatos, vt quum ſe in eum armis tueri non poſſent, Holſati populariter egreſſi, ſedes nouas quæſierunt. Sexcentas ferunt domos emigraſſe, & in Harticis montibus (veteres dixere Hercyniam ſyluam) ſedes ſibi conſtituere. Sic præferunt Annales, quibus fidem abrogare non debemus. Cauſa erat Wandalorum intolerabilis ſæuitia, qui de vita & ſanguine certauerunt. Acceſſit Imperatoris pueritia, in qua nullum erat afflictis præſidium: præſertim Alberto archiepiſcopo ciecto (vt diximus) conſpiratione facta in ipſum à cæteris principibus. Ruſticam ego plebem facilius trãſlatam crediderim, quàm militares domos. Nam opes deſerere, & in deſerta loca proficiſci, facilius agri cultores, quàm terræ poſſeſſores, ſolent.

Cap. 3.

*Crito Wandalorũ dux, magnis cladibus Chriſtianos affecit.*

HILDESEMENSI eccleſiæ tum præerat Echilo, vir præcipuus, in diuina feruens religione: qui collegium ſanctæ Crucis intra vrbem fundauit, & foris in monte, collegium ſancti Mauricii: vbi fertur poſt decimum ſeptimum annum tumulatus. Godehardi quoq; temporibus monaſterium erat in eodem monte: nam ibi legitur infirmatus decubuiſſe, & occubuiſſe, ſub manibus nepotis ſui ex ſorore, qui erat tum loci abbas. Memoria huius pontificis eſt in grandi illa corona, quæ viſitur in eccleſia Hildeſemenſi. Eodem tempore, hoc eſt MLXVII. Albertus zelo (vt aiunt) Colonienſis à curia proturbatus, Bremæ ſedit priuatus, ſolitarius & quietus. Quum nihil reſiduum haberet, fertur de rapinis pauperum vir tantus victitaſſe, ex bonis ſanctarum congregationum. Toto autem ſeptennio, quo ſuperuixit archiepiſcopus, ex illo famoſo & opulento Bremenſis eccleſiæ hoſpitali nulla prorſus data eſt eleemoſyna. Quod ex eo inhumanum & miſerabile videbatur: quoniam & tempus famis incubuit, & multi vbique pauperes inuenti ſunt in plateis mortui. Poſt triennium autem expulſionis ſuę, voti compos effectus, in priſtinum gradum curiæ reſtitutus eſt: moxque ſuccedentibus proſperis, ſummam rerum (quæ eſt vicedominatus) iam ſepties conſul promeruit. Deliberans verò iam tunc, cautè eſſe ambulandum erga principes, vt non eos (vt prius) offenderet, Colonienſi primùm pontifici reconciliari voluit, deinde cæteris, in quos ipſe, vel qui in ipſum peccaſ-

Cap. 4.

1067. *Colonienſis cæteris ſacerdotibus grauis.*

*Archiepiscop' malus doctus, sapit.*

se videbantur: Deinde remotis ecclesiæ suæ impedimentis (pro cuius exaltatione, tam in ambitu curiæ, quàm in profusione pecuniæ videbatur improbior) non fuit otiosus. Quo tempore Plisnam, Dusburg, Groningen & Suiticum acquisiuit. Wildeshusen præposituram Bremæ vicinam, propè in manibus habuit, & Rosenuelde Hamburg proximam. Disposuit verò archiepiscopatui suo duodecim subiicere episcopatus, quos ex sua diuideret parochia, præter eos suffraganeos, quos in Dania cæterisque gentibus Hamburgensis teneret ecclesia: ita vt primus esset in Palmis, secundus in Helginstad, tertius in Raceburg, quartus in Oldenburg, quintus in Mekelnburg, sextus in Stade, septimus in Lismona, octauus in Wildeshusen, nonus in Bremis, decimus in Verda, vndecimus in Ramsola, duodecimus in Frisia. Nam Verdensem episcopatum se facilè posse adipisci, non semel est gloriatus. Postremò autem in Hamburg iam apertè laborauit patriarchatum efficere: sed euanuit spes eius. Vt autem huius pontificis magnum animum intueamur, paulo abeamus retrorsum.

*Patriarchalis dignitatis vanum studium.*

CAP. 5. ANNO pontificatus sui octauo ac decimo, totius parochię diligentissimam ad-

*Albertus præsidium hostib. opponere cogitat.*

hibens prouisionem, metropolim Hamburgum in principio lætitiæ suæ collocauit, fœcundissimam matrem gentium illam appellans, omniq; deuotionis officio venerandam protestatus: tanto ei maiorem deberi consolationem, quanto maiori ac crebriori plaga, maioribus insidiis, ac diuturna paganorum incursione cribraretur. Ergo accepta pace temporum, dum sæpe meditatus est Hamburgensem munire simul & ornare toparchiam, quoddam vtile excogitauit cõtra barbaricos incursus opus, in quo & populus & ecclesia Transalbianorum perenne haberet præsidium. Igitur quum prouincia Sturmariorum, in qua Hamburgũ situatur, tota in planitiem campi descendat: ex parte qua Wandalos attingit, neq; mons neque fluuius intercipit, vnde sit incolis pręsidium, absq; syluis pastim occurrentibus, quarũ latebris protecti, incertis aliquando incursibus repentini superueniunt, nostrosq; securos & nihil mali suspicantes vel perimunt, vel (quod morte est grauius) captiuos abducunt: solus in ea regione mons prominet iuxta Albim fluuium, longo in occasum dorso protensus (quem incolæ Sullenberg vocant) inter villas Nigenstede & Blankenesso. Quem pontifex opportunum arbitratus, vt in eo firmaretur castellum, quod genti foret præsidio: statim syluam, quæ montis verticẽ obtigit, excidi, mundariq; locum præcipit: ita q; multis impensis, multoq; hominum sudore voti compos effectus, montem asperum fecit habitabilem. Vbi præposituram consti-

*Locus præsidio destinat', latronibus receptum præbet*

tuens, congregationem decreuit facere Deo seruientium: ibiq; locauit caput sancti Secundi, Thebæorum ducis: cuius patrocinia Metropolitanus in Italia largien te quondã Taurinensi episcopo, susceperat. Sed hæc institutio frustrata est: quia conuersus est locus in speluncam latronũ. Ex illo enim quasi præsidio quidã ex nostris, populares, quibus tuendis fuerunt collocati, deprædari ac persequi cœperunt. Idcoq; postea locus ille concursu & tumultu comprouincialiũ est destructus: populus verò Nordalbingorum exinde per archiepiscopum excõmunicatus. Comper-

*Archiepiscop' ecthurium quendam in diuino cultu magnificum adhibet.*

tum est, in gratiam ducis esse factam demolitionem, qui de suo more felicib. ecclesiæ actis inuidebat. Nam idem dux eodẽ tempore relicto veteri castello Hammaburg, nouum quoddam præsidium sibi suisq; fundauit, atq; firmauit iuxta Albim fluuium, & lacum qui Alstria vocatur. Ita nunc vt cordibus, ita & mansionibus disparatis, dux nouum, archiepiscopus coluit vetus oppidum. Diligebat sanè pontifex eum locum, sicut omnes prędecessores sui, eo quòd metropolis sedes omnium septentrionalium fuerit nationum, & caput totius, quàm lata est, parochia. Ideoq; durante pace trans Albim, omnes fere solennitates Paschæ ac Pentecostes, itemq; Dei matris, ibi celebrauit, collecto ex singulis congregationibus maximo cleri numero, præcipuè iis, qui vocalitate sua mulcere poterant populos. Et tunc plenario gaudens ministrorum ordine, omnia diuinę seruitutis officia cum magna iussit reuerentia compleri. Cui nimirum gloriæ tantum hic pontifex indulsit, vt non iam Latino more ecclesiastica vellet obire ministeria: sed nescio qua Græcorum consuetudine per tres missas, quibus adstitit, vbicunque esset, duodecim modulari præcepit officia: omnia magna quærens, omnia mirabilia, omnia gloriosa diuinis

&

& humanis in rebus. Et ideo dicitur fumo delectatus aromatum, & fulguratione luminum, & tonitruis altè boantium vocum: quæ omnia traxit à lectione veteris Testamenti, vbi maiestas Domini scribitur apparuisse in monte Sinai. Et alia multa facere solebat rara modernis, præsertim ignorantibus scripturas, quum tamen sine scripturarum authoritate ille nihil faceret. Iam tunc scilicet meditatus, ecclesiam suam diuitiis & honore cæteris anteferre, si Papam & Imperatorē suæ voluntatis morigeros inueniret. Eos igitur sibi omnibus modis complacare laborabat.

GOSLARIAM Saxoniæ vrbem, tertius Henricus fertur amplificasse: quam primus eius nominis, magnipater Ottonis, vrbium amator, in formam ciuitatis erexit: pater huius Henrici tertii prouexit: sed iste tertius Henricus, ingentibus vsus regni opibus, magnum in modum illustrauit. In qua cōstruens sibi palatium, duas omnipotenti Deo congregationes instituit: vnam ex his donans regendam tenendamq; nostro pontifici, eo quòd illi indiuiduus comes & cooperator assisteret ad omnia. Sed quum postea, rege puero, zelo (vt ferunt) archiepiscopi Colonienſis eiectus è curia (quod diximus) delituisset in summa patientia, sæpe cum fletu asseruit, omnes prædecessores suos in persecutione ducum, & malitia parochianorū, velut in igne recoctos. Non diffidit, se quoq; pro veritate ab eisdem pio martyrio coronandum. Sed inopia sedentis tunc in ocio episcopi, multa suorum scelera dissimulare coēgit, vt pene de rapinis viueret, quādo nihil illi reliquum fecit aut propria largitio, aut ducum vastatio. Interea tertio expulsionis suæ anno voti compos effectus, in pristinum gradum curiq; sub puero rege Henrico quarto, est restitutus: moxq; succedentibus sibi prosperis, summam rerum (qui est vicedominatus) iam septies consul promeruit: nactus dignitatem, in qua animi magnitudinem posset ostendere. Iam tunc cautè esse ambulandum apud principes secum constituit, admonitus periculo pristino. Quapropter Colonienſi archiepiscopo primùm recon ciliari, deinde cæteris, in quos ipse, vel potius qui in illū peccasse videbantur. Deinde remotis ecclesiæ suæ impedimentis (pro cuius exaltatione, tam in ambitu curiæ, quàm in profusione pecuniæ videri poterat improbior) non fuit ocioſus. Accessit ad gloriam præsulis, quòd in anno sui consulatus famatum illud colloquium (diætam nostri vocant) Cæsaris Henrici quarti cum rege Danorum, celebratū est. Zireno is erat, ad contumeliam vsque perueniens in Luneborg (arcem dico: nam oppidum necdum erat ea tempestate) vbi sub obtentu fœderis, contra Saxones Imperatori sunt arma promissa. Eodem anno restincta est illa conspiratio prima in regem facta, in qua dux Otto Bauaria pulsus, Saxo genere, & Magnus dux Saxoniæ, diu conflictati, deuastata per vniuersum annum Saxonia, tandem consilio archiepiscopi, vt in potestatem se regis cōstitueret: quum repeteret Otto Ottonum prouinciam, Magnus defenderet quod à patribus accepisset. Rex ducatum Bauariæ, qui fuit Ottonis (descendit enim ex Henrico fratre magni Ottonis) dedit Welpo duci, qui auus erat Henrici Leonis: & archiepiscopus noster bona ecclesiæ recepit, quæ antea Magnus occupasset. Sed ad finem vitæ vergens Albertus, talibus implicatus melancholiæ cogitatibus, quòd ecclesiæ cætera bona recuperare non posset, vt pene mente alienatus consp̄iceretur: fecit; ea quæ in aliis sæpe culpauerat, detrahere hospitalibus, dare adulantibus, suos pugno cædere, & multa præterea, quæ germanus eius, Palatinus comes Fridericus, de longinquo aduenies, in eo redarguerat: sed frustra. Laborabat quadā ex parte infamia (sed immeritus) q; magicis insetuiret: quum reuera velut dæmones execraretur magicos. Multa tamen signa dabat propinquæ mortis. Hoc phytonissa nunciauit, hoc medici prędicabāt: sed ille auscultabat assentatoribus, qui promisere vitam illi diuturnam, donec poneret inimicos suos scabellum pedum suorum. Sed ea spes vana fuit.

CAP. 6.

*Goslaria ornatior redditur.*

*Archiepiscop⁸ exul ad summam inopiā redactus.*

*Hæc iam exstant cap. 4.*

*Archiepiscop⁹ inclinante ætate multa facit improbanda.*

MAGDEBVRGENSI ecclesiæ post Engelhardū præficitur Wernerus, quē alii scribunt Wessilum, siue Wessilonem: germanus hic erat frater Annonis archiepiscopi Colonienſis, vt diximus. Huius autem tempora incidernnt in statum Saxoniæ luctuosum. Nam primò deturbatus à rege Bauaria dux Otto, Magnum Saxoniæ ducem, de Ottonum successione in Saxonia, fatigabat, ferens se à fratre Magni Ottonis originem ducere: & ideo Saxoniæ possessione & iure dominii non

CAP. 7.

*De Saxoniæ ducatu contentio acerrima.*

alienum, quum è diuerso defenderet Magnus successionem. Sed rex Henricus inter eos rem diremit, adiudicans Ottoni partes Saxoniæ ad Visurgum: quæ postea petitione ducum appellata est Gottingensis. Alia quoq; calamitas incidit temporibus Wessilonis archiepiscopi. Nam Henricus rex quum in Goslaria crebrius cõmaneret, Saxonibus iugum tributorum ingraueſcebat: illi non ferentes, regi se opposuere. In quibus tum præfuere Magnus dux Saxonię, Otto dux de Visurgo, olim Bauariæ, Wessilo Magdeburgensis archiepiscopus, & Bucko Halberstadẽsis. Con-

*Saxones perfidia decepti, postea prælorum cunt.*

greſſuri prælio, placantur Saxones vt conquieſcerent. Quum illi fiderent treugis, rex imminebat imparatis, & oppreſſit: multi cecidere, nonnulli capti sunt. Sed Rodulpho Sueuo captiosa res displicuit: effecitq; vt laxarentur captiui. Iterum congrediuntur, & superant Saxones. Tertiò quoq; vincunt prælio. tum subuerterunt arcem Hatesburg, quam libertati Saxonum videbatur rex imposuisse. Breuius ista percurro temporum annotatione, quòd plenius in Saxonia nostra sint explicata. Rex tamen non quieuit aduersus Saxones, sæpe victus, reparat vires. Nouissimo autem prælio rex factus superior, adeo tamen sensit vires imminutas, vt Saxones denuo non adoriretur. Sed vno horum prælio concidit Wessilo archiepiscopus Magdeburgensis, ordine octauus, postquam annis quatuordecim præfuisset ecclesiæ. Impletum est verbum Christi, *Qui gladio pugnat, gladio peribit.*

CAP. 8. MIMIGARDEVORDENSI deinde ecclesiæ (quæ circa hæc tempora nomen mutauit, vt Monasterienſis, vocaretur) præficitur Fridericus, vir nobilis, frater marchionis Misnensis, præpositus fratrum in ecclesia Magdeburgensi. Quem fratres legitima electione sufficere nitebantur Engelhardo, & præficere ecclesiæ

*In pontificis electione gratia contra ius valet.*

Magdeburgensis archiepiscopatui. Sed præualuit ius regium, & voluntas Henrici quarti, per authoritatẽ Annonis Colonensis archiepiscopi: cuius germanus Wessilo præferebatur Friderico, nobilis nobili, nescio an bonus meliori. Hoc scio, si ius valuisset liberæ electionis, Fridericus Wessiloni erat anteferendus. Sed Fridericus ibi præteritus, regia ordinatione ad ecclesiam peruenit Monasterienſem: quã laudabiliter gubernauit, amplissimè dotauit. Locuples enim fuit, & ecclesiam sancti Mauricii extra muros vrbis exædificauit, fratribus impleuit, stipendia procurauit: & perpetuum sui nominis monumẽtum ibi reliquit, sepultus in eadem, postquam

*Saxonia in sui exitium ruit.*

multis multa cum laude illi præfuisset annis. Nõ sensit ille tumultum Saxoniæ, sub Henrico quarto se miserabiliter lacerantis: quum primum mutuas in se vires vertissent: deinde cum Henrico rege congressi, alternas vires attenuassent. Exclusi Visurgo pontifices, alienos se fecerant à cæteris Saxonibus: nomen etiam suum ab aliis deflectentes, vt Westphali quam Saxones dici mallent. Inualuitq; adeo illa consuetudo, vt quum Transwiserani ament appellari Westphali, ad differentiam Ostphalorum, qui Wiseram transissent, nunc summam ducant iniuriam, si quis illos Saxones vocitet: quum nihil sit erubescendum in hoc nõmine: imò etiam multa insunt, de quibus cum gloria iactitarent, si saperent. Videlicet modestiores & mansuetiores, moribusq; tractabiliores sunt Westphali, & haberi volunt, cæteris: ad ser-

*Saxonum nomen multa ruboris.*

uiendum, dum egent, infatigabiles: ad imperandum, dum surgunt, intolerabiles. Hoc illis testimonium debet Saxonia, pro contemptu sui nominis.

CAP. 9. INTEREA Albertus, archiepiscopus Hamburgensis, in summa rerum gloria positus, licet crebra corporis molestia pulsaretur, negociis tamen publicis deesse noluit, à Rheno ad Danubium, indeq; cum rege portatus in lectica. Aiũt quidam, regia sponsione expromissum esse, vt proxima solennitate paschali conuentum apud Traiectum Rheni principibus indiceret: ibiq; confirmarentur omnia, quæ de Laureſſa & Corbeia, & cæteris desiderauit anima eius. Alii autem aiunt, archiepiscopum callidis à rege dilationibus protractum esse, quo scilicet Laureſſam dimit-

*Aut nihil aut Cæsar.*

tens, vbicunq; mallet, bis tantum in regno reciperet suæ ecclesiæ donandum. Verùm ille pertinax inhæsit, dum nil aliud velle respondit. Tandem frustrato nisu decidens, vnà & vitam & Laureſſam cum cæteris ecclesiæ bonis perdidit. Siquidem mores viri licet semper à communi mortalium habitudine dissentirent, circa terminum verò inhumani intolerabilesq;, & alieni à semetipso videbantur: maximè à die depulsionis suæ, siue deuastationis parochiæ. Post illam, inquam, diem,

pudore

pudore doloreq; maiori quàm sapiẽtem virum decuit, permotus, quia recuperandi bona ecclesiæ consilium non inuenit, ex nimia solicitudine impos mentis effectus est. Porro quæ per eum deinde gerebantur, alicuius errantis vel desipientis vi debantur. sicut est illud, quia noctem integrã vigilando, diemq; transegit dormiendo: illudq;, quòd à veritate auditum auertens, ad fabulas & somnia est conuersus. Sed & illud, quòd eleemosynarum oblitus in pauperes, omnia quæ habere potuit, dispersit in diuites, præcipuè adulatores: & quòd dispersis bonis ecclesię, quum nil haberet residui, de rapinis miserorum vixit, & legitimis sanctarum congregationum: & quòd de præpositura villicationem, & de hospitali præposituram fecit. Illud etiam, quòd facilius solito prouocatus ad iram, aliquos manu percussit, vsq; ad sanguinis effusionem: multos etiam ignominiosis exasperans verbis, non minus se quàm illos inhonorauit. Talis ille circa finem à se totus alteratus, & pristina virtute pessundatus, quid vellet aut nollet, nec sibi nec vlli suorum poterat satis esse notum. Cæterùm talis erat eloquentia eius vsque in finem, vt si eum audires concionantem, tibi facilè persuaderetur, omnia per illum plena ratione magnaq; authoritate fieri. Insignis autem vir, germanus eius, comes Palatinus Fridericus, audita fama declinationis tanti viri, ad corripiendum fratrem vsque Lismonam peruenit. Sed frustra commonens eum de iis, quæ honorem eius attingerent, vel salutem, dolens abscessit, Nothebaldum (qui erat vir maleficus, adulator & mendax a-pertissimus) suosq; pares accusans: qui suis maleficiis illustrem virum circumuenerint, suisq; dementem reddiderint consiliis: Pontifex autem eo tempore ad tantam peruenit infamiam, vt magicis inseruisse videretur artibus. In principio autem introitus sui vnum dixit verbum, quod vtinam non dixisset, Omnes scilicet episcopos, qui ante eum præsederunt, obscuros fuisse atque ignobiles: solum se generis ac diuitiarum titulis excellere, quippe qui esset comitis Bauariæ filius: porro dignum, qui maiorem sortiretur cathedram, vel ipsam sedem Apostolicam. Talia non semel iactantem visio magna perterruit. Vidit igitur nocte intempesta, se in conuentum ecclesiæ raptum, vbi missarum solennia essent celebranda, adstantibus quindecim suis ex ordine prædecessoribus, ita vt proximus qui ante eum fuit, Alebrandus (quem nouerat) perageret missarum solennia. Quumque lecto euangelio, sacerdos ad suscipienda offerentium munera, conuersus venisset ad Albertum, qui stabat in vltimo chori loco, mox toruis eum luminibus intuens, oblationem eius repulit, dicens, Tu homo nobilis & clarus, non potes habere partem cum humilibus: & absceſſit in hæc verba. Sanè ex illa hora pœnitens super iis quæ incautè protulit verbis, omnes prædecessores suos ingenti veneratione habuit: seque multis gemitibus testabatur indignum sanctorum consortio virorum. Vnde etiam mox statuit, per singulos anteceſſorum suorum anniuersarios, de curte Bramstede conuiuia dari fratribus plenissima atque pauperibus. Nam & alia multa pœnitentiæ signa reliquit: sicut est illud, quòd post diem vastationis siue expulsionis suæ, nunquam balneis vsus est, nunquam hilaris visus: rarò processit in publicum, vel ad conuiuium, nisi ad curiam isset, aut diei festi necessitas popoſciſſet. Multoties etiam amarissimè fleuit, si quãdo vastationis ecclesiæ recordatus est; siue quum ipsos vastatores conspexit. In die itaq; Natalis Domini, quum dux Magnus præsens adesset, magnaq; recumbentium multitudo: hilares conuiuæ, finitis epulis plausum cum voce leuauerunt: quod tamen non parum displicuit archiepiscopo. Itaq; innuens fratribus, qui simul aderant, præcepit cantori, vt imponeret antiphonam, *Hymnum cantate nobis.* At verò laicis denuo perstrepentibus, inchoari fecit, *Sustinuimus pacem, & non venit.* Tertiò verò, quum adhuc in poculis vlularent, iratus valdè, leuari præcepit mensam, magna voce pronuncians, *Conuerte Domine captiuitatem nostram:* respondentibus fratribus, *Sicut torrens in austro.* Ita fugiens in oratorium, sequentibus reclusis, fleuit amarè.

*Archiepiscop⁹ inuersam vi-uendi rationẽ vsurpat.*

*Mira mentis vertigo, oratione interim sanitatis speciem præferens.*

*Vir iactabundus horrendo visu terretur.*

*Ebriorum inconsiderantia eum non potè cohercuit.*

HÆC & alia in eo compunctionis lamenta videbantur, adeo vt monachatum inire aliquoties desiderauerit, aut in ministerio legationis suæ in Wandalia, vel in Suedia, siue in Islandia mori optauerit, aut per sanguinem pro Christo immolari. Tandem sæua morum perturbatione infractus, quum simul fortunæ exterioris

CAP. 10.

*Archiepiscop⁹ doloris magnitudine frangitur.*

quateretur aduersis, etiam corpore sæpe debilitari: dumq; medicorum auxilio stu
duit valetudinem corporis recuperare, in grauiorem mox recidit infirmitatem.
Quo etiam tempore ad curiam rediens, graui casu iumenti subłabentis atteritur.
Tunc ergo compunctus fleuit amarè: correctionemq; suæ vitæ Deo promittēs, ſta
tim conualuit: totumq; superuiuens triennium, multa compleuit: non tamen om-
nia quæ promisit. Ex eo nimirum balneis (quæ fere quotidie sueuit habere) sale re-
coctis abstinuit, & reliquis multis, quæ grauia esse populo persensit. Quo tempore
superuenit quædam mulier, habens spiritum Phytonis. Hæc voce publica dixit o-
mnibus, eelerem archiepiscopi transitum affore intra biennium, nisi fortè conuer
teretur: hoc & medici testati sunt. Erant autem cum pontifice Nothebaldus & alii
*Prodigia mor tuo imminentia.* pseudoprophetæ, vaticinantes illum tam diu victurum, donec omnibus inimicis
suis imperaret: quibus maior tum fides fuit. Visæ sunt eo tempore apud Bremā cru
ces sudasse lachrymis, porci canesque ecclesiam violasse: quod in religionem ver-
sum est. Nam vix poterant ab altaris crepidine repelli. Visi sunt & lupi in suburba-
nis gregatim vlulantes, horribiliq; iurgio certasse cum bubonibus. Hæc ab omni-
bus sinistra iudicabātur in episcopum respicere. Decimaquarta ergo die ante obi-
tum suum Goslariæ positus, ex cōsuetudine suæ nec potionibus, nec phlebotomiis
contineri voluit. Quare grauissimo dysenteriæ morbo correptus, & vsq; ad ossa at-
tenuatus, suæ adhuc immemor salutis, reipublicæ negocia vsque ad extremam sui
transitus tractauit horam. Aderat ibi Magdeburgensis episcopus Wessselus, & alii
fratres, petentes vt admitterentur, quos tamen ipse excludi præcepit à ianuis, di-
*Non potest se ad mortem tempus componere* cens, Se præ immunditia infirmitatis indignum, vt ab aliquo videretur. Soli enim
regi concedebatur aditus ægrum visitandi, quem dilexit etiam vsq; in finem. Illum
ergo suæ fidei admonens, & diuturni seruitii, multa instantia commendauit illi ec-
clesiam suam. Adamatus quidam medicus Salernitanus, ante triduum mandauit
archiepiscopo obitus sui diem proximum adesse: quod ille dissimulans, Nothebal
dum solum præ oculis habuit, qui spopondit ei mutationis suæ horam cito affutu-
ram: quod idem carnifex verum dixit.

CAP. II. 1072. ANNVS erat post mille septuagesimus secundus, quū adhuc Albertus archie
piscopus de præsenti vita speraret. Nouit cognitor secretorum Deus, si melior fue
rit in conspectu Dei, quàm coram hominibus apparuerit: homo namq; vidit in fa-
cie, Deus in corde. Ferunt eum ante obitus sui diem tertium decubuisse, ita vt à le-
cto surgere non posset. Nam tanta viro fuit animi magnitudo, vt in grauissima cor-
poris infirmitate nunquam ab aliquo vellet sustētari, nunquam emitteret vocem
doloris: cumq; iacens in extremis, horam vocationis suæ iam sciret imminere, cre
bris iterauit suspiriis. Heu me, inquit, infelicem & miserum, qui tantas largitiones
in vanum effudi! Potuissem esse beatus, si in vsus pauperum ea conuertissem, quæ
pro seculi gloria me distraxisse nunc nimium doleo. Nunc autē illum adhibeo te-
stem, cuius oculus intuetur abyssi profunda, quòd intentio cordis mei tota fuit su-
per exaltatione ecclesiæ meæ. Quæ licet mea culpa exigēte, vel odio inimicorum
*Dixit q; nouissima verba.* superante, extenuata nimis videatur, sunt tamen amplius quàm duo millia mansi,
quos ex hæreditate mea, vel labore meo gratulor adiectos ecclesiæ. Quo sapientis
viri sermone cognosci potest, quòd etsi peccauerit in aliquibus vt homo, sæpe ta-
men, vt vir bonus, pœnituit de erratis. Die medio sextæ feriæ, quum adhuc de hac
vita speraret, cæteris ad epulas sedentibus, in agonia solus iacens clarissimus ponti
fex spiritum exhalauit, XVII. Cal. Aprilis, indictione decima, anno Alexandri Pa-
pæ vndecimo, Henrici regis IIII. decimoseptimo: qui est annus Christi MLXXII.
Præter libros, sanctorumq; reliquias, & vestimenta sacra, fere nihil inuentum est in
thesauris tanti viri. Quæ tum omnia rex accipiens, vnà cum præceptis ecclesiæ tu-
lit, etiam manum S. Iacobi Apostoli, quam dono Vitalis Venetiarū episcopi, ab Ita-
lia archiepiscopus rediēs, quondā secum deportauerat. Igitur corpus archiepisco-
pi magno totius regni stupore à Goslaria Bremam deportatū est x. demū die (quod
est in Annunciatione beatæ Mariæ virginis) sepultumq; est in medio chori nouæ,
quā ipse construxit, basilicę. Asserunt tamen quidam, q; quum ita solus iacuisset, de
omnib. gestorum suorum offendiculis amaram gesserit pœnitentiā, flens & eiulās,

dies

dies se suos perdidisse. Tunc demum cognouit, quam parua, imò quàm misera est nostri pulueris gloria: quia *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni.* Sepulcrum eius hodie visitur in ecclesia Bremensi, leuato ante chorum sarcophago, quum tamen antè illum sæpe rogasse ferant, vt sepeliretur in ecclesia metropoli Hamburgi, quam (sicut prædecessores sui) omni semper amore censuit esse colendam. Ibi nanque dum viueret, plerunque totam æstatem transigens, præcipuas (vt diximus) solennitates cum magna gloria celebrauit: ibi promotiones ecclesiasticorum ordinum legitimis temporibus, grauiprorsus reuerentia, sæpius ministrauit: ibi tempus & locum, quo à nostris ducibus, seu à proximis Wandalorum gentibus, & eorum principibus, siue à cæteris Arctoæ gentis legatis adiri posset, ex more constituit. tantum honorem destructæ & deuastatæ vrbi, tantumque honorem seruans exhaustæ matri, vt in illa diceret impletum scripturæ vaticinium, *Lætare sterilis quæ non paris, quia multi filij deserta magis quàm eius quæ habet virum.* *Nemo ciuis nouissima.*

SED eatum vrbs & calamitosa, & felix: bis illo quo mortuus est pontifex anno, à Wandalis euastatur: calamitosa proinde, quòd tam crebris barbarorum incursibus vexaretur, posita in signum, cui vastitas à sæuientibus Wandalis crebriùs inferretur. Sed felicem prædico, quæ, quum Christus in causa esset & odium Christianismi, sanctorum martyrum purpuratorum numero abundabat. Quid enim aliud in causa fuit, cur incurrerent infideles, nisi vt se de Christianis vindicarent? Quorum inextricabile odium induerant ex illo die, quo cæso ad aram Godscalco optimo principe, Christiani nominis acerrimo propagatore, & iuga fidei & tributorum onera pariter abiecerunt. Placati aliquando ab archiepiscopo quieuerunt, bene polliciti de suscipienda, imò recipienda fide, quam abiecerant. Sed quum odium ex leuissimis, aut fortè nullis causis recrudesceret, prima Hamburg imperum sensit. Nam attenuatis viribus, hostes excludere non potuit: magis in fuga aut patientia spem collocauit. Per Albim dilapsi nonnulli euaserant: alij ferro perempti, aut in captiuitatem abducti, preciosas animas Christo consecrabant. Durabat ea calamitas, quamdiu Wandali impacati, perfidiam in Christi fidem continuarũt. Boni interim pontifices in circuitu placauere gentem, & multos reduxere: sed populariter ad fidem non redierunt ad multa post hæc tempora. Quo etiam tempore Henricus rex Ottonem Bauariæ ducem, Bauaria ciectum, etiam in Saxonia insectatur: quòd Albertus archiepiscopus, qui sapientia sua rem sæpè diremerat, iam de medio sublatus erat. CAP. 12. *Hamburgi vastatio.* *Wandalorum implacabile in Christi nomen odium.*

HENRICVS interim 1111. rex, indomitus iuuenis, quum omnia sibi licere putaret, de ecclesiis & abbatiis ad nutum disponebat: memor quòd pater suus etiam Romanos pontifices rogatus dedisset. Misit in vrbem Romã solennes oratores, Annonem archiepiscopum Colonienscm, Hermannum Bambergensem episcopum, pro afferendis inde pecuniis Imperio, ab Romanis ciuibus tum cõstitutis. Mira rerum conuersio. Tum pensitabant Romani tributa nostris Imperatoribus: nunc aurum Germaniæ, non satisfacit vrbi Romæ. Sed iidem oratores attulere querimoniam super Imperatore, ab Alexandro Papa 111. quòd Simoniæ vitio non temperaret. Ea fuit rerum noua conuersio: nam tempore ex illo multi episcopi ac principes Henricum auersantur. Gauisi sunt Saxones, iamdudum infensi eidem regi ex causis memoratis, quòd tributo gentem grauaret, & Ottonem illustrem principem de genere Saxonum, ab Henrico magni Ottonis fratre descendentem, eiecisset Bauaria. Accessere simoniacæ labi in rege alia crimina, quòd contoralem suam non pro dignitate haberet. Ea quum literis & nunciis Romam perferrentur, Gregorius VII. qui iam tertio Alexandro successit, familiariter illi ex puero notus, regem denuo ad synodalia responsa & sedis Apostolicæ audientiam euocauit. Sed rex secundam & tertiam eius vocationem dissimulauit: quòd indignum haberet sedem Apostolicã agnoscere, quam pater eius pro arbitrio, quibus vellet, cõtulisset. Anno Colonienſis, Sifridus Moguntinus, Wessilo Magdeburgẽsis archiepiscopi, Bucko Halberstadẽsis, & omnes Saxoniæ principes, apostolicis mandatis cõtra regem subscripserunt: solus Bremensis iam recens CAP. 13. *Henricus IIII. multorum & animos multis de causis alienat.* *In papam si contumaciter prabet.*

ab illo promotus, fauebat regi. Sed Anno archiepiscopus plenus dierum, & sanctitatis operibus tunc decessit. Hermannus Bambergẽsis, qui pridem nuncius abibat Romam cum Annone, quum de Simoniaca eius assumptione compertum esset, Romæ deponitur: sed rex illi Ropertum quendam surrogauit, ita de episcopatibus, quasi suis de officiis, disponens.

CAP. 14. IN ecclesia tum Paderburnensi Imado successit Poppo, pridem Bambergensis præpositus: qui illi præfuit annis solis septem: qui hanc solam reliquit memoriam, quòd post incendium ciuitatis dedicauit monasterium apostolorum Petri & Pauli, cum ciuitate renouatum. Habitũ est tum apud Wormatiam solenne inter principes colloquium (diætam nostri vocant) præsente Henrico rege. In quo vniuersi penè Theutonici episcopi, præter Saxones, Gregorio Papæ subtraxere obedientiam. Sed tamen eodem anno colloquium maximum apud Oppenheim factum est: vbi pene totius regni principes, sed maximè Saxonum & Alemannorum (hoc est Sueuorum) subiectioni regis renunciauere: causam prętendentes, quòd à duobus summis pontificibus vocatus ad satisfactionem, non venisset: & pro hoc contemptu, sententiam excommunicationis in Romana synodo reportasset. Hac cõmotione rex coactus, humiliter Romam, vtpotè veniam à summo pontifice petiturus, inimicis suis hoc non sperantibus, tetendit. Inuentoq; Papa in oppido Italiæ satis munito, per triduum ante portam arcis cui inerat pontifex depositio omni regio cultu, discalceatus & laneis indutus, perstitit: nec prius cum multo fletu apostolicæ benedictionis auxilium & consolationem implorare destitit, quàm omniũ qui ibi aderant precibus & lachrymis intercedentibus, laxato demum anathematis vinculo, in communionis gratiam & sinum matris ecclesiæ receptus est, acceptis ab eo in futurum vitę suæ correctionis securitatibus multis. Accepit igitur rex in mandatis, vt Romam profectus, anno integro inde non discederet, equum non ascenderet: sed in veste humili circumiret ecclesiarum limina, orationibus & ieiuniis reddens dignum pœnitentiæ fructum. quod rex humiliter adimplere satagebat. Videntes ergo cardinales, & ij qui de curia erant, quia præ timore sedis apostolicæ contremiscunt potestates, & curuantur qui portant orbem, suggesserunt apostolico, vt transferret regnum in alium virum, dicentes, indignum esse illum regnare, qui de publicis esset conuictus facinoribus. Percontanti autem apostolico, quisnam in Alemania dignus esset tanto culmine, designatus illi dicitur dux Sueuiæ Rodolphus, quòd scilicet fuerit vir bonus, & amator pacis, & circa cultũ sacerdotum & ecclesiarum optimè affectus. Cui papa auream transmisisse fertur coronam, hoc versu intitulatam:

*Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.*

Præcepisseq́ue fertur Moguntino & Colonienſi, cæterisq́ue episcopis & principibus, vt adiuuarent partes Rodolphi: & constitutus est rex. Quotquot ergo receperunt verbum pontificis, adhæserunt Rodolpho: additiq́ue sunt parti eius Saxones & Sueui. Cæteri principes ac ciuitates, quæ sunt circa Rhenũ, omnesq; Francorum populi, non receperunt eum, eo quòd iurâssent regi Henrico, & iuramenta temerare noluerunt. Porro Henricus consistebat Romæ, mandatis obsecundans, ignarus malorum quæ aduersus ipsum gerebantur.

CAP. 15. IGITVR Rodolphus dux Sueuiæ, fauentibus Sifrido Moguntino & Adalberone Wirtzburgensi, Bertholdo quoque duce Carinthiæ, in præsentia quorundã Romanæ sedis legatorum, apud Forcheim in regem eligitur: & ab eodem Sifrido
1077. apud Moguntiam XII. Calendas Aprilis, anno septuagesimo post mille, in regem consecratur. Vbi facta seditione, eodem die multa vulgi turba cæsa est ab eius militibus. Vnde vulgus accensum multos ab illis obtruncauit, cæterosq́ue in curtem palatij fugauit, ipsasq́ue regias ædes incendere voluit, nisi episcopus Sifridus pro veloci Rodolphi discessione, obsidem se interposuisset. Ita Rodolphus & cuncti qui cum eo venerant, electi sunt: Sifridus quoq; archiepiscopus magnis blasphemiis eliminatus, Moguntiam non intrauit amplius. Surrexit interea quidã Strasburgensis (nunc Argentinensis) episcopus, amicissimus regi Henrico: & velociter petens Romam, diu quæsitum regem inuenit inter memorias martyrum diuersantem.

*Henricus in papam contumax, à suis deseritur.*

*Regis reatus & dimissio.*

*Rex se papa subiicienti, pro venia regno abdicatur.*

*Rodolphus per rebellionem rex à papa cõstitutus, parum faustis auspicijs.*

santem. De cuius aduentu rex lætior effectus, cœpit percontari de statu regni, si omnia in pace consisterent. Cui ille intimauit, nouum principem electum: factúq; opus esse, vt quantocyus Theutonicam terram reuiseret, ad confirmandos amicorum animos, & conatus hostium comprimendos. Quumque rex prætenderet, nequaquam sibi sine licentia sedis apostolicæ abeundum: ille respondit, Noueris nihil dubitans, hoc omne conspirationis malum de hoc fonte manasse: imò si tibi rectè consulis, clanculo tibi abeundum est. Egressus ergo rex noctis vrbem, magnis itineribus reliquit Italiam: firmatisq; rebus pro tempore in Longobardia, venit in Germaniam: lætatique sunt de insperato aduentu principis omnes ciuitates Rheni, & vniuersi qui fauebant parti eius. Congregauitq; exercitum grandem, vt expugnaret Rodolphum, fuitq; cum eo famatus ille dux Godfridus, qui postea liberauit Hierosolymam, multiq; magnates. Saxonum verò atque Sueuorum exercitus erat cum Rodolpho, qui tum obsedit Wirtzburgum: sed terrore Henrici de Italia reuersi, mox abscedit. Henricus rex cum exercitu Sueuiam petit, Hugonem sibi aliosque inibi rebelles, prouincia vastata ciicit. Hæc ita feruntur in annalibus: sed quod de regis in vrbem relegatione dicitur, apud me fidem non habet. Nam hoc præcipere Papam, hoc recipere Imperatorem tam ferocem, veri similitudinem non habet. Cætera, quæ aliorum quoque testimonio fulciuntur, facilè accipio. Certum est enim, electum in Henrici locum esse Rodulphum Sueuum, eosq; crebrius fuisse congressos apud fluuium Vnstrow, vbi magno prælio decertatum est, ac Henrico victore cæsus est Wessilo Magdeburgensis archiepiscopus, Magnus dux despoliatur vix effugiens, Hermannus comes eiusdem ducis patruus, & Albertus Wormatiensis episcopus, capiuntur: ceciderunt multi fortes ex Saxonibus viri. Poppo quoq; vir fortis, ex Henrici parte cecidit, cum non paucis. Deinde prælium fuit iuxta Fladechem anno proximo, vbi primo congressu territi Saxones, terga nudant. Ibi dux Bohemiæ Vratislaus, Henrico militans, regalem Rodolphi lanceā est adeptus: quæ exinde semper quenuis illius gentis ducatu insignem, in omni festiua processione præcedit.

*Rex de perfidia certior factus, in Germaniam se clam recipit.*

*Rudolphi rebellio & regni affectatio.*

MAGDEBVRGENSI inde ecclesiæ, cæso Wessilone, præficitur per Rodolphum Sueuum (cuius partibus militans prædecessor cecidit) vir bonus, Harduicus Franeus, genere militari atq; baronum, canonicus pridem Moguntinus: qui, vt potuit, in nouo pontificatu promotoris sui partes adiuuit: præfuitq; annis duobus & viginti. Cuius temporibus, anno videlicet LXXX. post mille, conuentus triginta episcoporum & optimatum Italiæ & Germaniæ, apud Brixinam Noricam, iussu Henrici regis, habetur contra Gregorium septimum: quem à sede apostolica depellendum, quanuis absentem, diiudicabant, & Wicbertum Rauennatem archiepiscopum, surrogandum eligebant. Anshelmus autem Lucensis episcopus, vir literatus, ingenio acutissimus, & facundia præcipuus, & (quod omnibus maius est) in Dei timore & sancta conuersatione nominatissimus, qui etiam tam in vita quàm post mortem claruit miraculis, scripsit epistolam ad eundem Wicbertum, in qua illum præuaricatorem ac superbum cognominat: Hillebrandū autem beatum Gregorium, patrem suum appellat. Quo tempore prælium iterum graue cōseritur inter Henricum & Rodolphum, iuxta Ellestram fluuium: in quo Rodolphus vulneratus in manu dextra, fugit Mersburgum: mortiq; iam proximus, dicit ad familiares suos, Videtis manum dexteram meā de vulnere sauciam: ecce hęc est manus, qua domino meo Henrico fidem firmaui sacramento. Sed iussio apostolica, pontificumq; petitio me huc deduxit, vt iuramenti transgressor, honorem mihi indebitū vsurparem. Qui ergo finis nos exeeperit, videtis: quia in manu qua iuramentum peregi, mortale hoc vulnus accepi. Videant ergo ij qui ad hoc nos instigauerunt, quò nos duxerint, ne forte deducti simus in præcipitium mortis æternæ. Et hæc dicens, diem clausit extremum.

*Synodus aduersus papam.*

*Cap. 16.*

*1080.*

*Rodolphus moribundus, quàm reclepa pe obscenus fit, fatetur.*

HILDESEMENSI ecclesiæ per eadem tempora præficitur Vdo, vir nobilis, de comitatu Aluesleue: præfuitque annis triginta quinque. Vidit turbulenta tempora, ac luctamen inter regnū ac sacerdotiū, quum quartus Henricus, vltus iniuriā depositionis suæ, & excitationis in se æmuli, memor quòd pater suus de Romana sede

*Cap. 17.*

na sede ordinauerit, totius ius Imperij renouaturus, consilio suorum pontificum, Gregorium (vt diximus) septimum destituit, & Rauennatem archiepiscopũ sub-
1081. stituit. Et anno LXXXI. Romam profectus, resistente sibi cum Romanis Papa Gregorio, ante castellum sancti Petri castra posuit: vbi etiam crebris per biennium incursibus Romanorum infestatus, parua manu multa viriliter peregit. Wichbertũ suum, quem Clementem appellauit, pulso Gregorio, in sede profanauit: quum in-
*Scinditur Germania partis studio.* terim diuisa Germania bellis tumultuaretur. Nam tum Conradus, Bohemiæ ducis filius, marchionem Brandeburgensem habuit infestum, concurreruntq; prælio IIII. Idus Maij. Sueui quoque & Bauari infestis odiis concurrerunt iuxta Danubĩ in Hochstein: ibi cecidit Cononis Palatini filius. Saxones ac Sueui in Fran- 10
cia ad colloquium venientes, non sine clade prouinciæ redierunt, ibi de nouo in Henricum rege susципiendo conuentum est. Electus est autem Hermannus Lotharingus, dux de Lutzenburgo. Cui quum suis in partibus (hoc est in Lotharingia) nemo in bellicis rebus atque opibus posset æquiparari, sumpto regis nomine, tam suis quam alienis cœpit in breui despectus haberi. Anno sequenti idem Hermannus orientalem Franciam, quæ pro Henrico faciebat, viriliter inuadit, hostiliterque in ea grassatur. Monstra tum cælitus apparuere: visus est equitum discurrens exercitus, cuius tamen vestigia nullo modo poterant agnosci. Henricus interim in Italia diuersatur: iterum Romam tendens, castra fixit vbi antè, ad occi-
*Roma ab Henrico capta.* dentalem portam castelli sancti Petri: captaque est Roma IIII. Nonas Iunij, feria 20
sexta ante octauam Pentecostes. Quo tempore Papa Gregorius in castello Crescentij (quod tum vulgò domus Theodorici diceretur) inclusus, expectabat euentum rei. Rex autem in Palatino monte munitionem instituens, multos eorũ quos in præsidio posuerat, ingrauescente super eos ætatis insolito feruore, amisit: sed & alios eadem mortalitas absumpsit. Romani autem viginti obsides regi dantes ex nobilibus, petierunt diem constitui, in qua Papa & omnes senatores in præsentiã regis venirent. Papa autem ad statutum tempus ad Calendas Nouembris non comparuit: nam fugiens occultè, Salernum secessit, ibique ad diem mortis suæ permansit.

CAP. 18. HAMBVRGENSI perinde ecclesiæ, post Albertum, ab Henrico ex eius mi- 30
nisterialibus præficitur Liemarus, homo Bauarus, satis literatus: qui Henrico coniunctissimè adhæsit, quum à cęteris penè omnibus desereretur. Fuit cum eo in expeditione Italica, & ab eius consilio pene omnia pendêre videbantur: dedit hoc beneficio promotoris sui, præstitit exemplo prædecessoris, vt Imperatorem in omni suo casu non desereret. Aderat Gregorij septimi destitutioni, non aberat Wicberti surrogationi: tenuitque archiepiscopatum per annos XXX. Dura tempora vidit. Ferulam pastoralem Henricus contulit, infeudans de regalibus: imò instituit omni tum iure, vt tempora ferebant. Pallium ei contulit Alexander, Grego-
*Dissidij inter papam & imperatorem causa.* rij immediatus antecessor. Et ea potissima dissidij causa fuit inter regnum & sacer- 40
dotium, quòd in spiritualibus præsumeret potestatem Imperator: quę pro tempore necessitate permissa est patri suo, sed eam nunc papa suo iure vendicabat. Hic Liemarus ordinatus est à suffraganeis, vir prudens, & tanto non indignus honore, si per ostium liberæ electionis introisset. Vsque ad huius pontificis tempora, & aliquandiu sub eo, Hamburgensis ecclesia honorem suum integrum seruauit, vt esset matrix, vtque Metropolis sola diceretur. Nam sub titulo eius continebatur illa tam larga & longinqua legatio in omnia regna Aquilonis. Testes sunt papales literæ, quæ ab Alexandro tertio, summo pontifice, emanarunt ad Albertum huius decessorem (quarum exemplum suprà posuimus) hunc semper titulum præferentes, vt diceretur Hamburgensis, non Bremensis, archiepiscopus. Testes eiusdem Alberti multiplices literæ, ad reges memoratos, & ad episcopos regnorum Aquilo- 50
narium, quos crebrius vocabat ad synodum in Sliaswicum, tanquam in locũ me-
*Hamburgensis metropoleos inclinatio* dium vtriusque nationis. Sed posteaquam Dania cœpit habere suum archiepiscopum, paulatim defecit, & deperiit ista legatio: cœpitque exinde posthaberi titulus ecclesiæ Hamburgensis. Quæ res non vno temporis momento peracta, sed multis annis deliberata, & tandem elaborata, temporibus huius pontificis est consummata.

mata. Antea enim reges Daniæ, Suediæ, Norwegiæ, fuſceperũt in prouincias ſuas epiſcopos ab Hamburgenſi metropolitano miſſos, & conſecratos. Acceſſere etiã pontifices ex Galliis & Anglia miſſi: deinde ſub Zuenone rege Daniæ, iam palam cœpit ea res actitari, non ignorante Alberto Hamburgenſi archiepiſcopo: qui ea ſpe rem diſſimulauit, quòd patriarchatum in Hamburg per eam occaſionem conſtituere cogitaret, vt non obſtante archiepiſcopatu vno vel pluribus in Aquilonaribus, duraret nihilominus ſuperioritas legationis in patriarchatu. Sed hæc res (ſicut multæ aliæ) per mortem hominis interuerſa eſt, & manſit infecta. Quandiu tamen ſupererat memoratus Albertus, perdurabat legationis officiũ in omnem Aquilonem: cogitauitq; in perſona ipſe obire prouincias in remotiſſimas partes, vt nec inſulam quidem relinqueret, quam non ſua prædicatione illuſtraret. Præparatisq; iam rebus omnibus, & nauigiis comparatis, comitibusq; delectis, colloquio deſuper habito cum Danorum rege Zuenone, auerſus eſt: quòd diceretille, melius populum erudiendum per ſuæ nationis homines (qui & mores & linguam & ritus callerent in quaq; gente) quàm per alienigenas, quibus ſit opus longa interpretatione & multa circuitione: idq; experimento compertum eſſe ſub prædeceſſoribus, qui operã illã per intermiſſos feliciter impleſſent. Acquieuit archiepiſcopus, & muneribus illectos earum nationum homines, ad prædicandum fecit voluntarios: neminemq; à ſe dimiſit, quem nõ ingenti liberalitate affectum, ad euangelizandum feciſſet paratiſſimũ. Periitque illa hominis iactantia, qua ſolebat gloriari, tres ſe euangeliſtas in regnum præceſſiſſe, Anſgarium, Rembertum & Vnni: ſibi quartum ſeruari locum. Petebatur ergo ab omnibus etiam remotiſſimis gentibus, de Iſlandia & Gronlandia per legatos: & ſe adiri ab omnibus paſſim ille permiſit, in omnes regiones & inſulas ordinans epiſcopos. Gaudens enim repetere ſolebat, *Meſſis quidem multa, ſed operarij pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat cooperarios.* Quorum ſpecioſa temporibus ſuis multitudine exhilaratus pontifex, primus omnium ſtatuit in Dania ſynodum celebrare cum ſuffraganeis ſuis: quoniam & temporum opportunitatem habuit, & regnum illud multis iam redundabat epiſcopis: & quoniam multa emendanda videbantur in nouella plantatione, præſertim ſuper acceptis donis in ſacramentorum adminiſtratione, imò etiã quaſi pro iure exactis, deque crapula cleri & populi, atque incontinentia. Ad quæ omnia ſummi pontificis authoritatem, regisque promptiſſimum auxilium ſperabat interuenire. Emanabant iam à ſummo pontifice literæ, & ipſe archiepiſcopus in prouincias ſuis directis epiſtolis, omnes conuocabat: ſed mors (vt ſolet) omnia interuertit. Plures tamen ordinauit epiſcopos in gentem miſſos, quorum ſedes tum erant incompertæ. Poterant etiam nonnullæ transferri de loco in locũ, quod crebrius & in aliis prouinciis acciderat. ſed quorum comperta ſint nomina, hi fuere: Rodolphus ex capellanis ſuis ordinatus eſt in Sliaſwicum, Odo in Ripã, Chriſtianus in Aruſiã, Heribertus in Wigbergũ, Magnus & Albertus in Wendilã, quæ nunc dicitur Burglauenſis eccleſia. Eilbertum in Farriam & Fioniam, Wilhelmũ in Sialandiam (hic eſt ille qui tanti nominis erat apud regem, quiq; illum tanta charitate conſtrinxit, vt cum illo tumularetur, & poſt mortem clareſceret miraculis, quod in Dania ſumus executi) Eimonem in Scaniam prouinciam promouit. In Suediam verò conſecrauit ſex, Adalwardum & Acilinum, alium Adalwardum & Tadicum, Simonem, & Ioannem monachum. Adalwardus tamen ſenior vtrique præfectus eſt Gothiæ, iunior ad Scithonam & Vpſaliam eſt directus, Simon ad Scrittafinnos, Ioannes ad inſulas. In Norwagiam duos tantùm ipſe conſecrauit, Tolphum & Siwardum. Cæterùm aliundè ordinatos, quum ſibi ſatisfacerent, & ſecum benignè tenuit, & hilariter dimiſit: ſicut Menardum, Oſmundum, Bernardum, & Aſgotum, alioſq; multos. Præterea Turolphum quendam miſit in Orcadas, & alium quendam Adalbertum, Iſleph in Iſlandiam, quò etiam miſit Ioannem in Scotia ordinatum, & in Wandaliam Oldenborg Eizonem. Sunt autem omnes quos ordinauit, epiſcopi viginti: quorum tres abortiui, & extra vineam ocioſi remanſerunt, ſua quærentes, non quæ Ieſu Chriſti. Quos vniuerſos archiepiſcopus in decenti habens honore, ad prædicandum barbaris verbum Dei prec-

*Patriarchatus Hamburgenſi animo conceptus cui neſcit.*

*Pro ſacramentis aliquid exigi, ſymoniacum.*

*Epiſcoporum numerus ab Hamburgenſi miſſorum.*

cc &

ce & præmio commouebat. Nunquam tam erat solitarius, vt non aut quatuor aut quinque episcopis stiparetur. Tres indiuisos semper comites habuit: Tanquardū ante episcopatum familiariter cognitum, iam sine episcopatu manentem, quòd Brandenburgensis sedes eius à Wandalis proximè esset deuastata: Ioannem Scotorum episcopum, quem posteà missum in Wandaliam perfidi trucidauerūt cum Godscalco principe: tertius erat Bono, de terra sancta veniens: vbi diu manstans, plures nolens ac volens lustrauit prouincias. Hi semper aderant, quum alij euntes & redeuntes mutarent vices, quandoque plures, quandoque pauciores. Hæc idcirco sub hoc pontifice repetiuimus, ne ignorata iacerent, quando huc perductus est limes illius tam latæ in gentes legationis, vt deinde cessaret cū eo honor Hamburgensis ecclesiæ, interim duplici malo affectæ. Nam proximè in anno quo mortuus est Albertus, vno bis anno à Wandalis euastatā, ciuibus & clero est exhausta: nunc etiam legationis veteri honore destituitur. Quod quo ordine factum sit, inferiora docebunt.

CAP. 19. VERDENSIS interim ecclesia pastorem Zegebertum, Henrico Imperatori percharum, habuit: qui illi & ecclesiæ suæ donauit foreſtam venationis in Magetheide, cum terminis suis, & prædium in Hermensborg, in comitatu domini Witelcais comitis, cum omnibus pertinentiis. Circa quæ tempora ad annum Christi,

1098. MXCVIII. cœpit ordo Cistertiensis, in quo Bernardus breui pòst effloruit Clareuallensis. Circa huius quoque pontificis tempora initium fuit Carthusiensium in Burgundia, in diœcesi Gratianopolitana, sub Brunone Colonienſi inchoatore, viro sacris literis doctissimo. Qui ipse septimus accessit Hugonem loci episcopū, exponens sancti propositi deuotionem, vt ille opem ferre, & locum permittere, & authoritatem dignaretur interponere. Atque impetrauit amplius quàm postulauit: non solùm enim quod petiuit obtinuit, sed illum ipsum pontificem meruit sacri ordinis habere consortem. Incredibile dictu quàm breui res noua coaluit, quàm viriliter inchoata durauit, nulla per annos quadringentos indigens reformatione (vt cæteri omnes, collapsi paulatim) sed seuera patrum industria, & crebra visitatio, & silentium cum solicitudine, hoc illi miserante Deo præstitit, vt cōceptum feruorem non intermittat in vniuersum. Possunt membra diffluere pro humana fragilitate, sed ordo perstat immotus. Hoc ergo quòd ecclesia persensit in Cæsare detrimentum, redditum est illi ad incrementum deuotionis in ordine nouo: cui similis alius in ecclesia non extat, per rigorem, per austeritatem, per obseruantiam sedulam.

*Cistertiensis ordo & Carthusiensis.*

CAP. 20. INTERIM Henrici quarti tēpora per omnes ecclesias fuere turbulenta, propter superbam eius dominationem: qui non contentus rebus Imperij, ecclesiarū etiam iura inuasit, episcopos pro suo arbitrio instituens, destituensque. Summum pontificem Gregorium septimum, virum sanctum, insectatus est, & contumaciter illi se obiecit, quòd non illius voluntate ad summum pontificatum peruenisset.

*Roma regi Romanorū Germano pecuniā pendebat.*

Quumq; Anno Colonienſis archiepiscopus, & Hermannus Bambergensis (quod diximus) Romam missi pecuniam, quæ regi debebatur, congregare, quum legatione peracta reuerterentur, literas Alexandri papæ detulerunt, regem vocantes ad satisfactionem pro simoniaca hæresi, aliisque nonnullis emendatione dignis, quæ de illo Romæ fuerant audita. Quo etiā tempore Saxones sarcem Hartesburg diruunt, clausſtrum canonicorum quod inerat, destruunt, ossa itidem filij regis ibidem sepulti, in contumeliam patris de sepulcro proiiciunt. Sed interim Alexandro papa defuncto, surrogatur Hildebrandus archidiaconus, vocatus Gregorius septimus: quem Henricus in conuentu Imperij refutauit pontificem. Sed tamen ipse potius Imperator à suis episcopis est desertus: nam Colonienſis & Magdeburgensis archiepiscopi, illicò regem deseruere contumacem: solus Liemarus Hamburgensis (quem ille prouexit) mansit in contubernio. Hinc Saxonum principes missa relatione ad sedem apostolicam, conquesti sunt, quòd rex diuinæ legis contemptor, ecclesiis Dei in constituendis episcopis omnem liberæ electionis facultatem ademerit, ponens per violentiam episcopos quos voluisset: insuper quòd more Nicolaitarum, de coniuge sua publicum voluit facere prostibulum, vt subiiceret

*Quæ regi Henrico vitio vertebantur.*

ceret (quod in se fuit) aliorū libidini: aliaq; multa auditu horrēda crimina. Quamobrem papa zelo iustitiæ permotus, crebris epistolis & nunciis regem denuò ad synodalia responsa, & sedis apostolicæ deuocauit audientiam. Sed rex secundā & tertiam eius vocationem dissimulauit. Quocirca Anno Clonensis, Sifridus Moguntinus, Bucco Halberstadensis, Wessilo Magdeburgensis, & omnes principes Saxoniæ deseruere regem: solus Liemarus permansit. Habuit deinde rex concilium apud Wormaciam, præsente Henrico rege, in quo pars regis videbatur per multos episcopos conualescere: sed non diu post maximum hoc colloquium principum apud Oppenheim factum est: vbi pene totius regni principes, sed maximè Saxonū & Sueuorum, subiectioni regis contumacis renunciabant: causam prætendentes, quòd à duobus summis pontificibus euocatus ad satisfactionem non venisset, & pro contemptu sententiam excommunicationis in Romana Synodo à papa accepisset. Hac re cōperta, rex humiliter, vtpote reconciliationem ecclesiæ petiturus, Romam versus proficiscitur: inuentoq; pontifice in opido citeriore, ibi per triduum ad portam oppidi, depositō omni regio fastu, discalceatus, & laneis indutus perstitit: donec interuentu plurimorū reconciliationem acceperit. Relaxato tandem anathematis vinculo, in communionis gratiam, & sinum matris ecclesiæ est receptus, acceptis ab eo in futurum vitæ melioris assecurationibus multis. Adiiciunt Annales nostri, publicam tunc regi à pontifice iniunctam pœnitentiam, Romam per annum non excundi, equum non ascendendi, inter martyrum sepulcra diuersandi. Sed eam rem iustis de causis in Saxonia non probauimus, neq; hic recipimus. Maximum deinde bellum inter Henricum & Rodulphum illi in regno surrogato consurgit, multisq; præliis variè est dimicatum: sed cessit Rodulphus ad extremum, ex vulnere moriens. Henricus autem post aliquantos annos conuentum habuit triginta episcoporum & optimatum Italiæ & Germaniæ, apud Brixinam Noricam, contra Gregorium Papam: quem à sede apostolica detrudere contendit, & Rauennatem archiepiscopum Wicbertum surrogare. *Crambe bis posita.*

WICBERTVM suum Henricus antipapam duxit Romā: eam obsidens, multis laboribus cepit: in Palatino monte castra fecit. Papa in arce Crescentij delituit. Fiunt transactiones, statuitur dies de omnibus cōueniendi: papa se in tutum clàm recepit Salernum. Rex suum Wicbertum in thronizans, Clementem iussit appellari: & ab eo cum regina Imperialem benedictionem (si non execrationem) accepit. Reuersus in Germaniam Imperator, res regni reperit perturbatas. Nam Saxones in locum Rodolphi, regem creauere Hermannum Lutzenburgensem, qui & ipse breui periit. Henricus autem Imperator Moguntiæ synodū contraxit, anno LXXXV. post mille: vbi præsente Wicberto antipapa & Imperatore aderat, & legati Romanorū. Omnes inibi episcopi rebelles Imperatori, deponendi iudicantur: cæteri cum Gregorio sentientes, anathematizantur. Gregorius interim rebus excessit humanis. Succedit Victor, annitente potentissima per Italiam domina Mathilde, quæ Romano vero pontifici in Cæsarem semper adhæsit. Victori Vrbanus, Vrbano Paschalis in Romana sede successit, Imperatore cum idolo suum schisma continuante. Franciæ, Siciliæ, Hispaniæ reges catholicam partem fouerunt, tuentes veros pontifices, quum illos Henricus insectaretur. Octuagesimus nonus erat annus, quum Imperator schisma suum prolongaret: & bella in Saxones cōtinuans, arcem obsedit Gliche. Vnde Egebertus Saxoniæ marchio illum fugauit: qua in pugna cecidit episcopus Lasannensis, qui lanceam regalem præferebat. Ibi etiam Liemarus Bremensis archiepiscopus, captus est à Ludero comite: qui posteà dux fit Saxoniæ, & inde imperauit. Archiepiscopus captus, pro redemptione sua dedit aduocatiam Bremæ (hoc est iudicium vrbis temporale) & trecentas marcas argenti: & ita restitutus est episcopatui suo. Hic basilicam, quam Albertus prædecessor suus cœpit reædificare, de incendio villæ parumper maculatam, funditus destruxit, & à fundamentis aliam extruxit. Hoc solum in præclaris eius operibus numeratur. Cæterùm curiam sequens, & eius infinitis perplexitatibus inuolutus, intendere qui potuit gregi suo? Interim verò Imperator Henricus quum iam alterā sibi iunxisset vxorem, Vtonis marchionis relictam, nihil modestius in ea se gessit, *Cap. 21.* *1085.* *Mathildis papæ studiosissima.* *1089.* *Atrocissima Henrici scelera, si non conficta, infrà cap. 27.*

quàm priore. Nam filium suum Conradum, optimum adolescentem, & qui meliori parente dignus videretur, ad vxoris fertur inuitasse complexum. Quumque horreret infandum crimen bonus iuuenis, vt eum ad scelus animaret, fertur illi in aurem dixisse se patrem illius non esse, natum adulterio: & ideo torum suum non esse illi tantopere refugiendum. Magis magisque aucto in pudente iuuene horrore, meditatur patris cedere furori: idque fecit, concedens in Italiam. Vbi præsidio Mathildis nobilissimæ fœminæ suscipitur, magnumque illi regnum paratur: nam pater illum iam antè regem iussit coronari. Regina verò elapsa de manibus Henrici, peruenit & ipsa in Italiam, ductuque Mathildis ad Vrbanum pontificem: qui detestatus scelera regis, renouauit excommunicationem in ipsum. Cæterùm regina vsa pontificis consilio (qui eam fortasse toro Henrici absoluit) reuersa in patriam, monasticam vitam ingreditur: & profecit in matrem multarum Christi puellarum.

CAP. 22. *Expeditio Hierosolymitana.*

PARABATVR per hæc tempora passagium illud grande in terram sanctam, excitante Vrbano pontifice in Concilio Claromontensi. Proceres Franciæ cum multis millibus militum & populo signantur cruce: inter quos Godfridus dux *de Bulton*. Lotharingiæ is locus est, non quidem ducatû habens, sed quòd Godfridus dux dicitur, magnifica eius per Palæstinam gesta fecere. Erat tamen materno genere ex ducibus Brabantiæ: nam auunculus eius dux erat Brabantinus. cæterum pater eius comes Bononiæ Gallicæ, in parte maritima Picardiæ: septem millia distat ea vrbs à Calisia. Nihil mouerat Imperatorem Henricum zelus Francigenarû, pro Christo longinquâ militiâ subeuntiû, quo minus ipse schisma suum continuaret, filio etiã Conrado minitãs arma. sed modestus adolescens, quoad potuit, quieuit, cedens semper parenti. Henricus autem vbi videt omnia filio Conrado prospera, impiumq; esse oppugnare cedentem & reuerentem, alia in eum intentauit arma. Nam depositio eo, quem antè iusserat regem coronari, iuniorem filiũ Henricũ pro eo regem creauit. Nihil nocuit Conrado paterna insultatio. Causam autem paternæ in se indignationis, paucis, & his familiarissimis, detexit. Erat vir per omnia catholicus, & apostolicæ sedi subiectissimus, plus religioni quam armis aut fascibus intentus, fortitudine tamen & audentia militari satis præstans. Per nouem annos quibus superuixit, Italiæ quædã loca, nomine & re rex habitus, gubernabat. Lectioni quàm lusibus, vacare malebat: miseris omnimodè, sed præcipuè militibus inopia laborantibus, compassionẽ erat proximus, nemini contemptum, nulli vim, nemini præiudicium intendens, omni personæ, omniq; conditioni fuit affabilis: inde non immeritò Deo & hominibus fuit amabilis. Hic ergo nono postquã à patris discessit palatio protinus anno, Mathildis, illius magnæ & nobilis fœminæ, sicut sanguine, ita & contubernio & virtute iunctus, & in rebus per Italiam disponendis, tam illius quàm apostolici, cæterorumque Deum timentium personarum consilio semper vsus, immaturo præuentus occasu, decessit, anno post Christum,

*Conradi qui patrem Henri cum detestuit, virtutes & mors.*

1101. MCI. Sunt qui cum veneno scribant interiisse: testabantur qui aderant, in eius brachio crucem se vidisse. Eo etiam tempore Henricus Crassus, filius Ottonis ducis, Bauaria pulsi, cæditur in Phrisia, cum multis aliis. Libenter vsi digressione propter nobilem adolescentem, ad Liemarum Hamburgensem, siue (vt ex eo tempore cœpit vsurpari, quando cessabat legatio) Bremensem archiepiscopum redeamus: qui circa finem vitæ peregit, vt cõuentus in Herfelde monachis impositis perficeretur. Iam erat post mille centesimus primus annus, quum religiosum Deo spiritum redderet Liemarus, XVI. Cal. Iunij, quum annis triginta cathedram tenuisset: sepultus in basilica, quam ipse à fundamentis erexit.

CAP. 23. *Schisma in ecclesia Paderburnensi.*

IN ecclesia Paderburnensi, ad annum Christi post MLXXX. quartum, Poppone 1084. mortuo, cœpit de successore haberi controuersia, quòd regnũ esset diuisum. Nam Hermannus dux Lutzenburgi, rex electus à Saxonibus, Henricũ comitis de Aslo filium, consentiente capitulo, præfecit ecclesiæ. Sed Henricus rex, vt vbiq; æmuli Hermanni facta subuerteret, huic ecclesiæ præesse voluit alium Henricum, comitis de Werle filiũ. Sensit motus hos ecclesia diu, dum quisq; suæ parti studeret: sed vbi defecit rex Hermãnus, cedere oportuit & illũ quem præfecit: præualuitq; Henricus

ricus de Werle, qui ecclesiam illam rexit annis quadraginta quatuor. Sed in schismate quod diu continuauit rex Henricus, iste episcopus non passus deserere prouectorem suum, suspensus est diu à diuino officio per Moguntinum archiepiscopum, apostolicæ sedis commissarium. Tum verò Henricus colluctatus omnibus qui cum pontifice Romano senserant, omnes pene episcopos Saxoniæ, Magdeburgensem, Halberstadensem, Mindensem, ac nonnullos alios, sedibus suis eiecit. Ob eandem causam Saxones & Sueui obsederunt Wirtzburgum. Venit Henricus obsidionem soluere. Versi in eum, repellunt venientem: & capta vrbe, verum reponunt pontificem, eiecto quem Henricus præfecit: & relicto vrbi militari præsidio, abscedunt. Reuersus Henricus, suum reponit, æmulum eiicit. Ita ferox Bellona versat res ecclesiæ, dum Henricus iura tuetur (vt putat) Imperij, pontifices nõ cedunt ecclesiasticæ libertati. Quod enim temporum necessitate indultum est Henrico tertio huius patri, vt de Romanis pontificibus disponeret, non potuit iuri diuino præiudicare: quod vtique tradit, *Nolite tangere Christos meos*. Nam immunitatem ecclesiæ & sacerdotum, & reges Ægypti & Babylonis ante Christum diu constituerunt, quod sacræ literæ non tacent. *Særemala, vt bona vocat.*

HALBERSTADENSI ecclesiæ post Buccam (qui Goslariæ cæsus est) præficitur ab Henrico Detmarus, vnde ortus, incertum, nisi quòd Henrico regi coniunctissimus creditur: alioqui non esset passus illum in media Saxonia surrogari. Continuauit autem idem rex schisma suum, & antipapam fouit cum iis qui illi inhærerent. Sæuiit Henricus gladio in aduersantes, vicissim summi pontifices gladium suum strinxerunt in omnes schismaticos. Archiepiscopus Moguntinus Rotardus, & Constantiensis episcopus, apostolicæ sedis commissarij, reconciliarunt omnes ad sacra promotos per episcopos Henricum sequentes, impositione manuum, vt executionem haberent ministeriorum suorum: episcoporum autem reconciliationem sedi apostolicæ reseruarunt. Prodigij loco habitum est, vermiculos multos, quos multis regionibus erat cernere, non longè à terra volantes, ita vt manu vel virga tangi possent, grossitudine quidem muscis æquales, sed longitudine diductiores: quorum tam infinitus erat exercitus, vt vnum pene milliarium in latitudine, tria in longitudine occuparent: densitate autem sua ipsam solis lucem obscurare videbantur. Per quam prodigiosam visionem, illã, quæ post quadriennium facta est, Hierosolymam tendentium profectionem, quidam interpretati sunt figurari. Secuta est autem hominum & pecudum intolerabilis pestilentia, de aeris corruptione: vnde & illa tum nata fuere animantia, quæ mortua auxerunt intemperiem aeris. Signa quoque in cælo apparuisse ferunt, globos igneos variis in locis emicuisse, & deinde alia cæli parte se condiderunt. Angelicas multi interpretantur fuisse potestates, qui ad sacram expeditionem inuitarent mortales. Nam Vrbanus papa in concilio Claromontensi excitauit Gallos. Petrus, natione Hispanus, eremita, excitauit cæteras nationes, & se prębuit ductorem, asserens è cælis missam epistolam, quæ ad eam expeditionem nationes hortaretur. Ingressus est dux Godfredus cum duobus fratribus Balduino & Eustachio, multisque nobilibus & episcopis. Quæ verò peregerint, quia apud multos leguntur, à nobis præteruehuntur. CAP. 24. *Vermiculorũ prodigiosa multitudo.* *Epistola celitus, demissa ad cogendum exercitum.*

MINDENSI ecclesiæ per hæc tempora Henrici quarti, præfuit ordine pontificum octauus decimus Reinwardus. Cui controuersiam de ecclesia mouit Volmarus, quòd adstipulantibus cognatis, per secularem potentiam se putauerat ingressurum. Iam enim ambitio, pernicioſum malum præsidentium, irrepserat in ecclesiam. Pax erat rebus à persequentibus: multiplicabantur ecclesiarum prædia pontificum diligentia, & bonorum deuotione cordium: inde se insinuauerat semen zizaniorum, quod perturbauerat tempora huius pontificis. Sed prœalùit iustitia & veritas: quia abactus est, qui non per ostium (quod Christus est) sed aliunde tentauit intrare. Huius autem pontificis tempore, anno eius tertio, cœpit ordo Carthusiensium sub Brunone de Colonia, in diœcesi Gratianopolensi prouinciæ Burgundię, quum septem viri in literis primarij, se eius loci episcopo præsentassent, rogantes locum in quo Domino deseruirent, simul aperientes votum quod CAP. 25. *Imò verò iam pridem.*

conceperant. Et præualuit sanctum eorum propositum, adstipulante plurimùm & adiuuante eodem pontifice. Hic autem Mindensis pontifex Reinwardus, annum Christi attigit octogesimum nonum: & in crastino beati Matthæi apostoli translatus est ad meliora. Versiculi in eius laudem seruantur, vtcunque tornati:

*Hic est Reinwardus, animosus vt leopardus,*
*Qui quasi flos redolet, & vt aroma viget:*
*Vnde debetur ei iure corona poli.*

Quam si est assecutus, satis prospere processit vt regnaret.

CAP. 26. OSNABVRGENSI ecclesiæ per ea tempora Henrici quarti præfuit Benno secundus (quem nos Bernardū dicimus) ordine pontificū eius loci decimus octauus: vir ab ineunte ætate Deo deditus, origine Sueuus. Qui quum scholis præfuisset apud ecclesiā Hildesemensem (docebant enim illa ætate scholastici sacras literas, & habebant qui subdocerent in triuialibus) clarū illi nomen ex doctrina, & ex vitæ religione, conciliabat eum Imperatori Henrico, Goslariæ manenti illa tempestate. Quumq; vacaret Osnaburgensis ecclesia, Benno magnis suffragiis ab Imperatore assumitur: dabatq; operā, vt vitæ sanctimonia, quantum dignitate, excresceret. Moniales extra regulæ limites euagantes, retrusit ad obseruantiā. In monte conspicuo & amœno, ex altera parte monasterium sub regula diui Benedicti erexit: in altera parte arcem firmauit, Iborg nomine, inter firmissimas Saxoniæ. Imperatori paruit, ita tamen vt summo pontifici non contrairet. Deniq; quum Imperator hoc ageret, vt contempto Gregorio septimo, antipapam surrogaret, latuit hic pontifex, nec voluit interesse concilio. Multa virtutū eius referuntur insignia. Prę-

*Scholastici veteres antiquitus in ecclesiis quod munus.*

1088. fuit ecclesiæ cū summa laude per annos viginti: migrauit anno octogesimo octauo post mille, vndecimo Cal. Augusti. Fertur exturbasse glires prouincia, vt per multos annos non cernerentur, annis (vt ferunt) ducentis octoginta.

CAP. 27. MAGDEBVRGENSI interea ecclesiæ post Hardwicum, diu persecutione Henrici laborantem, præficitur Henricus de Aslo comes, iamdudum ab eodem Henrico eiectus ecclesia Paderburnensi. Venerat hoc tempore Henricus de Aslo Magdeburgam: & quum Hardwicus aut iam functus esset, aut breui concederet è vita, assumptus est à fratribus in archiepiscopum, nihil requisito regis consensu. Quippe Saxones, sicut à multis annis, sic etiam nunc regi repugnauere, parentes mandatis apostolicis in regem: quocirca parui fecerunt regis assensum vel dissensum, in assumendo archiepiscopo. Erat autem vir Deo deditus, religiosus episcopus, & eo loco dignus: sed non erat digna ecclesia frui virtute tanti viri. Nam anno quarto defecit, iam tum initio pontificatus sui. Erant ex canonicis qui ambirent locum illum: quumque exissent vt regem adirent, & eius authoritate pontificatum inirent, obseruata sunt à bonis viris illorum vestigia, & capti, pro cathedra, quam ambibant, carcerem acceperunt. Indignatur rex ista audiens: sed iam tantis erat implicitus nexibus, vt omnia pro motu gubernare non posset. Iam enim crescentibus malis, & (vt Saxones nostri scribunt) multiplicatis eiusdem Henrici peccatis, & principes & pontifices habere cœperunt auersos ab illo animos. nam neque diuini, neque humani iuris apud illū respectus permansit. Contempsit apostolica mandata, principes honore suo non habuit, proprium connubium turpare constituit: adulteria non solùm ipse commisit, sed suasit, hortatus est. Ea si vera sunt, nec ab æmulis maiorem in modum elata, magnas causas præstiterunt futuris eius calamitatibus.

*Henricus in episcoporum creatione nimium sibi consulit sumere.*

CAP. 28. VERDENSI per ea tempora ecclesiæ præfuit vir præcipuus Ricbertus, ordine vigesimus tertius, nobilis (vt præsumitur) origine: quòd tum regia voluntate promotis pontificibus, primus erat locus aulicis, & qui alto sanguine præferrent nobilitatem. Hic fratribus ecclesiæ suæ Verdensis, consentiente filio fratris sui, comite Geuehardo, curtem in Honstede cum omnibus attinentiis contulit in supplementum præbendæ. Nec hic erat modus benefactorum: plura enim contulit ecclesiæ, quæ scripta non sunt. Hæc sunt illa tempora, quibus Henricus quartus, rex in Germania, aduersus eos qui pontificem sequerentur, & in Italia aduersus Conradum filium ibi regnantem, multa peregit: sed non est prosperatus, aduersante sibi in Italia

li a Mathilde potentissima fœmina, de genere Saxonum: & in Germania, Sueuos cum Saxonibus & multis pontificibus habuit obuios. Nam Vrbanum Papa super ecclesiarum commotione multiplici, congregauit multa concilia, multa etiã promulgauit decreta. Inter quæ conuocatis ad Placentiam ciuitatem ducentis ferè patribus, Henricum Imperatorem, tam à se, quàm prædecessoribus suis, communione priuatum declarauit: maximè regina Henrici vxore adstante, multaque in illum nefanda ad aures totius synodi significante. Sed Vrbanus antequam ex hac vita migraret, spiritu instinctus diuino, Reinerium cardinalem sancti Clementis, sanctæ conuersationis & boni testimonij, abbatem Romanum designauit successorem deligendum: quem etiam reuelationibus insuper denotatum, vniuersa Romana ecclesia pastorem sibi consecrat inuitum. Expeditio interim in terra sancta prosperatur. Nam magnis difficultatibus emensi viam duces cum militibus, diuersis itineribus peruenerunt in terram sanctam: & multis antè vrbibus per Ciliciam & alias regiones captis, Antiochiam, & deinde post multa Hierosolymam recepere, anno Christi, millesimo nonagesimo nono.

*Henricus rex sacris motus.*

*Hierosolyma à Christianis capta. 1099.*

MIMIGARDEVORDENSI verò ecclesiæ per eadem tempora præfuit Erpo, vir nobilis, sanguinem tangens (vt ferunt) Magnopolensem: sed erat illa tempestate nobilitas ista in paganismo non magnum habens nomen: Wandaliæ nobiles & Obotriti vocabantur ex antiquitate. Cæterùm Magnopolense vocabulum, Græco Latinoque compactum, ex veteri oppido *Mekelnborg* ortum habet, quod sonat magnã vrbem: hodie curtem vnã præfert, quales insidere solẽt militares. Erat hic pontifex nepos sui prædecessoris Friderici (quem ex marchionibus Missnæ ortũ ferebant) ordine decimus septimus in hac ecclesia: vnus ex iis qui cũ Dodone episcopo Leodiensi, & Godfrido duce Bulionis, ad exhortationem Vrbani papæ secundi, cum magna expeditione populi Christiani mare transierũt, & Antiochiam cum ciuitate Hierosolyma receperunt. Reuersus est hic pontifex, voti compos factus, in patriã: & ecclesiã suã multis pòst annis feliciter gubernauit bonoq; fine consummatus, bonus Christi miles, pastorq; plebis emigrauit, sepultus apud sanctum Mauricium extra muros. In huius sigillo, quod hodie extat, scriptum cernitur, *Erpo Episcopus Mimigardenordensis*. Durauit contumacia Henrici regis in ecclesia: nec emollitus est pietate ad imitanda Gallorum exempla, qui Christi militiam consectati, Dominicum sepulcrum & ipsam Hierosolymam ceperant, defenderant, & Christianismo reddiderant. Iam Wicbertus in antipapam erectus (qui tribus Romanis pontificibus superfuerat) dolens ac gemens quòd in eas vias perductus esset, concessit è vita. Iam videbatur ecclesia adunata, & vni subesse capiti, Paschali Romano pontifici. Henricus inde Imperator, habito cum principibus colloquio, Romam se profecturum, ac generale cõcilium ad Calendas Februarias inibi conuocaturum condixit: quatenus tam Imperij quàm apostolici causa ventilata, canonicè inter regnum & sacerdotium eatholica vnitas firmaretur, quæ tot annis scissa permãsit. Constat tamen nec ipsum iuxta placita venisse, nec nuncia dignitati apostolicæ subiectionem profitentia misisse: quodque alterum papam ipsi Paschali superimponere (si fieri posset) sit conatus, nec tamen profecerit. Igitur vbi firmatus est Paschalis in sede apostolica, præcepit excommunicari Imperatorem ab vniuersis episcopis & Catholicæ ecclesiæ cultoribus: & continuantur mala per Germaniam.

*Cap. 29.*

*Gallorum in sancta expeditione obeunda laus.*

HERANDVS (quem alij Annales vocant Stephanum) per hæc tempora præfuit in ecclesia Halberstadensi, non sine contentione, propter Henrici regis schisma grauissimum. Sed Saxones semper fuerunt contemptores tyrannidis eius, etiam armis (vbi opus) sese tuentes ab illo. Sed hic bonus pontifex non diu præerat ecclesiæ suæ: tertio enim anno defecit, febre absumptus. Interim Imperator natale Domini Moguntiæ celebrans, filio suo Henrico regi, rerum summam dimissurum, seque sepulcrum Domini visitaturum, per Euerhardum episcopum publicè fecit prædicari: indeque fauorem maximum tam vulgi quàm principum, cleri, populi ac totius regni conquisiuit: multosque è diuersis regni partibus ad eiusdem itineris comitatum se præparare voto ipso succendit. Sed

*Cap. 30.*

*Henricus sepulcrum Domini se adire vellefingit.*

cùm nihil se ad rem pararet, cecidere animi. Mutauit enim quàm frequenter sententiam, nihil veritus quid de se homines loquerentur. Sequentis anni natalia Christi Ratisponæ peregit, conuocauitque suæ obedientiæ principes & pontifices. Rarò autem conuenerant, nisi insigni aliqua cæde tempora signarentur. Nam proximo anno Moguntiæ cæsus est Cono, filius Ottonis, ducis quondam Bauariæ, nunc ad Weseram manentis, frater Henrici Crassi, quem Frisones ad se transgressum ceciderunt. Nunc autem comes Sigihardus à militibus regis cęsus est, in-

*Henricus pater & filius, ecclesiæ grauet.*

certum an iussu, an conniuentia eius. Sed per multa mala, quæ sub regimine eius gerebantur, parabatur regnum iam ab eo transferri ad filiũ Henricum, prima quidem fronte præferentem vmbram pietatis: sed vbi conualuit in regno, patris etiã acta in deterius superauit, ecclesiæ grauior quàm fuerit parens eius. Sed hæc in sequentibus.

CAP. 31. HVMBERTVS per ea tempora, post Liemarum agebat in archiepiscopatu, iam Bremensi. Nam Hamburgensis titulus ex die constitutorum in prouinciis Aquilonaribus archiepiscoporum, cœpit aboleri, quando retraxerunt obedientiam sedi Hamburgensi: desiitque legationis superioritas, quæ sub titulo Hamburgensi debebatur. Tenuitque archiepiscopatum annis solis tribus, qui pro suorum temporum breuitate nullis rebus insignitur in historia: vir vndecunque natus, nisi præcipuus extitisset aut stemmate sanguinis, aut eruditionis prærogatiua, ad archiepiscopatum tum non peruenisset, quando necdum erant libera electionis suffragia, sed Romani Imperatores se de sedibus archiepiscoporum vestiendis intromisere. Viuebat adhuc Imperator Henricus quartus: qui, vbi firmatus est in sede apostolica Paschalis, ab illo (vt à prædecessoribus) excommunicatur, & mandatur ab vniuersis episcopis catholicæ pacis euitari. Et quanquàm pater vmbram pietatis præ se ferret, de peregrinatione in terram sanctã, quia tamen

*Rebellio filij in patrem.*

nihil apparabat, filius Henricus (quem iam antè regem declarauit, & iussit conscerari) in Bauaria rebellionem molitur in patrem, machinantibus Dietpoldo marchione, Berengario comite, & Ottone quodãnobili, sibiq; materna stirpe cognato. Quorum consilio atq; auxilio ante paucos dies à patris latere discessit. Primò quidem hæresin patris anathematizans, apostolicæ sedis pontifici debitam profitetur obedientiam. Indeque sociatis sibi Noricis principibus (qui sunt nunc Austrij & Bauari) necnon à Sueuia & orientali Francia nonnullis nobilibus, ad Saxones conuertitur, à quibus honorificè suscipitur, & in Quedelinborg Pascha celebrans, in breui vniuersis Saxoniæ optimatibus potitus, dignitate regia satis est honoratus. Consilio tamen & ministerio Rothardi Moguntini, & Gebehardi Constantiensis episcoporum, responsalium Paschalis Papæ, totam Saxoniam Romanę sedis communioni reddidit, & reconciliauit. Episcopis verò & clericis conuentum generalem in villam regiam, quæ Northusen dicitur, IIII. Cal. Iunij indixit, vbi super ecclesiasticæ institutionis iam deprauata disciplina tractaretur. In quo concilio idem rex non modicam bonæ indolis spem, magna humilitate simul au-

*Henricus filius concilium aduersus patrem cogit.*

thoritate coram omnibus prætendit. Nam quum seruorum Dei conuentui nõ nisi vocatus interesse vellet (ingens enim ibi cum episcopis, abbatibus & clericis, etiã monachorum ecclesiasticã sitiens vnitatem turba confluxerat) tandem rex in abiecto productus habitu, stans loco editiore, omnibus iuxta decreta principum, suas leges atque iura rationabiliter innouauit. Si qua verò irrationabilia rogabantur, mira & vltra suos annos prudentiæ magnanimitate confutauit: in omnibus his inauditam seruans innocentiæ verecundiã, & Christi sacerdotibus dignã exhibens reuerentiam. Inter hæc obortis lachrymis, ipsum regem cæli testabatur, se nulla regnandi cupiditate paternum sibi regnum vsurpare, neque patrem ac dominum suum à Romano deponi Imperio exoptare: imò debitam pertinaciæ & inobedientiæ eius semper compassionem exhibere, si sancto Petro suisq; succesoribus lege Christiana subiici velit, siue regno cedere, siue similiter sibi subesse, repromisit. Quod auditum omnis multitudo collaudãs, lachrymas simul ac preces tam pro patris conuersione, quàm pro filij prosperitate fundere cœpit: voce magna proclamãs, κύριε ἐλέησον. Rebus igitur ecclesiasticis ibi satis prudenter ordinatis,

ordinatis, assumpto secum legato Romano, Bauariam Saxoniamq; adiit, inuasores ecclesiarum synodaliter depositi: reliquos verò fautores hæresiarchæ, ab officio suspendit, ac subiacere examini sedis apostolicæ coegit.

MAGDEBVRGENSIS ecclesia Henricum suum brèui amisit: Nam secunda feria in Paschalibus, dum expectaretur de more venturus in monasteriũ montis, defunctus efferebatur tristi ministerio. Et in locum eius quintus Henricus, iam rex, constituit ex choro Halberstadensi egregium virum Adalgotum, vndecimũ ordine archiepiscopum, qui vndecim illi præfuit ecclesiæ annis. Eius institutum, vt quotãnis per Quadragesimæ singulos dies centum pauperib. singuli panes cum singulis halecibus tribuantur. Quo tempore Otto princeps insignis, origine Saxo (quem Henricus quartus ducatu Bauariæ destituit, reddiditq; Welponi Sueuo) rebus excessit humanis. Habuit autem hic Otto tres filios: Henricũ Crassum, quem dixere Landgrauium, hoc est comitem prouincialem, patrem Rixæ (quam duxit Luderus postea imperans) hunc Frisii ad se transgressum, armis perdiderũt in Norden: & Cononem, Comitem de Bichling, qui occisus est in conuentu Imperii Moguntiæ: & Sifridum de Bomeneborg, patrem iunioris Sifridi. Habuit idem Otto quatuor filias: quarum vna fuit mater Conradi de Witen marchionis: alia, mater Friderici comitis de Arnsberge: cuius vnam filiam duxit Godfridus de Arne nobilis baro, pater comitum Henrici & Friderici, comitum de Arnsberge: secundã duxit Otto de Cappenberge, cuius filia Elica, vxor Elimari, mater fuit Hẽrici & Christiani comitum de Aldenborg, & Ottonis maioris præpositi Bremẽsis: tertia, vxor fuit Hermanni de Caluela, quæ genuit Ottonem & Henricum comites de Rauẽsberge: quartam deduxit nequam seruus. Quilibet etiam filiorũ Ottonis ducis memorati, in comitatu Stadensi vnam habebat curiam: Henricus Crassus, curiam in Alerstede: Cono curiam, quæ dicitur Koninghoue, in villa Herfuelde, hic fundauit Katelenburg, & eandem curiam illi claustro dedit: quam postea Fridericus Stadensis primò oppignoratam, deinde emptam dedit Herfeuelde: Sifridus habuit curiam Hetuelde, quam filius eius Sifridus dedit conuentui Amelingsborne, quam etiam pòst Henricus dux de Brunswig emit à monachis. Hanc tamẽ (vt dicitur) modò quidam abbas loci illius, apostatare volens, duci vendidit, conuentu ignorante: tandem medietate pecuniæ soluta, & re comperta, abbas fugit, & dux curiam vsurpauit. Hæc de Annalibus transcripta hunc teneant locum, vt antiquitatis perseueret memoria: præsertim in stemmate nobilium, de quo frequens est ignorãtia. Sed Humbertus, vt diximus, Bremensis archiepiscopus, vix expleto triennio vitã finiuit, anno quarto post mille centum à Christo & eius exortu. 1104.

Cap. 32.

Ottonis Saxonum posterorũ series.

MIMIGARDEVORDENSIS, quæ nunc est Monasteriensis ecclesia, passa est per hæc tempora, quod multæ aliæ, de suis pontificibus. Nam Henricus IIII. iam præfecit Burchardum, virum excellẽtem: sed illum velut schismaticum, & Henrico anathematizato subscribentem, eiecerunt ministeriales sui, & comes de Arnsberge. Sed Henricus quintus illum potẽter reposuit. Et vt expressius rem explicemus, Albanensis episcopus cardinalis, Apostolicæ sedis legatus, archiepiscopũ Colonienſem, & episcopum Monasterienſem Burchardum, ab officio suspendit: & ipse episcopus Monasterienſis, coniurantibus contra eum ecclesiq; ministerialibus, admitente comite Westphaliæ de Arnsberg Friderico, expellitur, capitur, & ad Imperatorem Henricum quintum deducitur, & in vincula coniicitur: quem postea Henricus idem rex, Monasterium veniens, sedi suæ restituit. Fit conuentus tum in Natali Dominico apud Moguntiã totius regni Theutonici, tanta frequentia, quanta nunquam ab hominum memoria. Referebant qui aderant, quinquaginta duos optimates ibi tunc laicos principes, aut suprà, affuisse: adeo vt solus dux Saxoniæ Magnus (quem iam grauior ætas detinebat) defuisset. Ibi superuenientes Apostolicæ sedis legati, episcopus Albanus cardinalis, cum Constantiensi, sententiam anathematis in Henricum seniorem dictum Imperatorem à tot sibi succedentib. apostolicis sæpius promulgatam, scriptis simul & dictis testificantes, vniuersam multitudinem, imò totam toto orbe dispersam ecclesiam, ab eius communione, Christi & beati Petri authoritate, multis iam annis sequestratam confirmabant:

Cap. 33.

Pontifices vitio passim creantur.

Renunciatur Henricus ab ecclesia exterrita

& eo vsq; sententia inualuit, vt Henrico diadema tollendum, & ad filium deferneret transferendum. Venerunt ergo principes ad eum Ingelheim, Mogũtinus, Colonienſis, Wormatienſis, & Imperialia ab eo exegerunt inſignia. Quam rem, quia in Saxonia ſcripſimus, hîc tranſilimus, ad eccleſiaſtica rurſus exequenda redeuntes. Sed Burchardus tum reſtitutus, denuo laborabat ſub Henrico, nihilo meliora moliente quàm pater eius: quæ ſuis temporibus attingemus. Paſchalis autem pontifex tum in Galliis apud Trecas habuĩt generale concilium. In quo inter alia decretum eſt, quòd nemo inueſtituram alicuius beneficii aut eccleſiaſticæ dignitatis à manu laica excipiat, quoadu ſque hæc quæſtio inter papam & regem ſynodaliter terminaretur: & reſtituit papa omnibus eccleſiis libertatem ſuam, vt ſecundũ præcepta canonum prælatos ſibi eligerent, quos dignos iudicarent. Quo tempore ex eiſdem cauſis patriarcha Aquilegienſis, Leodienſis & Cameracenſis epiſcopi, anathematizantur, Mindenſis quoq; & Halberſtadenſis priuantur, Colonienſis & ſui ſuffraganei ab officio ſuſpenduntur: quia aberãt concilio generali: archiepiſcopus Moguntinus, & epiſcopus Conſtantienſis ſuſpenduntur, quia aliquos cõtra canonum ſtatuta electos inſtituerunt. Henricus interim Paderburnenſis profectus Romam, quia perplexitate quadam innodatus videbatur, obtinuit plenam reſtitutionem, per conſcientiæ ſerenationem.

*Inueſtitura diſcordia malũ.*

CAP. 34. VERDENSI quoq; eccleſiæ per hæc tempora præfuit Harduicus, numero & ordine vigeſimus quartus, qui ſincerè fertur dilexiſſe eccleſiam, cui contulit prædium in Ride. Inſtituit etiam ſolennem memoriam tam fratribus quàm ſcholaribus, in anniuerſario ſuo peragendam. Cuius temporibus res Wandaliæ occiduæ cœperunt paulum à paganiſmo reſpirare. Factum eſt enim, poſtquam Crito Wandalorum princeps, Chriſtiani nominis perſecutor acerrimus, iam cõfectus eſt ſenio, Henricus Godſcalci filius, egreſſus Dania (vnde illi maternum & regium erat genus) percuſſit Aldenburg, iam in paganiſmo ſedentem, & omnem maritimam Wandalorum prouinciam: duxitq; magnam inde prædam, & exterruit vetulum illum principem. Qui verſus ad aſtus, ſimulata voluit amicitia iuuenem (quem armis vincere non potuit) opprimere. Præmonitus ab Sclauina Critonis vxore Henricus, quæ annis puellaribus ſenem exoſa, ad nuptias aſpirabat Henrici iuuenis: vn de factum eſt, vt ea prodente cæderetur Crito: &, quod ambo cupierunt, nuptias conſociarunt. Accuſet quis fœminam incontinentiæ, & pariter Henricum, quòd duxerit coniugem quę viri excidium procurauerit: ſed odium paganiſmi, & amor reſtituendæ Chriſtianitatis alleuat culpam vtriuſq;. Conabatur autem Henricus, quantum potuit, Chriſtianiſmum reparare: & paulatim profecit, ope virorũ Chriſti zelo feruentium: quod ſuo loco oſtendetur.

*Crito Chriſti hoſtis, ab vxore reproditus occiditur.*

CAP. 35. MINDENSEM eccleſiam per hæc tempora in controuerſia tenebat Volmarus quidam, canonicus Hildeſemenſis: quibus ex cauſis, ſatis ambigitur, niſi quòd temporum ratione coniectatur, eſſe niſum regia voluntate (vnde tunc pendebant omnia) Mindenſes verò ſuo fretos iure, aſſumpſiſſe virum pontificatu dignum, quem etiam in eo defenderant. Poterant quidem hoc aduerſus regem & Imperatorem, adiuuante eos tempore, quum rex magnis bellis implicitus, Saxonibus colluctaretur: quod in Saxonia diximus. Inde etiam Romanæ eccleſiæ ſe oppoſuit: vn de ei non minimus labor creuit. Continuauit autem iſte Volmarus præſumptum pontificatum in annum quintũ, donec miſerabili & terribili (vt ferunt) morte conſumeretur. Tradunt nonnulli cæſum nocte media in peccatis ſuis, gladio: beatumq; Gregorium apparuiſſe cuſtodibus eccleſiæ, & oſtendiſſe pallam cruentã, nunciaſſeq; mortem pontificis, vt eam cæteris patefacerent. Hanc tamen narrationem Annales non firmant, ſed relinquunt legentis iudicio, quid credat. Multæ fabulationes per quorundam leuitatem, aliorum ſimplicitatem, ſe inſeruerunt veris narrationibus, quibus vulgus inhæret, facile creditu, docti contemnunt. Sed tamen male ingreſſum, deterius progreſſum, veriſimile eſt non eſſe bene egreſſum. Quamuis operum diſtrictionem non oſtendat ſemper Deus in hoc ſeculo, ſeruãs iudicio futuro: quædam tamen etiam hîc diſtringit, ne omnino peccatores ſibi promittant impunitatem, & inſultent longanimitati & patientiæ eius. Sed hæc interim de Volmaro.

*Crebra in eccleſiis ſchiſmata.*

*Multa ad terrorem vel odium cõciliandum fingũntur.*

IN

In Osnaburgensi ecclesia per hæc tempora quarti Henrici, præfuit Matquardus, ordine pontificũ decimus nonus, ex abbate Corbeiensi factus episcopus. Præfuit annis sex, & depositus est pontificatu. Non tamen memorant Annales causam & ordinem depositionis eius: sed datur coniectare, vt quoniam turbulẽtissima fuere tempora inter sacerdotium & regnum, inter summos põtifices & Imperatorem Henricum quartum, super inuestitura pontificum, quam vsque in illa tempora habuere Romani Imperatores, obnixi contrà nõ cedere iuribus Imperii, sed quæ ipsi comperissent, illibata relinquere successoribus. Romani pontifices, inchoante septimo Gregorio, dissimulandum non putauere, quòd laica potestas dominaretur ecclesiis, & de pontificibus & abbatibus soli curarent. In hac controuersia, diu continuata per multos pontifices, (præcat enim quartus Henricus ex puero annis penè quinquaginta) facilè fieri potuit, vt quoniam hic põtifex, vel apertè nimis se opponeret Imperatori, parens pontifici, ab ipso Imperatore sit ecclesia destitutus: aut econtrà, nimium pertinaciter inhærens Imperatori, sit à summo pontifice in exemplum aliis, & in terrorem destitutus pontificatu. Dum enim Annales de causa nihil attingunt, locum faciunt coniecturæ ex perturbatione tunc currentium temporum. Quæ vsq; adeo inualuit, vt filius patri æquiuocus, Hẽricus quintus, sese parenti opponeret pro Romanis pontificibus: & quadam pietatis specie in oculis totius conuentus regni, etiam lachrymas daret, testatus cœli Dominũ, pro matre ecclesia se opponere terreno patri, vt eum deturbaret Imperio. Quam rem in Saxonia nostra plenius fumus executi. Ipse tamen assecutus Imperium, victo & deturbato patre, rem nihilo fecit meliorem. Nam eadem impietate, maiore etiam sæuitia, quum esset Romæ cum exercitu, summum pontificem cum cardinalibus captum, Roma extraxit: minitatus mortem, nisi votis eius subscriberet pro Imperio. Perseueranter restitit Papa, donec victus lachrymis eorum, quos se occisurum minitabatur Imperator, verbo subscriberet, testatus vim & iustum metum: donec rediret ille in Germaniam cum exercitu: quum tetractaret Papa, quæ per vim & iustum metum illi essent extorta. Sed tandem cessit Imperator, passus rem componi ad ecclesiæ nutum, per submissos in eam tem cardinales. Quod idcirco nunc memorauí, vt videatur quæ potuerit esse causa depositi huius Marquardi, posteaquã annis sex præfuit ecclesiæ Osnaburgensi. Erat autem tum annus millesimus nonagesimus tertius, in quem incidit huius pontificis depositio, quum adhuc in Imperio esset quartus Henricus, pater iam senex: iam etiam ab annis in tanta calamitate, quam filius inferebat, miserandus, si posset amor dominandi flecti ad misericordiam. CAP. 36.

*Papa iugum quo premebatur, excutere cogitat.*

*Quod suspicionem præbet, non eam fuisse rebellandi causam.*

*1093.*

*Vera rebellionis causa.*

Fridericvs eius nominis primus, in ecclesia Bremensi successit Humberto: tenuitq; per annos octo, vt ferunt annales: sed, vt ego arbitror, octodecim: nisi antè decennio vacasse sedem, aut alium interpositum fateamur archiepiscopũ, cuius nomen non sit illatum fastis. Nam hic Fridericus fertur obiisse mortem vigesimo tertio post mille centum. Quumq; decessor eius anno quarto (iuxta eosdẽ Annales) excesserit, alterum ex duobus necesse est: aut inter Fridericum & Humbertum fuisse alium medium, aut sedem tam diu vacasse. Quorum quum sit neutrum verisimile (relatum enim esset in Annales) fatendum est, hunc Friderici ad annum decimumnonum peruenisse. Cuius tempora nihil insigne aut memorabile, quod ad religionem pertineat, præferunt: nisi quòd illa cõtentio tunc super Stadensi comitatu erat inter nobiles: necdum enim peruenerat (vbi iam diu fuit) ad ecclesiam Bremensem. Superiori quidem ætate, quum Albertus pontifex frequenter in conuentu Imperii versaretur sub Henrico III. nobilis è Sueuia domina, cui nomen Ida, in Stadensem comitatum in villam Elstorpe, quam exædificauit, sese collocabat. Denupserat primò Lupoldo nobili viro, cui filiam peperit Odam, quam primò sanctimonialem fecit in Rintelen: postea inde translatam, Russorum regi coniugem dedit. Erat autem Ida non vulgari nobilitate progenita: nam Henricus III. illi patruus erat, & Leo papa IX. (cui pridem Brunoni nomen erat, quum esset Tullensis episcopus) illi erat auunculus. Ea filia, quam Russorum regi diximus denuptam, viro peperit filium Warcislaum: mortuoque rege, ex thesauris regiis CAP. 37.

*Stadensis comitatus contentionis materiem præbuit.*

magno auri pondere, quia asportare non fidebat, in terram defosso (quũ ministros operis, vt nihil horum proderent, de medio iussisset auferri) cum paruulo filio, mores exosa gentis, redibat ad matrem. Filius tamen postea reuocatus in regnum, eò transiit: & matris reuelatione defossum thesaurum reperit, & accepit. Ida verò, posteaquam primus maritus in fata concessit, duobus post inuicem iuncta est maritis, Dedoni, & Etelero Albo: qui ambo comitatum administrantes in Thietmarsia, ab insolenti populo per seditionem oppressi, interierunt. Ex quorum altero filiam sustulit Rikensam, siue Rixam, quam Eilmarus comes de Oldenburg vxorem accepit: indeq; sustulit Eilmarum filium: qui per tempora huius Fridericiarchiepiscopi mouit quæstionem Vdoni marchioni, comitatũ Stadensem iam tunc tenenti, in quo sæpe dictæ Idæ hæreditas (super qua nunc agitur) erat collocata. Tenebat autem Vdo cum comitatu dictam hæreditatem non vno iure, sed duplici: quòd virili prole deficiente ex Ida, ad eum quasi directum dominum, feudum reuerteretur (sed hoc fortè iurę tunc necdum vtebantur) alio autem capite peruenit ad Vdonem. Filium Idę Egbertum, congressus Vdo oppressit in acie. Mater orba filio, quũ terrenam consolationem non acciperet, Romam deuotionis gratia inuisere constituit: peruenitq; itinere trãsmisso. Erat in Romana sede auunculus eius Leo, quẽ tertius Henricus ad sedem illam, rogatus à Romanis, animauit & prouexit: quam rem in Saxonia quia diximus, hìc transimus. Leo neptem suam perbenignè accepit, conquestamq; de filii peremptione consolatur: hortatus, vt pro remedio peccatorum suorum inimicos diligeret, iniurias ex animo remittat, eisdem, quod in se est, reconcilietur: vt in ea conualescat euangelicum præceptum, & crescat meritũ patientiæ in vitam æternam. Quæ exhortatio tam profundè descendit in animum fœminæ, vt reuersa in patriam, Vdonem filii oppressorem non solùm non odiret, sed etiam reconciliatum, filii loco adoptaret. Ille non ingratus adoptanti fœminæ matri, curtes de suis multas permisit: quas viuens illa pro arbitrio administrabat: quum autem moreretur, Vdoni omnia sua reliquit. Quam rem Eilmarus iunior, comes de Oldenburg, nepos ex Idæ filia, subuertere conatus, iudicio cœpit experiri: sed nihil profecit. Nam Fridericus quidam, Stadẽsis comitatus pro Vdone administrator, gratia illum & ære à petitione submouit. Quis autem, & vnde fuerit iste Fridericus, postea dicemus.

*Thesauri abscondendi ratio.*

*Inimici ex præcepto quomodo diligendi.*

CAP. 38. SED ab Osnaburgensi ecclesia non statim nobis discedendum, quia per hæc tempora depositio Marquardo, vigesimus ordinatur episcopus, cui nomẽ erat Wido. Cuius temporibus hoc solùm memorabile, pariterq; miserabile commemoratur, quòd vetus ecclesia Osnaburgensis incendio conflagrarit, tumultuariè tum disiectis sanctorum reliquiis, per trepidationem eripere incendio festinantium: vt diu ignoraretur, quem in locum essent translatæ, donec diuino miraculo innotescerent, & ad priorem cultum reuocarentur. Præfuit autem hic Wido ecclesiæ suæ per annos octo (quum adhuc Imperio potiretur quartus Henricus, necdum à filio deturbatus Imperio) peruenitq; viuendo ad annum primum post mille centum, IIII. vndecimum. Calendas Maii (sicut Domino placuit) translatus ab hoc exilio, meliora nactus est regna, vt confidimus.

*Reliquiæ incendio amissæ restituuntur.*

# ALBERTI KRANTZII
## METROPOLIS, LIB. VI.

CAP. I. VIA in ditione Bremensis ecclesiæ, comitatus Stadensis atque Thietmarsiæ ab olim fuere, operæ precium est eam rem ab antiquissima memoria reuocare. Magnus Carolus quum ecclesiam Bremensem fundaret, terminos eius distinxit, & limites assignauit in literis, vt esset ecclesiasticæ ditionis, quicquid illis finibus includeretur: non tamen voluit, nec debuit, suo quenquam iure despoliare. Erant in his locis viri potentes, qui subiectos agros cum

*Stadensis comitatus Bremensi ecclesiæ quondam attributus.*

cum plebe tenerent. Discreuit Imperator agros ecclesiæ fructificantes, omnem autem terrã ecclesiastico iuri subesse voluit: quo modo & cæteri principatus respondent ecclesiis de suis iuribus, primitiis, decimis & oblationibus. Tales in districtu Bremensi dominatus ante Carolum fuere, & permansere in Christianismo. vnde Stadensis comitatus, qui semper annexam habuit Thietmarsiam, ex his fuisse creditur: & transiit in ius marchionum Vdonis & filiorum eius, per tempora Henrici tertii. Peruenitq; per Hartwicum postea archiepiscopum ad ecclesiam Bremensem, à qua abstulit eum comitatum Henricus Leo dux Saxoniæ. Sed hæc postea. Per tempora autem quæ tenemus nunc in manibus, sub Friderico archiepiscopo, Stadensem comitatum administrabat quidam Fridericus pro Vdone. Operæpretium est agnoscere, qui & vnde fuerit iste Fridericus administrator comitatus: vt temporum seriem agnoscamus, & humanarum rerum varios casus, & cõtumeliosam multorum fortunam, & patrum impias leges nõnullas agnoscamus. Quo tempore senior Vdo marchionatum, cui tum inerat Stadensis comitatus, administrabat, venerant ex Anglia nobiles fœminæ, mater & filia, Albim fluuium naui ascendentes, cum ingenti thesauro, quem nobiles fœminæ secum extulerant fugientes. Naufragium passæ (vt est infidus nauigantibus ille fluuius) perueniere in ditionem Stadensem. Mox barbatico ritu miserè inuaduntur, rebus omnibus spoliantur, trahuntur ipsæ in prædam cum vniuersis rebus, vendicantur in seruitutem. Calamitosa rerum conditio, quæ afflictis afflictionem aggerebat. Sed ex paganismo durabat adhuc illa immanis barbaries. Mater seruitura pertrahitur in domum Vdonis principis, coniugi eius assecla futura. Filia & ætate & forma præstabat: inuenit ex aulicis qui eam acciperet coniugem, cui multas illa filias peperit: quæ nuptiis impleuere plurimas domos ministerialium, qui nunc amant dici militares. Vna ex his Reinoldo cuidam denupta, filios peperit Fridericum & Vlricum, cum nonnullis filiabus. Cæterùm filii ætatem assecuti idoneam, strenuos se rebus gerendis præbuerunt: vnde illis credita est administratio Stadensis comitatus. Ea tempestate tres è Dania pontifices, magno secum ducto auri pondere, Albim fluuium transierunt, Italiam fortè petituri. Sed vbi innotuit, aurum illos in zonis magnum habere, perierunt in flumine auri portatores: miserabile dictu. Non erant in Bremensi ditione bene habiti, neq; gratis oculis visi, qui pridem archiepiscopo subiectionẽ denegassent. Fridericus & Vlricus eo tum accepto auro sunt locupletati: fortè secum reputantes, qua infelicitate auia atq; proauia aurum quod suum erat, amisere naufragio, illis per eandem viam licere vnde locupletentur, corradere. Non laudo factum, sed coniecto consilium. Quo thesauro insolescentes fratres memorati, nihil secum mediocre cogitarunt.

*Inhumanitas detestanda in naufragos.*

*Spoliantur opulenti auro sacerdotes.*

VLRICVS alter ex fratribus, Imperatoris ex illo die curiam sequitur, ita se nobilitati insinuans. Vbi quum se iactitaret insolentius, Vdo marchio sciscitatus à circumstantibus, mancipiúmne suum vbique liceret vendicare: illis respondentibus licere, sublata manu alapam dedit Vlrico, addens cõuicium, quid se seruus nobilitati insereret? Cæsar circumspiciens, indignatur: illi arma stringunt: sed interuentu cæterorum res quietatur. Goslariæ tum erat comitatus Cæsaris, quum interim pater Vdo defecisset, filiusque eius nominis non diu superfuisset. Henricus iunioris filius, puer nomine magis quàm re, maiorum suorum hæreditatem tenebat. Nam administrationem comitatus Fridericus memoratus habebat. Et vt maiori securitate idem Fridericus rem ageret, adiit Imperatorem Henricum quintum, eique quadraginta marcas auri puri oblatas donabat: orans, vt quoniam esset ingenuus ac nobilis ab origine, licet parentes eius barbarica lege ex naufragio in seruitutem vocarentur, nemini liceret quæstionem sibi status mouere: vtque Cæsaris protectione ac beneficio libertatem, ingenuitatem, nobilitatemque generis sibi tueretur. Concessit Imperator, auro hilaratus. Luderus autem dux Saxoniæ, quam prouinciam pridem Luderus idem, mortuo duce Magno sine prole masculâ, ab Henrico Imperatore acceperat (quòd magnam iam partem in dotem inde accepisset) infestus erat Friderico dicto. Nam quum dudum illi bellum cum Vdone fuisset marchione, Fridericus ei (vt debuit) primus, p domino suo restitit. Is ergo

CAP. 2.

*Qui naufragia facientes ciuiciuntur, serui habentur.*

*Friderici multorum odio premitur.*

dux Fridericum Bremensem archiepiscopum stimulauit, vt dictum Fridericũ velut mancipium suum, in seruitutem vendicaret, quòd ibi auia & proauia eius fuissent (vt diximus) naufragatæ. Instituit in illum pontifex querimoniam. Cęsar solen ni misso nuncio causam agi curauerat: sed Rodulphus comes, iunioris Vdonis frater, quum infensus Friderico incumberet, placitis interfuit. Videns autem Frideri cum plebeiis niti testibus, indignatus, tumultum excitauit: & captum inde Fridericum in Soldwedel abduxit. Sed Imperator Henricus, ne frustra videretur aurum accepisse, vinculis solutum iussit secum manere, donec ira nobilium deflagraret. Restitutus autem in administrationem suam, nõ facilè potuit obliuisci iniurię pridem irrogatæ: totis igitur conatibus vindictam cogitabat. Quum igitur Henricus puer (proximi Vdonis filius, & maioris nepos) nomine quàm re magis, Stadensis comes haberetur, administratio verò libera esset Friderico, Rodulphus patruus assumpto secũ puero Henrico (qui illi ex Vdone fratre nepos esset) magna manu militari Stadium petit. Fridericus vix prænoscens, alia vrbis parte egreditur, fuga sibi consulens, noctis & nemoris beneficio: peruenitq; ad Luderum Saxoniæ ducem: quem auri etiam fulgore victum, in suas iam partes traduxit. Illi occupatis quas inuenissent de Friderici rebus, comitatum ipsi exinde administrantes tenuerunt. Interim Luderus dux iam aduocatiam Bremis (hoc est vrbis imperium) ex capto Liemaro (vt diximus) archiepiscopo tenuit, arcemq; Vorden fundauit: totiusq; Saxoniæ viribus, de restituendo ad comitatum Friderico deliberauit, de suo interim cogitans prouentu: nam facilè ex Friderico, qui prolem non haberet, ad se reuerteretur. Quomodo autem ad ecclesiam Bremensem hic comitatus peruenerit, inferiora docebunt. Nunc verò permansit in manibus marchionum, nihil obstante molitione Luderi atque Friderici.

*Saxonem ita tum antea sibi placat.*

CAP. 3. THIETMARSIÆ quoniã mentio incidit, antiquitatis eius memoriã quanto possumus longius repetamus: præsertim quia & nunc & ab olim se ecclesiasticis fuisse iuris confitetur is populus. Prætereo autem fabulationes ferentium ex Romano populo hanc esse gentem ortam, & in argumentũ eius rei nomen ducis Romani esse relictum nationi, vt ex Tito Marco, Thiermarsi dicantur. Adiiciunt, Romanorum familias etiã nunc in terra illa permanere: nam Columnenses Sulmans, Vrsinos Bermans hodie extare, & reliquos eius ordinis. Sed hæc inania sunt, pueri lia, fabulosa, & risu digna. Nam Titus Marcus ambo prænomina sunt, vni viro nun quam ex Romana consuetudine attributa. Romani autem quomodo tam longè peregrinarentur, ex Italiæ fertilissimo solo, cælo; clementissimo, in horridam palustremq; regionem? Sed securitati, inquis, fuę prospexere, vt longè essent ab vrbe, timentes nescio quid ab Imperatore. Conuellit autem totam hanc machinã, quòd nomina Columnensium & Vrsinorum (de quibus hi tanquã antiquissimis glorian tur) hesterna sunt, & in vrbe Roma recentia, vt vix trecentesimum superent annũ: quum Thietmarsi ante quingentos commemorentur. Magis autem arbitror indigenam gentem, quòd ex vetustissimis Germaniæ populis, teste Tacito & Beroso, Marsi numerentur. Fabulationem verò, quam Saxonum Speculum introducit, de origine Macedonum, in principio Saxoniæ nostræ subuertimus. Marsos autem in hoc angulo seruasse nomen suum, coniecto, cum aliquãta diuersitate, vt alii Thietmarsi, fortè à riuo iam non apparente: alii Wilstermarsi, alii Crempermarsi, à suis quiq; riuulis dicantur. Et quoniam gens illa palustribus & à flumine Albi irriguis locis habitat, omnes qui ad fluuios accolunt, ab his sumpsere nomen, vt Marsi dicerentur. Sunt & in Italia Marsi, qui si sint origine Germani, incompertũ habeo. Multas tamen olim fuisse transitiones nationum, nouas sedes quærentium, est compertissimum: multoque plura sunt in his & similibus rebus facta, quàm scripta. Thietmarsos ergo gentem habeo indigenam, origine vetustissimam, vsq; ad Marsi patris (qui filius erat Tuiscónis, & is Iani Noe) antiquitatem.

*Thietmarsi vetustatem cõmentitiam sibi tribuunt.*

*Columnenses & Vrsini qui vetusti Romæ*

CAP. 4. IGITVR quòd vetustissima habetur in literis Annalium nostrorum huius gentis commemoratio, hoc est, quòd marchionibus suberat ea pars Transalbinorum, à memoria Henrici tertii Imperatoris, sub quo Dedo & Ethelerus Albus, ambo post inuicem Idæ nobilis ex Sueuia fœminæ mariti, comitatum Stadensem cum

cum Thietmarſię gubernauere, ambo in Thietmarſia oppreſſi cæſiq;. Stadenſis autem comitatus, qui vſq; in hæc tempora cum Thietmarſia apud marchiones permanſit, ad Rodulphum Vdonis fratrem, & filium eius Rodulphum nouiſſimũ, qui & ipſi ſunt poſt inuicem ambo in eadem terra cæſi: & peruenit Thietmarſia in ius Hartwici, qui frater erat iunioris Rodulphi, filius itidem Rodulphi. Is Hartwicus caſum fratris patriſq; veritus, Thietmarſiam tradidit eccleſiæ Bremenſi, accipiens viciſſim comitatum ab ea Bremenſem: qui iam alia ratione ad eccleſiam peruenit. Factus autem archiepiſcopus idem Hartwicus, vtramq; ditionem pertraxit ad eccleſiam Bremenſem, in cuius iure vtraq; ditio in hodiernum permanſit. Superiori quoque memoria ad tempora Ottonum, marchionum ditio fuiſſe Stadium comperitur. Nam Sifridus inde marchio pugnauit aduerſus Aſcomannos (ſic enim piratæ tum Dani vocabãtur) egreſſos de mari: de cuius poſteritate fuiſſe Vdones creduntur. Tentauere plures Thietmarſiam ſubigere, poſt tempora cæſorum in eaco mitum: ſed varia fuit fortuna, victores victiq; abſceſſere. Caſus autem, nouiſſimus ad annum Chriſti M D. fuit omnium grauiſſimus, qui cum pondere ſuo memorabitur ſuo tempore: nunc digreſſione miſſa reuertamur in viam, ad Fridericum Bremenſem archiepiſcopum, cuius tempora ſunt in manibus. Cuius opera Vicelinus vir Deo deditiſſimus, incomparabilis acrimoniæ in ſtudio lucrandarum Deo animarum, magna inſtantia verbum vitæ in Faldera (quam ipſe poſtea, ædificato in ea parte monaſterio, nouum monaſterium fecit appellari) prædicauit: quum ille ab archiepiſcopo cõmendaretur, viro terræ primario, Marquardo, & Henrico Wandalorum principi, Godſcalci Chriſtianiſſimi viri (qui etiam pro Chriſto occubuit) filio, cui erat Vicelinus acceptiſſim⁹: & perinde in veteri Lubica, quæ erat in Zuarotow, prædicans, multos ex Wandalorum gente Chriſto lucrabatur, annitente & plurimum adiuuante eodem Henrico, Chriſto fideli. Status autem rerum per Holſatiam tum is fuit. Nam Crito Wandalorum (quos Selauos dixere) princeps, Chriſtiano nomini infeſtiſſimus hoſtis, quũ ſæpius euaſtata Holſatia & Stormaria Hamburgum igni & ferro ſubieciſſet, Lubicam nouã, in eo quo nunc manet loco, communiuit, anno Chriſti quarto poſt mille centum: ſed tamen veterem, tanquam minitiorem, in loco Zuartow nõ omiſit. Quumq; ſenuiſſet Crito, Henricus Godſcalci filius, materno genere ex regibus Daniæ ortus, redibat in Holſatiam: & occulta nonnunquam cum paternis amicis ſumpſit colloquia. Critonis vetuli vxorẽ iuuencm nonnulli conciliauere Henrico. Præpoſuit mulier iuuenem ſeni: & pacta Henrici nuptias, maritum prodidit hoſti. Obtruncato igitur Critone, mulier quod in pacto cauit, accepit, Henrici nobilis viri torum conſecuta: & ille Magno duci Saxoniæ fecit fidelitatis iuramentum. Orientales autem Wandali cum occidentalibus conſpirauere in Henricum, quòd Chriſtianus eſſet, & Saxonibus pareret: maximè veriti vindictam, quam ille ſumeret de cæſo patre ſuo. Sed inito prælio, Wandali victi ſunt & cæſi: & facti ſunt omnes qui ſuperfuere, Henrico ſubiecti. Exterminauit ille latrunculos, & pacem conſtituit Holſatis. Exieruntq; de latibulis ſuis, & tranquillitatem temporum acceperunt. Chriſtianiſmum vero Wandali pertina citer recuſauerunt: nec erat eccleſia in vniuerſa terra, præterquam in veteri Lubica, eo quòd Henricus ibi cum familia frequenter verſaretur.

*Stadenſis comitat⁹ varijs dominis ſubijcit.*

*Thietmarſi dominationis impatientes.*

*Mulier religionem prodendo marito promouet. Sup. lib. 5. cap. 34.*

1104.

Qva tempeſtate Luderus marchio (qui & Vdo) habita conuentione cum Magno duce Saxoniæ, & Friderico Bremenſi archiepiſcopo, vehementi infirmitate cœpit repẽte laborare: deportatusq; Herſueldiam, ibi diem clauſit extremum. Eodem anno, qui fuit ſextus poſt mille centum, Magnus dux Saxoniæ, decrepitæ ſenectutis, finem viuendi fecit: & dedit rex Henricus quintus ducatum Ludero comiti, eo quòd Magnus filium non haberet, & Luderus magnam Saxoniæ partem à marchionibus Saxoniæ prouenientem, & ab Ottone duce (qui ad Weſeram habitabat, pulſus ab Henrico III. Cæſare Bauaria) per dotem teneret. Magnus autem Saxoniæ dux, ex linea Hermanni ducis (quem primus Otto extulit) duas reliquit filias: quarum prima Eila, nupſit Ottoni comiti de Balingſtede, cuius poſteri ſunt comites de Anholt: genuitque Otto Albertum marchionem, cognomento Vrſum. Altera filiarum Wulfildis, data eſt vxor duci Bauariæ Welpo, ſiue Catulo:

CAP. 5.

1106.

*Saxoniæ ducatus quomodo in Luderi manus venerit.*

quæ peperit ei Henricum Welpum, Henrici Leonis patrem. Luderus autem quũ obtinuisset ducatum Saxoniæ, gubernauit Saxones cum Wandalis, Henrico principi suo parentibus. Quo etiam tempore Comes Holsatorum Godfridus, cæsus est à latrunculis Wandalorum: deditq; dux Luderus comitatum nobili viro Adulpho de Scowenburg comiti: fuitq; pax inter Henricum Wandalum, & Adulphum comitem. Hoc est illud tempus, quo Henricus rex v. eius nominis, deiecto patre, regnum occupauit: quod in Saxonia scripsimus: & Italiam ingressus, nihilo se meliorem sedi Apostolicæ exhibuit quàm pater suus. Quam rem qui nosse volet, requirat ab illo loco. Circa hæc quoque tempora claruit vir sanctitate præcipua, Otto Bambergensis episcopus: qui, inuitante pariter & adiuuante Bolislao Polono, adiit peregrinationem ad gentem Wandalorum, qui dicuntur Pomerani: prædicauitq; barbaris verbum Dei, omnemq; gentem illam cum principe suo Warcislao cõuertit ad Dominum: quod in Wandalia explicuimus, nunc temporum designatione abimus contenti. Fridericus autem archiepiscopus, expleto sui cursus tempore, anno Christi MCXXIII. migrauit ad Dominum.

*Henricus V. pulso patre regnum occupat*

1123.

CAP. 6. HALBERSTADENSI ecclesiæ præfuit per tempora quinti Henrici, Reinhardus, vir vndecunq; natus, præstans: nobili tamen prosapia ortus creditur, quòd episcopatus illa tempestate per arma gubernati, non aliis quàm magna & nobili progenie editis credebantur. Erat grauissimum ea tempestate bellum Henrico v. aduersus Saxones. Habitauere Imperatores Goslariæ, & Saxonum gentem ad ea tributa & pene seruitutem deuocabant, qua in cæteros vtebantur. Sed non erat ea animis Saxonum humilitas, vt ad nutum subiicerentur: armis libertatem adserere (vt sæpe aliàs) sunt aggressi. Henricus rex duxit in eos, castraq; posuit in locum Welpeshold. Saxones eum duce suo Ludero, & Reinhardo Halberstadensi archiepiscopo, ex aduerso ascenderunt. Congressi sunt, & ancipiti prælio dimicauere: sed tamen Saxones infracti permansere, victoriaque sunt potiti. Quo etiam tempore quum vocasset Imperator Wandalorum gentem, Saxonibus infestam, vt inuaderent ea parte prouinciam, detinerentque illa parte Saxones, ne Imperatori occurrerent, Otto de Balingstede comes, qui tum orientalem Saxoniam (quæ nunc est vetus Marchia) tenebat, Wandalis inde promotis ad arma se opposuit: & eodem penè tempore, quo Luderus submouit arma Cæsaris, ille quoque superauit Wandalos: vt magna parte cæsi, multique ex his capti, non se venisse gaudebant ad arma. Ita gemina tum victoria Saxones vno pene tempore sunt potiti. Hic est Otto marchionum & comitum de Anehold progenitor, magnæ stirpis & nobilissimæ familiæ stipes.

*Regnum Christi ex hoc mundo non esse docet.*

*Saxones Henrico V. fiunt pugnæ superiores.*

CAP. 7. HILDESEMENSI tum ecclesiæ post Vdonẽ (qui varia fortuna diu præfuit) surrogatur Bertoldus, ordine decimus nonus: vir eo loco non impar, & genere & moribus optabilis. Præfuitq; ecclesiæ suæ cum magna laude per annos sedecim, pacem ipse, quantum potuit, amplexus, quum vndiq; bella detonarent sub v. Henrico. Peracto in loco Welpesholde insigni prælio, erexere Saxones trophæum, virũ scilicet in statua armatum, claua subnixum, arma Saxoniæ tenentẽ, equinum candidum pullum. Rustica plebs (vt est superstitioni propior) idolum coluere, tanquã veterem Saxoniæ deum, quẽ Iodute dixere. Permanet hodiè execrabilis illa vox, vt in omni repentino periculo exclament eo more Saxones. Deriuatum autem autumant ex Italico verbo, *Iomi adiute*. hoc est, me adiuuate: siue à memoria Drusorũ permanserit in prouincia, siue citeriori ætate manauerit per quamlibet occasionẽ in nostram gentem. Sed tum viri sensati horrentes superstitionem sacrilegam, deiecto trophæo capellam erexere: nunc aiunt esse monasterium ordinis prædicatorum. Sed tum Saxones, quum non ignorarent insensum sibi regem imminere, longius circumspectabant auxilia, ad Albertum Moguntinum archiepiscopum fœdera iungentes: qui Henrico erat infestus, quòd diu illum Cæsar carcere tenuisset, & ciuium solo fauore erutus esset. Iam enim Saxoniam auferre Ludero, & conferre Hogero de Mansfelt comiti, cogitabat. Sed aduersum ei prælium in Welpesholt, subuertit cogitationem eius: nam ibi cecidit Hogerus memoratus. Albertus vero vtroque gladio desæuit in Henricum (nam legatus erat sedis apostolicæ) vtil-

*Plebs in superstitionem facile labitur, magnæ tamẽ tradationum partu magistra.*

vt illius vbiq; partes infirmaret. Excreuerunt q; Henrico tam magna in aduersum, vt facilè Saxonum obliuiscerentur. Nam redibat in Italiam, & antipapam erexit in veros pontifices, Paschalem, Gelasium, Calixtum: demum sub Calixto res pacata est: quod in Saxonia scripsimus.

MAGDEBVRGENSI interim ecclesiæ post Adalgotum præficitur Rotgerus, vir potens, qui opponebatur viribus & minis Wiberti, burggrauii Magdeburgensis: qui sub Adalgoto, viro Christianissimo, multas ecclesiæ intulit ærumnas: sed nunc viribus Rotgeri retusus, conquieuit. Præfuit autem annis iste solis sex. Non ab Imperatore inuestitur, quòd esset ille dudum censuris innodatus: sed ab legatis sedis apostolicæ, ecclesiæ suæ iura suscepit. Deinde sub Calixto summo pontifice, qui Burdinum antipapam captum incluſit monasterio, sancitum est, ne amplius sibi Imperialis potestas vsurparet inuestituram spiritualium, sed libera fieret electio à clero & à populo: & sic insigniretur regalibus per sceptrum. Quod papa & Imperator confirmauerunt: ficq; pax rediit inter sacerdotium & regnum. Comitatum interim Stadensem Fridericus iste, origine Anglus, in administratione habuit, fauente ac defensante Ludero duce Saxoniæ: qui tum in arce Vorden firmauit præsidium, & gubernabat pene omnia per diœcesim Bremensem. Sed Henricus marchio puer, qui hæreditabat eum comitatum (cuius etiam nomine memoratus Fridericus tenebat administrationem) veneficio interiit, non dubium cuius machinamento. Quo defuncto, comitatum Stadensem, quem prius habuit Fridericus in administratione, obtinuit per pecuniam ab archiepiscopo Bremensi in beneficio: hoc est, vt infeudaretur ecclesiæ nomine de ipso. Quo autem iure peruenerit ad ecclesiam, non satis compertum est: nisi credamus à Cæsare impetratum, vt deficienti fine legitimo & suo hærede, succederet ecclesia. Erant enim comites Thietmarsiæ fratrueles eius: qui cur non successerint, non satis apparet. CAP. 8.

*Inuestitura magistratui adempta, electio libera ecclesiæ redditur*

MIMIGARDEVORDENSIS ecclesiatum de episcopo suo laborabat. Nã Burchardus ibidẽ constitutus à suis ministerialibus, eiicitur, & Henrico regi præsentatur: qui illum seruauit aliquandiu in carcere: sed deinde reuexit cum honore in ecclesiam suam. Efferuescente autem bello inter Henricum Cæsarem & Saxones, quum Burchardus suum restitutorem negligere non potuit, iterum eiicitur: & Theodoricus de Wintzenburg reponitur: donec illum quoq; Henricus rex eiiceret, Burchardum reponeret. Quum autẽ Henricus Imperator iam summo pontifici reconciliaretur, Burchardus quoq; de sua ecclesia fit securus. Sed erat causa, cur illum Imperator ablegaret pro magnis causis ad Imperatorem Constantinopolitanũ: in qua legatione moriẽs defecit. Tum Luderus dux, & comes de Wintzenburg, Theodoricum suum reduxere. Sed erat tanta ciuium & ministerialiũ ecclesiæ pertinacia, vt nullo modo sibi paterentur præsse Theodoricum: armis cogẽdi erant, vt parerent. Qua in conflictatione quum iacula ignita mitterentur, cum vniuersa ciuitate conflagrauit ecclesia sancti Pauli. Sed dux compatiens tantę iacturę, ꝓspexit vt impendio suo pro magna parte, & ecclesia & ciuitas restauraretur. Quo in prælio multos iure militari captos, & morte mulctauit: & ecclesię ædificandę sic prospexit, vt quorum opera male defensa perierit, eorum pecunia de nouo fundaretur. Erat ea tempestate homo ferox, comes de Arnsberg, Fridericus, qui se Westphaliæ dominum prętenderet. Is quum arcem vetustissimam ab Hunorum memoria in Weiuelsburg renouasset, multos inde incursans firmauit: sed ille haud diu pòst vitam finiuit. Theodoricus in ecclesia sua in finem vitæ permansit, reparationi structurarum & reformationi morum, tum plurimum necessariæ, institit: perfecitque ad bonum modum, priusquam viuendi finem faceret. CAP. 9.

*Episcopus per vices eiectus & receptus.*

*Ecclesia in contentione de episcopo constat.*

PADERBVRNENSI ecclesiæ circa hæc tempora præficitur post Henricum Bernardus, eius nominis primus: qui rexit ecclesiam annis tribus & viginti. Quo tempore, mortuo Henrico quinto, ad Imperium prouehitur Luderus, pridem comes de Supplenburg, iuxta Brunswicum, inde dux Saxoniæ, ad extremum rex electus Romanorum. Fremuerunt Franci (si diis placet) quòd virum Saxonem supra se viderent. Non illos dico Gallos, sed Germanici generis Frãcos: quorum domus proximos quatuor habuit Imperatores, Conradũ, & tres deinde Henricos, tertiũ, CAP. 10.

*Regnum Germaniæ à quatuor, continuo ordine, ex eodem familia tenetur.*

quartum,& quintum eius nominis.hoc est,proauum,auum,patrem,filium, qui erat quintus Henricus,sine prole moriēs:quod illi dicitur imprecatus Paschalis papa,quum illum captum in ecclesia diui Petri Roma eduxit,captum tenuit, commi natus illi & suis mortem,ni faceret quod iubebat,consecrationem(imò execrationem))illi impendens,& conferens non priuilegium, sed prauilegium, inuestiendi episcopos & abbates.Quod quia iustus metus extorsit,postea reuocabatur. Sed tū Luderus Saxo regnum obtinuit,rebellantibus illi Friderico & Conrado fratribus, Alsatiæ ducibus:quòd Friderico summa spes esset consequendi regnum. Peruenit res in apertum bellum:obsedit Luderus Spiram. Qua in expeditione quum ferè omnes per temporum consuetudinem nutrirent comam,multis in exercitu & per castra Luderi fulmine sunt exusti capilli: & credita est vltio diuina: cessauitq; ea abusio nutriendorum & tantopere excolendorum capillorum.Sed cessere Ludero principes,rebus ad bonum modum compositis. Interim Romani tumultuātur aduersus Innocentium pontificem. Petrus Leonis papatum inuaserat,eiecto vero pontifice.Innocentius descendit in Franciam,inde Leodium:vbi conuocato concilio,aderat Luderus Imperator.Multa ibi constituuntur,deducitur papa Romam ab Imperatore:ibi Bernardus Paderburnensis episcopus à præsente Romano pontifice impetrauit priuilegia,ad vsum rationalis, in certis temporibus pro se & successoribus suis.Conflagrauit iterum ciuitas cum ecclesia,quod ibi crebrius quàm alibi quomodo acciderit,satis est mirabile,quum aquis abundet vicinis,imò ad ecclesiam effluentibus.Imperatori se præsentauit Daniæ rex Canutus,qui cum duobus regnum est partitus, Waldemaro & Zuenone ( erant enim fratrum filii aut fratruelium ) & tum se subdidit Imperio , recognoscens superioritatem . Sed quia reuersus in regnum, obtruncatus est à Zuenone, Dani non receperunt eam subiectionem.

*Petrum Leonis papatum vi occupat.*

CAP. II. HALBERSTADENSIS ecclesia,post Reinhardum accepit præsulem Otonem,virum proculdubio nobilem.Qui quum decem annis ecclesię suæ præfuisset,conuictus de simonia,à summo pontifice deponitur Honorio. Feruebat noua constitutio super ecclesiis,de manu laica non recipiendis, facta compositione inter Calixtum & Henricum Imperatorem:& quoniam res noua fuit,fancienda erat inflictione pœnæ,vt horrerent contemptores,& in viam rediret. Otto fortè non magni faciens,aut non attendens quod constitutum fuerat, Ludero pro ecclesia blanditus est,& nescio an & largitus.Depositus est ergo ab Honorio : sed in concilio Leodiensi restitutus est ab Innocentio,interueniente Ludero rege.Ille interim Romam reducens Innocentium , ab illo coronatur cum vxore, Imperiali corona. Cœpitq; in diebus Lotharii Cæsaris ( sic enim Luderum appellauere Itali & Galli, quod Lotharii nomen Imperatorium illis videretur, Luderi autem , incompertū) oriri noua lux non tantùm in Saxoniæ finibus, sed in vniuerso regno, tranquillitas temporum,& abundantia rerum,pax inter regnum & sacerdotium.Sed & Wandalorum populi iuxta Holsatiam agebant ea quæ pacis sunt,eo q; Henricus eorū principes,comitem Adolphum & contiguos Nordalbingorū populos, omni fuerat beneuolentia amplexatus. Quo tempore non erat ecclesia in omni gente Lutinorū, Obotritorum,& Wagriorū,nisi in sola Lubeke veteri:eo quòd Henricus ibi Christianus princeps,cum familia sua moraretur. Surrexit eo tempore sacerdos Vicelinus,venitq; ad principem Wandalorum Lubeke:orauitq; præstari sibi facultatē prædicandi verbum Dei intra terminos ditionis suæ. Natus est hic vir præcipuus de Quernhameln.Mansit aliquandiu in arce Euerstein, cum matre Conradi comitis:inde inuidia sacerdotis,per Statium in Achilleide disturbatus est.Requisiuit enim ex eo,legeritne Statium in Achilleide,proposuitq; versum illi ex poeta:quem quum expedire non posset,erubuit:abiitq; Paderburnam,& ibi sub Hermāno docente apud ecclesiam, vigilantius literis incubuit. Dedit autem illi Dominus intellectum & cor docile:cœpitq; breui in docēdo magistri coadiutor existere.Orationi sæpius vacās,omnium sanctorū suffragia efflagitabat,præcipuè verò beati Nicolai,cui se specialius mancipauerat.Vnde etiā contigit,vt quadam vice ciusdē natalitia celebraturus,in oratorio sanctæ Brigidæ socios cōuocauerit:vbi vespertino & matutino

*Deponitur episcopus ob simoniam.*

*Episcopus pudore ad discendas literas cōpellitur.*

matutino officio solenniter expletis, angelicæ voces à quibusdam sunt auditæ, psal- lentes iuxta morem cleri, responsoriũ, *Beatus Nicolaus iam triumpho potitus*. Post mor- tem igitur confessoris Christi Ludolphi de Feulo, sub Friderico archiepiscopo vo- catur Bremam: ibiq; scholas strenuè rexit. Postea cum quodam iuuene Thietmaro perrexit in Franciam, studuitq; sub magistris Rodulpho & Anshelmo. Tribus igi- tur annis in studio transactis reuersi sunt: Thietmarus Bremæ fit canonicus: Viceli- nus Magdeburg ad Nortbertum veniens archiepiscopum, fit sacerdos. Sed hìc in- terponenda sunt aliorum tempora, vt deinde ad Vicelinum redeamus.

*Angelorum cum hominib. concentus.*

MAGDEBVRGENSIS ecclesia ad initium regni Lotharii tumultuabatur super episcopis: tres enim de eius pontificatu contenderunt: Adeo intumuerũt ca- nonici, iam liberalem electionẽ nacti: sperabat sibi quisq;, & amicis & infinita am- bitione contenderant pro episcopatu adipiscendo. Nec finis erat contentionũ: do- nec Luderus (siue Lotharium dixeris) omnibus destitutis, suaserit vt Nortbertum, virum religiosum, ordinis Præmonstratensium, sumerent archiepiscopum. Surre- xerat paucos ante annos ille ordo in Burgundia, in diœcesi Landunensi. Colonien sis hic erat Nortbertus, & in Burgundia eius ordinis inchoator. Peruenit autem in Magdeburgam, missus à Deo, & accepit loci archiepiscopatum, quem tenuit per annos octo. Ad hũc Nortbertum venerat Vicelinus, vir Deo & sempiterna dignus memoria, vir religiosus ad religiosum, & de manibus archiepiscopi accepit sacer- dotium. Sed de Nortberto necdum recedimus, requirentes quomodo vir nouam ferens religionem, præfuerit aut diuersæ religionis fratribus, aut canonicis secula- ribus. Equidem Otto magnus dum expeditionem primam terminasset in Italiam, voto constrictus, quòd milites sui se inuito monasterium diui Mauricii male ha- buissent, nouum extruere monasterium in honorem eiusdem diui Mauricii. Idq; opere compleuit, dum rediret in Magdeburg: ibique fundauit monasterium fra- trum diui Benedicti, Mauricium faciens sanctum loci tutelarem. Ad sequentia ve- rò tempora quum cerneret crescere ciuitatem, multiplicariq; populum Christo crediturum per vicinam Wandaliam, erexit in eodem loco ecclesiam Metropoli- tanam: cui præfecit (vt diximus) Adalbertum, monasterio Maximini de Treueri translatum. Sed quum esset ecclesia futura metropolitica, non erat fratribus diui Benedicti locus, propter ceremonias multas, fratrib. alienas, in ecclesia prima per- agendas. Igitur deputauit Otto fratribus locum extra muros in monte, vbi iube- bat refici cœnobium. Translati sunt igitur, licet plurimum renitentes & inuiti, & in vigilia Laurentii emigrarunt, cuius emigrationis mœstissimæ diu annuam pere gere memoriam, in vigilia diui Laurentii. Prædia pridem data illis, remansere ad cultum. Cæterùm ecclesiæ metropolitiçe contulit, quæ pater suus Henricus largi- tus est episcopatui Vallersleue: qui ex illo die cessauit, translatus potius quàm ex- tinctus. Tum verò in Magdeburgo crediderim regulares fuisse canonicos, sicut fe rè per omnes ecclesias: donec degenerarent in eam quæ nunc est formam, quæ si Deo placita sit, ipse nouit: cæterum scripturis & legibus dissona nimis est. In v- niuersum loquor & de maiori numero: cæterùm esse Deo placitas in his animas nemo dubitet. Talibus quum accederet regularibus cum noua regula Norber- tus, facilè obtinuit vt nouitati cederent, sumentes habitum eius, vt Nortbertini exinde dicerentur.

CAP. 12.

*Liberæ electi- jus non caret insimonia.*

*Monachos & canonicos ob ceremonias di uersas idem lo cus capere non potest.*

*Krantzius ca nonicorum or dini iniquior.*

BREMENSI ecclesiæ (nam Hamburgensis titulus paulatim aboletur, retra- cta obedientia Aquilonarium prouinciarum) post Fridericum præficitur Adalbe ro, vir & prudentia & religione singulari: cuius pontificatus initio mirabilia multa fuere. Nam Henricus Wandalorum princeps, vir optimus, excessit rebus humanis: & Henricus puer, marchio, comes Stadensis, immatura morte discessit: quum Fridericus (cuius de origine proximè multa diximus) comitatum ab ecclesia Bre- mensi sumeret in feudum, quem habebat antea pueri nomine in administratio- ne. Adalbero diœcesim suam vigil visitabat: nam legationis dignitas iam antiqua- ta, remisit nostris pontificibus laborem longinquæ peregrinationis in prouincias Aquilonis. Ex qua re honor etiam & titulus Hamburgensis ecclesiæ aboletur: cui titulo inhærebat legationis ministerium. Deperiit autem (quod suprà attigimus)

CAP. 13.

*Hamburgen sis ecclesiæ me tropoliticus honor desinit.*

ex eo quòd prouinciæ illæ suos acciperent in regno metropolitanos. Adalbero autem pontifex trans Albiam veniens in Miltendorp, quod nunc oppidum Thietmarsiæ Meldorp vocant. Ibi ab Holsatis conuentus rogatur, vt Vicelinum pridem terris suis cognitum, illis prædicatorem diuini verbi confirmaret. Ille pronus annuit, & Vicelinum iterum atq; iterum illis propter barbariem Wandalorum commendauit. Ergo sub Adalberone pontifice Vicelinus cum Ludolpho Hildesemensi, & Rodolpho Verdensi canonicis, legationem accepit in gentem Wandalorum.

*Vicelinus euangelium Dei apud Wandalos propagat.*

Iam Henricus gentis princeps, vltimam agebat ætatẽ. Quo superstite, legatio profecit vehementer: illo autem sublato, quum filii eius parum paternæ virtutis ostenderent, breui sunt euersi vt interirent. Variaq; deinde fortuna ac maximo labore per annos xxx. prædicationem continuans Vicelinus, ad extremam etiam ipse properans ætatem, quum iamdudum in Faldera nouum monasterium erexisset, fratribusque implesset, ac religiose diu gubernasset, episcopatum promeruit, vir sanctitate præcipuus, in Aldenburg: quod suo tempore commemorabitur. Sed ad superiora paulisper redeamus.

CAP. 14. QVVM res in manu Vicelini prædicantis crescerent in immensum, venerunt ad illum Ludolpus, Eppo, Lutmundus, Folcardus, sacerdotes, mercedem in vinea Domini laborantium cum illo accepturi. Quo tempore Canutus iunior, Henrici filius, in oppido Lütkenburg, quum insolentius ageret, est interemptus: Suenteploch frater, solus obtinuit principatum. Qui iuncto sibi Adolpho comite, cum Holsatis atque Stormariis expeditionem fecit in terram Obotritorum (hi sunt Magnopolenses) obsedit; vrbem Warlo. Qua in potestatem suam redacta, vltra est progressus ad vrbem Kissin, quam hebdomadis quinq; obsedit: eaq; subacta, acceptis de implenda fide obsidibus, Suenteploch reuersus est Lubeck: Holsati, cæteriq; in suas quiq; sedes redierunt. Videns autem Vicelinus sacerdos, quia princeps Wandalorum humanius se gereret erga Christicolas, accessit eum, & innouauit apud eum paternæ promissionis cœptum: impetratoq; principis fauore, misit in vrbem veterem Lubeke venerabiles sacerdotes, Ludolphum atq; Folcardum. Qui benignè recepti à mercatoribus, habitauerunt iuxta ecclesiam sitam in colle, quæ est è regione vrbis trans flumen. Rugiani autem Wandali, quòd inimicarentur generi Godscalci principis (quem ipsi cum cæteris coniuratis oppressérunt) facto agmine, per mare ascenderunt Trauenam: Lubicamque veterem aggressi, oppidum cum arce sua demoliuntur: sacerdotes autem tam diu perstiterunt, donec hostib. per vnam ecclesiæ ianuam irrumpentibus, per aliam vix elaberentur: & ad Falderam refugerunt. Suenteploch autem princeps, non longè pòst interfectus est, dolo cuiusdam Dasonis prædiuitis de Holsatia. Reliquit ille filium nomine Suinecke: sed & ille interfectus est non diu pòst, apud Eteneburg: defecitq; stirps Henrici in principatu Wandalorum. Translatus est autem principatus ille ad nobilem virum Canutum, inter Danos regii sanguinis, cui cum Henrico Wandalo ex Henrici matre & sanguinis necessitudo, & morum similitudine, maxima, dum viueret, familiaritas & sincera charitas intercessit: vt etiam rogaret Henricus Canutum, quia filiorum ignauiam prospiceret, ditionem sibi Canutus post se haberet commendatam: perduxitq; Henricus Canutum ad Luderum (tum ducem Saxoniæ, postea imperantem) vt eius authoritate cuncta fulcirentur. Quamdiu autem superfuerant liberi ex Henrico, Canutus amici functus munere, consilio & auxilio illis non deerat: vbi defecerunt, morte subtracti, permittente Ludero iam Imperatore, Canutus Wandaliam regebat: intantum commendatus regi, vt coronam illi imponeret, nominans regem Obotritorum. Sed quoniam hæc in Dania, in Saxonia, in Wandalia, pro sua vbique parte attigimus, nunc breui commemoratione transimus.

*Obotriti bello subiguntur.*

*Canut ob virtutem adnitra bilis, regium nomen accipit*

CAP. 15. 1134. INTEREA ad annum Christi trigesimum quartum post mille centum à Christo, quum Canutus Obotritorum rex in Dania excusus esset, successerũt in principatu Wandaliæ Pribislaus atq; Niclotus: altero Wagrienssium & Polaborum, altero Obotritorum, quæ est Magnopolis, prouinciam gubernante. Christianis nullus locus sub his videbatur, inualuitque nimis idolorum cultura. Vicelinus autem, qui

per

per tempora Canuti Obotritorum regis (cui erat pro vtriusq; virtute familiarissimus) plurimam in gentem verbum Christi disseminasset, cerneretq; zizania nimis superexcrescere, adiit Imperatorem Luderum (Lotharium vocant Itali) in Bardewico tunc agentem: expositúrque multos conatus reducendi Christianismi in Wandaliam esse frustratos: non nisi in manu forti cessurum populum. Esse opportunissimum locũ muniendæ arcis in terra: quæ si firmaretur, sub iugo posset populus contineri. Misit Imperator qui specularentur. Placuit locus editissimus: iubet conuenire gentem Wandaliæ omnem, quæ Saxonibus parêret. Venerant Wanda lorum primores, iubentur operas partiri ad arcem inibi firmandam. Tunc inter se collocuti Wandali alter ad alterum, Quis, inquiunt, Imperatori prodidit locũ illũ? ego tibi auguror, ex hac arce, in omnem Wandaliam grauissimas nobis gentique nostræ excursiones imminere. Ad quam vocem quidam eorum, Vides, inquit, ho muncionem recaluum Imperatori adstantem? (Vicelinum autem demonstrabat) ille nobis malum hoc inuexit. Firmatur arx in monte, nomenq; sortitur, vt Mons victoriæ, hoc est, lingua nostra Segeberg, diceretur: quum prideꝫ esset illi nomen Alberch. Quam Imperator cuidam Hermanno ex suis ministerialibus commendauit: ecclesiamq; ad radicem montis iussit extrui, quam vna cum Lubecensi, in vrbe veteri, commendauit Vicelino. Et quum per id tempus obiisset Fridericus comes Stadensis, Imperator veniens Hersfeldiam, pecuniam quam Fridericus comes Stadensis eidem monasterio contulisset, sexcentas marcas argenti, altari abstulit. Ordinatisque rebus, dedit ducatum Saxoniæ genero suo, Henrico Catulo, duci Bauariæ, qui erat ex matre nepos Magni Saxoniæ ducis. Quem etiam secum assumens, profectus est secundò in Italiam: ibique defecit in reditu.

*Idololatria denuo grassan te euangelij cursum sistitur.*

*Arcem extrui Wandali a-gré ferunt.*

VICELINVS autem legationis sibi creditæ solers curator, idoneas euangelio personas ad opus sacri ministerij conciuit: ex quibus Ludolphum, Hermannum, Brunonem in Lubeke cõstituit, Lutmundum cum cæteris in Segeberg. Iste Lutmundus postea factus est præpositus in Heslinge, & ciaustrum transtulit in Zcuenam locum, quo etiam nunc manet. Qui conuentus olim habuit insignes abbatissas, quarum nouem sepultæ memorantur in Heslinge: nunc verò solùm est prioratus. Obitus deinde Imperatoris Lotharij (siue Luderi) & assumptio Conradi Sueui, res quoque harum partium perturbauit. Nam Conradus rex non passus præesse vnum duobus ducatibus, Saxoniã ademptam Henrico Bauaro, dedit Adelberto, nomine Vrso, marchioni de Brandenburg: qui & ipse nepos erat Magni ducis Saxoniæ, ex altera filia. Occupauit Albertus arcem Luneborg, & vrbem Bardewick cum Brema. In id enim licentiæ processum fuit, vt vrbem Bremam ecclesiæ ademptam, duces sibi vendicarent ex eo tempore, quo Luderus captum Liemarum archiepiscopum laxauit, dato illi vrbis imperio, vt diximus suprà. Adolphus quoque Holsatiæ comes (nam pater in fata cõcesserat, quum sequeretur fidem Henrici Bauari, & socrus eius Rixæ, quondam Imperatricis) cedere Holsatia, quã ex Ludero tenuit, armis cogebatur. Eamque Albertus commendauit Henrico de Badewide comiti, qui etiam arcem Segeberg occupauit, Hermanno, quem Luderus præfecerat, iam mortuo, pulsis cæteris, qui obstare videbantur. Quo etiam tempore Pribislaus Wandalorum princeps, nactus temporis opportunitatem, quum videret principes Christianos inter se collidi, facto impetu, suburbium Segeberge euastauit, oratoriũ incendit. Ex fratribus quosdam, quum pertinacius sacra tuerentur, gladio cecidit: alij fugerunt in Falderam. Qui verò Lubeke demorabantur, in arce stabant cum principe Pribislao, qui illis non aduersaretur. Vnde coniici potest, expeditionem illam non odio Christianitatis, sed odio tributorum aut aliunde esse excitatam. Viderant tamen alligatos à barbaris Christianos trahi, ac dirè tractari. Vigebat adhuc in gente Wandalorum diuersitas super principatu, inter posteritatem Critonis & Henrici. Aberat Pribislaus domo, quum aduersæ factionis hostes Lubecam inuadunt, veterem arcem cum oppido demoliuntur: sacerdotes elapsi, Falderam requirunt.

*Cap. 16.*

*Henrico Bauaro Saxoniam Conradus adimit.*

*Principum Christianorũ discidia pernitiosa.*

VICELINVS pater iterum cernens opus diaboli prævalere, Christiq; honorem posthaberi, ingemuit: orationibusq; & lachrymis intentus cum fratribus, hoc

*Cap. 17.*

armorum genere interim militabat. Henricus verò qui Holsatiam administrabat, sategit paria in Wandalos pridem excurrentes referre: nam crebrius euastatis vicinis locis, cum præda redibat. Holsati autem pristinæ virtutis memores, inuicem hortati, etiã sine comite arcem & præsidiũ Plone oppugnãt, & capiũt: firmantesq; præsidium militum, exinde tenuere pro suo. Henricus interea Bauarus, Saxonia eiectus, viribus comparatis, redibat, & amissa recuperabat, & Albertum consobrinum suum vicissim eiecit, rediitque cum illo Adolphus de Schowenborg comes in comitatum. Sed Henricus ille pridem impositus, quum partibus suis diffideret, abiturus, omnia igni consumpsit, quæ antè firmauit: in Segeberg & Hamborg, arcem firmissimam, quam opere murato mater comitis ibi fundauit, fugiturus deiecit: & quicquid senior Adolphus exædificauit, ipse fugiens prostrauit. Ita rediit Adolphus secundus in antiquam possessionem & paternam ditionem. Sed mortuo non diu pòst Henrico Bauaro, filius eius Henricus Leo paruulus, successit in vtroque ducatu. Mater autem pueri quum aduersaretur Adolpho Holsatorum comiti, dedit Wagriam (quæ iam capta fuit à Wandalis) memorato Henrico de Badewide: præsertim quum ille bonã ibi partem gladio cepisset. Quum autem mulier illa, Henrici Leonis mater, ad secunda vota cõuolaret, nubens Henrico fratri Conradi regis (quem ille ducem Austriæ crearat) abalienata negociis Saxoniæ, Adolphus apud pueri tutores egit, vt Wagria accederet Holsatiæ, sibique redderetur: Henricus autem acciperet terram Polaborum, qui est comitatus de Raceborg. Ita rebus compositis, Adolphus instaurauit arcem Segeberge, cinxitq; muro. Ædificauit deinde ciuitatem in loco qui dicitur Bucu, quem olim inceptauerat Crito, cui ex vna parte Trauena præterfluit, ex altera lacus ingens Wakenisse: appellauitque eam Lubeke, eo quòd non longè esset à veteri Lubica, quã Henricus princeps Wandalorum firmauit. Erat autem post M C. annus quadragesimus. Ea est quæ nunc floret ciuitas opulentissima, omnium vrbium Saxonici nominis ornatissima: cœperuntque inhabitari deserta Wagriensis prouinciæ: & multiplicabatur numerus accolarum eius, de variis nationibus, quos inuitauit datis agris Adolphus, immunitatemq; præstabat per certos annos tributorum. Venerant ex Westphalia, Phrisia, Hollandia, qui accolerent.

*Henricus Bauarus Saxoniam recuperat, & restituitur magnã cũit.*

*Lubica nouã conditur.*

1140.

CAP. 18. VICELINVS tum quoque prædia recepit, adiutorio comitis Adolphi, quæ Imperator Lotharius ad vsum monasterij & subsidia seruorum Dei, non longè à Segeberge donauit. Visum fuit esse ex commodo fratrum, propter tumultus ab arce, & crebras conuentiones militarium, monasteriũ in proximo villagio (quod Sclauicè Cusalina, Saxonicè autem Hagerstorpe dicitur) fundare, & ecclesiam nihilominus in memorato loco relinqui. Misit Vicelinus Folcardum sacerdotem, cum industriis viris, qui oratorio & clausstralibus officinis exædificandis operam darent, maneret tamen prior ecclesia ad radicem montis in Segeberg. Eo tempore Thietmarus, Vicelini quondam discipulus, relicto decanatu Bremensi, deuouit se Falderensi collegio: qui destinatus Hagerstorpe, transmigrationi nouæ magno fuit solatio: vir vtique in spirituali conuersatione summæ perfectionis. Vicelinus quoque nouellæ ecclesiæ sibi commissæ solers curator, omni studio peregit, vt ecclesiæ opportunis locis ædificarentur, prouidens eis de Faldera tam sacerdotes quàm reliqua necessaria. Per hæc tempora comitatum Thietmarsiæ marchionatui subditum, Rodolphus Rodolphi filius, marchio marchionis, regebat: & per insolentiam habitatorum cæsus (vt pater suus) interiit. Frater autem eius Harduicus, maior, erat Bremensis præpositus: egitq; apud pontificem Alberonem, vt concesso patrimonio suo ecclesiæ (erat enim legitimus successor in Thietmarsia) perficeret vt in perpetuum is dominatus apud ecclesiã remaneret: ipsi vicissim, quoad viueret, Stadensis comitatus, quem iam liberè tenebat ecclesia, permitteretur. Placuit vtrinque commutatio, authoritate Cæsaris roborata: qui etiam comitem Palatinum dedit Hartuico defensorem. Henricus interim Leo puer, per tutores & consiliarios querimoniam excitauit archiepiscopo Alberoni, coram Imperatore Conrado: quòd idem archiepiscopus pollicitus diceretur matri Henrici, vt defuncto Friderico Stadensi comite, comitatum illi permitteret. Post multas querelas,

*Monasterium in arce extructum, alibi transfertur.*

*Stadensem comitatum ecclesia Bremensis pro Thietmarsia accipit.*

las, decreuit rex vt conuenirent in Ramslo, causam discussuri. Archiepiscopus, vbi ventum est, stabat ex vna: dux puer cum suis, ab altera parte. Auditores erãt Thietmarus Verdensis episcopus, Albertus marchio, Hermannus comes de Wintzenborg, & frater eius Henricus de Asle. Vbi diu verbis est disceptatum, milites ducis arma capiunt, archiepiscopum captum abducunt, & in Luneborg arcem perducunt. Ibi multo tempore illum tenuerunt, vt minis extorquerent, quod aliàs non poterant: sed vbi nihil profecerant, abire sinunt. Hartuicus præpositus si venisset in manus ducalium, actum de illo fuisset: sed ille mittebatur Alberto marchioni propinquo suo: ille acceptum cum honore remisit in sua. *Archiepiscopus etiam captus nihil remittit.*

VERDENSIS ecclesia paulo ante hęc tempora pontificem habuit Masonem, ordine vigesimum quintum: qui, vt ex scriptis suis colligi potest, non diu præfuit ecclesiæ: quia Thietmarus successor suus eum dicit episcopum designatum. Obiit VIII. Calend. Nouembris. Huius episcopi ordinationem Theodolphus Mindensis præpositus, & fratres sui, pro certis beneficiis sibi ab ecclesia Verdensi collatis, facta conuentione donauerunt ecclesiæ Verdensi prædia in Ghelderssen, in Borstele, in Esle, in Holtenbúttel, in Bollande, & in Norta. Et quoniam magis electus erat quàm plena authoritate gubernans, vix meruit in numero pontificum collocari: quia tamen numeratum in eis accepimus, hunc dedimus ei inter alios locum. Successit illi Thietmarus secundus, ordine vigesimus sextus. Hic contulit ecclesiæ vndecim decimas, quinque mansos in Masendorpe, & VI. mansos in Roschow. Instituit etiam sibi adhuc viuens solennem memoriam: & multa alia bona fecit, quibus fratrum stipendia plurimum ampliauit. Hic etiam contulit fratribus decimam in Esle, diuq; præfuit ecclesiæ suæ, per annos quadraginta: & post multa laudabilia opera, ad annum Christi, MCLXVIII. ex hac vita migrauit, IX. Calen. Octobris. Hoc tempore multi pręstantes viri claruerunt, Petrus Lombardus, quem vocant Sententiarum magistrum, Hugo de sancto Victore, Richardus de sancto Victore: Gratianus monachus, decretorum conscriptor: ac nonnulli alij, quorum ingenia præclara illos misere in æternam memoriam, per præclara quæ reliquere opera. Vidit hic pontifex, & interfuit, quum abduceretur Adalbero archiepiscopus Bremensis: indoluitque vim tantam. Sed quid faceret, armis ducalium deterritus? Vidit multas Friderici Imperatoris violentias, quas ille per tyrannidem diu exercebat in ecclesiam, quum vellet Imperij iura (pro quibus duo Henrici certauerant, quartus & quintus) recuperare: sed nihil profecit, domitus (vt alij) gladio ecclesiæ spirituali, qui solus præstitit incolumem rem ecclesiasticam in omni prouincia, aduersus tyrannos obluctantes. *Episcopus dimidiatus.* *Petri Lombardi & aliorum doctorũ ætas.* CAP. 19. 1168.

IN Mimigardeuordensi ecclesia hoc ordine inuenio Burchardum post Theodoricum: necadiiciunt Annales, an is sit qui cum Theodorico de cathedra certabat, quum partes eius tueretur Henricus quintus: sed cùm pro Theodorico faceret dux Saxoniæ Luderus (pòst imperans) deiicitur, & Theodoricus reponitur. Sed quòd sit iste alius, conuincitur ex hoc, quòd Burchardus prior in legatione Imperatoris Henrici defecit: & tum primùm Theodoricus reponitur. Non potuit ergo Theodorico succedere iam antè defunctus in legatione. Habetq; testimonium iste Burchardus post Theodoricum numeratus, quòd ecclesiam, sub Theodorico per bellicum tumultum concrematam, restauauerit: quod temporibus primi Burchardi dari non potuit. Facit tamen numerus & ordo (nam iste Burchardus decimus nonus habetur) vt prior Burchardus in numerum non ponatur: alioqui esset iste vigesimus. Hoc tempore claruit Petrus Comestor, presbyter ecclesię Trecensis, vir in diuinis scripturis eruditus, atque in secularibus literis non minus egregiè doctus, carmine insignis & prosa. Scripsit vtroq; stylo plurima, quæ ecclesia vsque hodie comprobauit. Scholastica historia eius opus est, sermonesq; reliquit egregios de tempore & de sanctis. Eodem tempore Petrus dictus de Riga, clericus ecclesiæ Rhemensis, multa scripsit. Eius est opus, quod inscribitur Aurora. Scripsit in omnes pene sacri canonis libros memorabiliter. Tum etiam Ioachim abbas Florensis, ex Calabria natus, multa scripsit, & spiritu prophetiæ clarus habebatur. Sed quum in sanctam Trinitatem introducere niteretur quaternitatem, ad- *Petrus Comestor egregius scriptor.* *Quaternitas pro Trinitate.* CAP. 20.

uersus Petrum Lombardum differens, meruit ab ecclesia condemnari. Virorum virtutes illustris quoque fœmina insigniuit Roswida: ea fuit sanctimonialis Gandersensis, in diœcesi Hildesemensi. Scripsit comœdias ad virgines sacras, castitatem & continentiam in primis commendando. Scripsit & panegyricum de gestis Ottonum, hexametro versu: in laudes diuę Dei genitricis, elegiaco carmine, quod incipit, *Vnica spes mundi.*

CAP. 21. HILDESEMENSI ecclesiæ per hæc tempora, post Bertoldum præfuit Bernardus, vir præclarus, vndecunque natus, singulari affectus deuotione ad prædecessorem suum Godehardum: quem miraculis crebrescentem, effecit vt de tumba leuatus canonizaretur, relatus in catalogum sanctorum. Ipse verò sancto nomini eius dicauit monasterium fratrum in parte ciuitatis, quod extat hodie in Brule. Præfuitque ecclesiæ annis XXII. cum magna laude. Hic est ille, qui ecclesiæ suæ addidit dominatũ de Wintzenborg, cum oppido Aluelde: admonitus (vt ferunt) à spiritu, qui se in arcibus ecclesiæ familiariter fertur iunxisse multis, vera sæpe prædicens: Piliolum appellauere. Qui, quum comes de Wintzenborg à milite Sueuo, cuius ille temerasset vxorem, oppressus esset, excitatus dicitur primo mane ab eo spiritu pontifex, vt indilatè profectus, arcem vacantem occuparet. Non cõtempsit ille vocem monitoris, reperitq; quod audiuit verũ: & occupatã arcem, Imperatoris deinde authoritate tenuit tenetq; in hodiernum. sed oppidũ Aluelde, hodie florens, paret ecclesiæ. Sunt autem ista tempora Imperatoris adhuc Lotharij, qui eadem tempestate monasterium dominarum in Lutter, commutauit in locum fratrum, iubens consecrari in honorem apostolorum Petri & Pauli. Profectusq; secundò Romam, quum à summo pontifice Innocentio secũdo vocaretur, inde reportauit insignes indulgentias, quæ vsque hodie celebres habentur. Ipse tamen deficiens in itinere, non est reuersus: sed corpus eius cum literis papalibus perducitur in locũm memoratum: ibiq; religiosè tumulatur: & dedit nomen loco, vt ex eo die dicatur Regale Lotharium. Erat annũs trigesimus septimus post

*Spiritus sancti huius episcopũ monet, vt arcem occupet.*

1137. M C. Moguntia, Spira, Gosslaria, eodem tempore penè deflagrarunt. Maxima tum in Imperatoris exercitu subitò est exorta mortalitas: de qua & ipse tactus, decessit, tertio Nonas Decemb. Conturbati sunt hac fama omnes principes Imperij: virtus quoque Saxonum tanto principe illustrata, penitus concidit: & in Wandalia res ecclesiasticæ labefactatæ sunt. Statim enim vt corpus defuncti Cæsaris perlatum est in Saxoniam, & Lotharij tumulatum, ortæ sunt seditiones inter Henricum generum Cæsaris, Bauariæ ducem, & Albertum marchionem, cõtendentes pro ducatu Saxoniæ. Ambo enim nati sunt ex filiabus Magni ducis Saxoniæ, ante Luderum siue Lotharium nouissimi.

*Principum dissensiones ecclesiæ luctuosæ.*

CAP. 22. MAGDEBVRGENSI ecclesiæ post Norbertum, virum religione præcipuum, præficitur Conradus comes de Queruorde, ordine XIIII. præfuitq; ecclesiæ annis septem. Obierat per id tempus Burggrauius Magdeburgensis, sine prole legitima: & suffectus est Imperiali beneficio Burchardus, germanus frater archiepiscopi Conradi. Dudum quæsiui mecũ, nec reperi, quid habeat diuersum Burggrauius, comes, marchio, comes prouincialis, quem non bene Latinè appellant Landgrauium. Equidem de prouinciali comite & marchione iam compertũ est: quia inter principes numerantur, comites indistinctè non ità. Sunt enim in eis qui principes habentur, de Anehold, & de Suartzeburg, & si qui sunt alij. Ex domo quidem de Anehold prodierunt principes, videlicet de Brandenburg marchiones, & Saxoniæ duces inferiorum partium. De Suartzeburg autem domus etiam Imperatorem habuit Guntherum, qui Carolo quarto cessit. Ea si sit domorum in nobilitate prouectio, vt inde numerentur inter principes, *Quærite quos agitat mundi labor.* Cæterùm comites à Burggrauiis quid discrepent, audire velim, & quis maior gradus in nobilitate. Video quia comes prouehitur ad hoc, vt sit Burggrauius: sed quis est, qui etiam cum accidente lucro non accipiat minorem, si offeratur, dignitatem? Doceant nos heraldi nobilitatis præcones, & referant, qui tenent, in literas, vt passim omnibus compertum habeatur, an ibi quoque mundus opinionibus regatur. Sed iam finis sit ad alia festinantibus.

*Nominum & titulorum varietas.*

HALBER-

HALBERSTADENSI eccleſiæ illo ferme tempore ſub Lothario præficitur Cap. 23.
inſignis vir Rodulphus, ordine XVII. præfuitq; annis quindecim. Eius memoriale eſt iter, quod eſt per immeabilem paludem: ipſe verò magno ſumptu & labore fecit, vt eſſet tranſibile. Ferunt, hoc tempore in ciuitate Padeſburnenſi viſos circulos ad ſolem duos: quorũ interior eccleſiæ magnitudinem, exterior vrbis complexus fuerit latitudinẽ. Vixdum euanuerat, exortũ eſt incendium, & vrbs pene tota cum eccleſia miſerabiliter conflagrauit: verſaq; eſt dies meridiana in noctem. Cla-
ruit hoc tempore Rupertus Tuitienſis abbas, è diuerſo Coloniæ, natione Teuto- *Rupertus Tuitienſis abbas.*
nicus, vir in diuinis ſcripturis, ſpiritu ſancto per viſionem illuſtrante, doctiſſimus,
& ſecularium literarum non ignarus. Quum eſſet monachus ſancti Laurentij Traiectenſis, propter incredibilem eruditionem ſuã à Friderico Colonienſi archiepiſcopo in hoc monaſterium tranſlatus, abbas claruit. Multa præclara ſcripſit. Ex eo enim tempore quo in adoleſcentia cœnobium primò attigit, tantũ ſe in ſcripturis ſanctis exercitauerat, vt nec dormiens quidẽ à meditandis illis videretur quieſcere. Scripſit de victoria verbi Dei libros XII. incipit, *Nuper quum tu hoſpes optabilis.* Scripſit & in Geneſim libros nouem: incipit, *Quicunque fideli animæ.* In Canticacanticorũ: incipit, *Qui contra hominem ſimilem ſibi.* In Apocalypſim libros duodecim: incipit, *Vt tu quoque venerabilis.* De officiis diuinis libros tredecim: incipit, *Et quæ per circulum anni.* Meditationes de incendio Tuitienſi: incipit, *Ecce quomodo criminator Satan:* &
reliqua multa. Obiitque ſub Imperio Lotharij Saxonis, cuius tempora tenuerunt & illi pontifices quos memorauimus.

BREMENSI deinde eccleſiæ poſt Adalberonem, ſub Conrado Imperatore Cap. 24.
tertio, præficitur Hartuicus maior, pridem eius eccleſiæ præpoſitus, iam etiam comes Stadenſis, permutatione (vt diximus) facta cum eccleſia, vt pro Thietmarſia Stadenſem ſumeret comitatum. Operæprecium eſt nobilitatis eius altius ſtemma repetere, vt principum eius temporis originem recolamus, perinde de ſtatu rerum ac temporum magis ac magis inſtructi: ſimul inſpicientes, quo iure quæq; prouincia ex vicinis tum cenſeretur. Quum Henricus primus rex eſſet per Germaniã, pater magni Ottonis, ante annos ex hoc tempore ſupra ducentos, Stadenſem comitatum tenebat Henricus cognomento Craſſus, arcem inſidens in loco
Roſenuelde, nunc Herſeuelde. Hic ex vxore filium ſuſtulit æquè Henricum, qui *Sacris initiatus coniugium inire papa permittit.*
in choro Hildeſemenſi canonicus, ad ſacros ordines peruenit. Defunctis parentibus & fratribus, quum ſolus ſupereſſet, hæreditatem arripuit paternam. Vxorem duxit, Apoſtolica fortè interueniente diſpenſatione: quam ſi, pro temporum ſimplicitate & inſolito ritu inductus fortè neglexit, eleemoſynis tamen poſtea largiſſimè redemit. Nam tempore primi Libentij arcem demolitur, conuentum ibi clericorum inſtituit, & cenſibus locum ditauit. Ter ſe captiuum eccleſiæ cõſtituens, auro, prædiis & ornamentis, quaſi de manu victoris ſe redemit: quæ omnia donabat inſtituto fratrum conuentui. Genuit ex vxore Hildegarda filios, Sifridum
marchionem, & Tiadericum comitem: quorum Sifridus inſtaurati oppidi Stadenſis nomen habet. Iam Otto tertius ad Imperium venerat: & rebus gerendis per Italiam implicitus, locum fecit Danis & Normannis digraſſandi, qui graui manu per littora Germaniæ atque Franciæ diuagabantur. Aſcenderant per Albim fluuium: & ingreſſi terram, vicina Stadij populantur, oppidum expugnant, arcem confringunt demolientes. Marchio Sifridus cum fratre & militaribus viris, *Dani & Normanni piratæ primo victores, deinde victi.*
quos habebant, collecta manu valida ex omni Saxonia, illis occurrit. Pugna grauis geritur, diu pari marte certatur: ſed inclinata Saxonum virtute, piratis victoria prouenit: capitur quicquid cædi ſuperfuerat. Sifridus cum fratre & multa nobilitate in manus hoſtium peruenere. Quumque demorarentur piratæ, vt capti precio redimerentur, Sifridus piſcatoria naui furtim per noctem abducta elabitur. Indignati hoſtes, quòd nobiliſſimum ex captiuis amiſerint, cæteros inhoneſtis vulneribus deformãt, manibus, pedibus, naribus aut auribus præciſis: quorum multi diu ſuperfuere. Sifridus marchio Bennonem Saxoniæ ducem, Hermanni filium (quem primus Otto ad ducatum prouexerat) interpellat de auxilio ferendo. Validum exercitum conſcribit, & verſa in ſe victoria, cædit & capit

immanem illam barbarorum multitudinem. Multos appendit strangulatos: vnde loco diu nomen remansit, vt Worgebur diceretur. Alia deinde manus Ascomannorum (hoc enim nomen piratis tum vulgò dabant) per ductorem quendam Saxonem ad iter monstrandum vi coactum, in locum abducti difficilem, superueniente Saxonum militia, miserabili exemplo perimitur. Hic Sifridus filium sui nominis reliquit: qui acceptа vxore Adila, genuit Luderum comitem. Cuius tanta extitit fortuna, vt duceret vxorem, Rodulphi Sueuiæ ducis amitam, quem Henrico quarto principes opposuere regem. Hic genuit Vdonem primum, cuius temporibus Stadensis comitatus prouenit ecclesiæ Bremensi, vt tamen in feudum teneret marchio Vdo memoratus. Geminos hic filios reliquit, Vdonem atque Rodulphum. Rodulphus iste pater erat huius Hartuici atque Rodulphi iunioris, quē Thietmarsi post patrem & nonnullos priores cōtrucidarunt. Quum interim mortuo secundo Vdone, & filio eius paruulo Henrico, comitatus Stadensis ad Fridericum alienigenam peruenisset: cuius morte rediit ad hunc Hartuicum, & per illum ad ecclesiam. Nam interim patrimonium suum in Thietmarsia, ecclesiæ iam tum præpositus, redonabat. Quam rem idcirco commemorandam putaui, vt illorum temporum cursum & terrarū dominia cernamus: præsertim quia hodie multi requirunt, quomodo Thietmarsia ad ecclesiam peruenerit.

*Bremensis ecclesia et Thietmarsiam & Stadium possidet.*

CAP. 25. HARTVICVS ergo vir nobilis, ex maiore ecclesiæ præposito pontifex factus, quum cerneret antiquam matrem Hamburgensem ecclesiam veteri legationis honore destitutam, instituit ab alia parte religionem propagare: præsertim vt multis ex paganismo Wandalis ad Christum, opera Vicelini, prædicatoris strenui, conuersis consuleret, ecclesias olim per eam gentem demolitas renouauit, Aldenburgensem, Mekelnburgensem, Raceburgensem. His enim locis à memoria primi Ottonis erant institutæ, quæ in morte nepotis eius, & deinceps sunt demolitæ: sunt deinde per Godscalcum gentis principem instauratæ: sed demum cum illo extincto iterum subuersæ, quum occiso per martyrij gloriam eodem principe, tota fere gens ad paganismum iam tertiò est relapsa. Prima quidem renegatio fuit post susceptum a Carolo Magno Christianismum, de qua in Wandalia nostra. Sed pontificum loca primus discreuit Otto magnus, qui in Aldenburg, ciuitate primaria Wagriorum (pars ea prima fuit Wandalicæ gentis ad Oceanum) primum posuit Marconem episcopum, subiiciens illi omnem prouinciam vsq; ad Panim fluuium, & oppidum Demin. Alios inde à Magdeburg idem Otto, quam ordinauit metropolim Wandalorum, in eam Wandaliæ partem, quæ nunc marchia vetus Brandenburgensis appellatur, fecit episcopatus: quod in Saxonia attigimus. Marconi autem in Aldenburg succesit Egwardus, cui Wago, illi Ezico subrogatur: inde Folcardus, deinde Rembertus, sufficiuntur ex ordine. Benno illum excepit, & deinde illum Meinerus, quem insecutus est Abelinus, illum Eizo: quo modo illorum quoque supra meminimus, hoc ordine. Tempore autem Adalberti archiepiscopi Hamburgensis, episcopatus Aldenburgensis in tres est diuisus, pro sui distractus magnitudine, vt esset Raceburgensis & Mekelnburgensis: ex Wandalica lingua autem in Latinam, iuncta Græca, sonat Magnopolim: qui nunc ducalis est titulus, olim fuit ecclesiæ, quæ exinde transiuit in Suerinensem. Raceburgensi Adalbertus per sua tempora præfecit Aristonem, in Mekelnborg Ioannem de Scotia venientem, qui in persecutione nouissima meruit cum Godscalco principe martyrio coronari, quod in Wandalia diximus. Erat autem Mekelnburg grandis villa, duo pene millia passuum Teutonica complexa in longitudine, tribus arcibus insignis, in vtroque termino & in medio principum habitationi firmatis. Postquam igitur, permittente Deo propter peccata hominum, Christianitas est annullata in Wandalia, vacauerunt hæ sedes annos LXXXIIII. à cæde Godscalci, in hunc annum Hartuici archiepiscopi: qui propter generis nobilitatem, duplici principatu clarus, magno studio enisus est, pro recuperandis episcopis suffraganeis per vniuersam Daniam, Suediam, Norwagiam: quas ecclesiæ Hamburgensi ab olim fuisse subiectas memorauimus. Sed quum obsequiis & variis largitionibus apud summum pontificem & Conradum regem nihil profeciisset, ne omninò ecclesia sua

*Christianismi apud Wandalos florentia & ruinis vicis.*

*Magnopolis verbum magnitudo.*

careret

careret sufftraganeis, aggressus est, veteres episcopatus, per Wandaliam iamdudū supplantatos, resuscitare, redeunte fide Christi per gentem.

ALDENBVRGENSI igitur, quæ prima fuit, & duarum mater ecclesiarum, accitum venerabilem sacerdotem Vicelinum, sedi consecrauit episcopum, quum iam esset ætate prouectus, & mansisset prædicans per Holsatiam & Wandaliam annis triginta. Huius verò sanctissimi pontificis præclara opera, in nostra Wandalia pro magna parte explicuimus: sed vnum, quod sanctitatem eius contestatur, ibi præteritum, commemorabitur hoc loco. Virgo quædam Imma nomine, grauiter hoc tempore à dæmonio vexabatur, & ad Vicelinum perducta est. Qui quum interrogaret ex spiritu, cur vas incorruptum temerare præsumpsisset, respondit, Quia tertiò me offendit. In quo (ait ille) te offendit puella? Quia, inquit, negocium meum præpediuit. Bis enim transmisi fures ad perfodiendam domū: sed hæc iuxta ignem sedens, clamore suo eos absterruit. Nunc quoque legatione principis nostri in Daniam functus, videns hanc in via, tertiò offensus, in eam sum deuolutus. Sed quum vir Dei coniuraret eum, ait, Cur propellis paratum vltrò egredi? iam enim abibo ad proximam villam, visitaturus sodales meos, qui illic latent: hoc enim in mandatis accepi, priusquam in Daniam proficiscar. Quod tibi est nomen? rogat Vicelinus, aut qui socij tui? vel cum quibus habitant? Ego, inquit, Ruffinus vocor: vnus sociorum meorum est cum Rotesto, alter cum muliere quadam eiusdem oppidi. Hos hodie visitabo: cras, priusquam prima pulsata fuerit, huc valedicturus reuertar, & tunc in Daniam proficiscar. Et hæc dicens egreditur, & virginem dimisit. Iussit eam Vicelinus reduci, & crastina ante horam primam reduci in ecclesiam. Quam quum mane parentes ad ecclesiam ducerent, priusquam limen calcarent, prima pulsari, & virgo cœpit vexari: nec tamen Vicelinus prius abstitit, quàm idem spiritus, potentia Dei fugatus abscessit. Rodestus breui maligno spiritu correptus, laqueo semetipsum strangulauit. In Dania quoque occiso Erico rege, perturbatio grauis erupit: adeò vt oculis probari potuerit, magnum ibi diabolum aduenisse in afflictionem gentis illius. Vicelinus autem, his atque aliis sanctitatis præcipuè pollens testimoniis, ad episcopatum Aldenburgensem meritissimus prouehitur, quem tenuit per annos quinque. Medium verò temporis huius vix peregit incolumis, reliquum autem in grauissima paralysi, mirabili probamento patientiæ eius: & euolauit anno Christi, MCLIIII. multis clarescens miraculis, & ante & post mortem. Nec cessant in hodiernum mirabilia, quæ per merita illius dignatur operari solus sanctus Deus noster: de quibus pauca diximus in nostra Wandalia, quæ etiam in diebus nostris apparuerunt.

CAP. 26.

*Vicelinus cum demone vir-ginem obsidem colloquium.*

*Vicelinus epi-scopus paraly-si detinetur.*

1154.

MEKELNBVRGENSI ecclesiæ idem Hartuicus, eodem tempore, videlicet anno Christi, MCXLIX. in terra Obottitorum ordinauit episcopum Emehardum, alij vocant Euerhardum (quod non propius accessit vsui nostro) quum antea habuisset solum Iohannem martyrio coronatum, ante annos octoginta quatuor. Ponebantur tum episcopi quo modo Apostoli, ad prædicandum & ad baptizandum: non (vt hodie) ad excommunicandum & triumphandum. Cœperant Wandali tum primùm, post longum errorem, iterum auscultare verbo Christi, & euangelio eius, manſuetudine potius inuitati, quàm terroribus coacti. Susceperant Obotriti (qui nunc Magnopolenses honestato vocabulo dicuntur) fidem Christi sub Magno Carolo, cui erant fœderati: sed statim abiecerant, illo iam humanis rebus exempto. Coegit Otto Magnus fidem semel proiectam recipere, quum illos subiiceret episcopo Aldenburgensi. Seruarunt aliquandiu: sed tributis grauati, abiecerunt in morte Ottonis tertij. Superuenit contemptus principis Mistiwoi, & vindicta de nece paterna Godscalci iuuenis: & redierūt ad sordes pristinas. Sed idem Godscalcus iam canescēs, errorem suum correxit: & impensa singulari opera, omnem penè terram Christo reduxit. In qua sanctissima opera periit, Christo animam suam offerens: & secuta est tertia omnium grauissima Wandalorum ad paganismum reuersio, durans per annos octoginta quatuor, hoc est ab anno Christi, MLXVI. ad annum MCXLIX. (qui est annus quem nunc scribimus) quo plene

CAP. 27.

*Quæ hodie fa-cinunt episcopi, ab Apostolis non didicerūt.*

ad Christum reuersi Wandali, nunquam de integro recidiuarunt. Verum est tamen, quòd post hæc tempora plurimus fuit labor cum gente, priusquam ad fidem firmarentur: sed ex hoc die tota gens nunquam est relapsa. Perdurauit autem sedes ista episcopalis in loco suo per tempora huius pontificis, qui plurimo labore institit ad gentis conuersionem: multos quidem lucratus est, sed plures remanserunt increduli ad tempora successoris. Apostolicam & vitam & conuersationem inter gentes habuit hic pontifex, non palatiis gloriatus, aut sublimibus caballis vectus, sed pedes ipse cum peditibus peragrabat. Modestia, mansuetudine & humilitate plures lucratus, quàm alius potuisset armatus gladio. Peruenit autem vsq; ad annum Christi sexagesimum: & in pace Christi quieuit, necdum populo omni ad Christum conuerso, magnatibus etiam restantibus.

*Qua ratione homines ad Christum adducantur.*

CAP. 28. RACEBVRGENSI autem ecclesiæ per idem tempus Hartuicus archiepiscopus præfecit Euermodum, qui ante memoratum tempus annorum octoginta quatuor, solum habuit præcessorem Aristonem. Sed nullæ erant reliquiæ aut possessionum, aut prædiorum aut sacrorum eius, per tantum tempus, omni populo permanente in paganismo. Sed Henricus dux Leo, facilè tum impetrauit ab episcopis quos constituit, vt ab eo paterentur inuestiri: quippe qui nihil omnino nisi de illius manibus habebant. Reluctatus est tamen diu Vicelinus, qui non ignoraret desuper constituta & conuenta inter regnum & sacerdotium, tempore Calixti pontificis & Henrici Imperatoris quinti ex eo nomine: admonente etiam Hartuico archiepiscopo, ne faceret. Sed diu reluctatus quum ab ecclesia sua excluderetur, nec alia esset via ad perueniendum eò quò tendebat (vt doceret & firmaret in fide populum) cessit necessitati temporum: & fecit inuitus, quod sciebat non licere. Euermodus autem bonus pontifex, iam Racisburgi ordinatus, non habebat quod recusaret, quia non inuenit aliunde vnde viueret. Erat autem præpositus aliquando Magdeburgensis, inde translatus ad hunc episcopatum, ordinem Præmonstratensium (quem ibi susceperat sub Norberto patre) huc adducens: permansitq; is ordo in episcopatu, & capitulo eius vsq; in præsentem diem. Multa præclara feruntur de hoc pontifice, ex quibus quædam signauimus in nostra Wandalia, inde repetat qui nôsse volet. Vnum præcipuum, quòd quum in pontificalibus quippiam operis nudis manibus esset facturus, chirothecas pontificales depositi, vt illi videbatur, in locum paratum. Festinans autem ad id quod erat gerendum, non attendit vbi posuerit: inuentæ sunt autem in aere pendere sine adminiculo: quod stuporem visentibus incussit. Multa sunt eius generis signa, quæ in conspectu gentis in fide firmandæ facta sunt, ad exemplum apostolorum, & deinceps Apostolicorum per ecclesiam virorum: quia tum linguis loquebantur nouis, fulsere miraculis, donec firmaretur Christi fides: idem quoque istis temporibus in noua gente vsuenit.

*Inuestiriſe à principe episcopi quando patiantur.*

*Episcopi chirothecæ fabulantes pendent.*

CAP. 29. VERDENSI autem ecclesiæ per eadem tempora, defuncto Thietmaro, ad annum Christi XLVIII. post centũ mille præficitur Hermannus: vndecunq; natus, vir præcipuus, multum dilectus Friderico Imperatori, qui Conrado, sub quo assumitur, successit in Imperio. Huic pontifici lis oritur aduersus Hartuicũ archiepiscopum Bremensem, super possessionibus in palude, vbi sunt termini ambarum diœcesium. Sed interuenere magni viri: qui limitibus vtrinq; consideratis, documentisq; altrinsecus auditis, terminarunt controuersiã: adiudicantes tamen ecclesiæ Verdensi prædia, de quibus contendebatur. Hic pontifex contulit ecclesiæ suę mediam decimam in Hasselwerder, & integram in Rockstede & Tunderlinge. Eugenius tertius summus pontifex, huic dedit priuilegium singulare, confirmauitq; omnia ecclesię Verdensis vetera indulta. Peruenit hic pontifex à temporibus Conradi ad multos annos primi Friderici, viditq; transferri corpora trium regum ex Mediolano Coloniam. Vidit temporibus primis episcopatus sui, expeditionem Conradi regis in terram sanctam, quum ex latere Italiæ, Ludouicus rex Franciæ similem faceret expeditionem. Sed Conradus cum exercitu transiens per terram Imperatoris Constãtinopolirani, ab illo mirabiliter ludificatus est: quũ polliceretur Imperator regi nostro commeatus abundè submini strare, misit pro farina calcem

*Episcoporum de finibus agitur.*

*Constantinopolitanus Imperator alludit expeditioni inuidet.*

calcem commixtam, vnde multi de exercitu mortui sunt. Peruenit tamen cum exercitu lacero in terram sanctam: & iunctis agminibus cum Ludouico rege Franciæ, multa tentauerunt magis quàm peregerunt. Nouissimè accessit illis rex Hierosolymæ Balduinus cum militia, quam promptam habebat: & ceperunt consilium obsidendi Damascum, potentissimam vrbem. Obsederunt: & proculdubio perseuerantes, fuissent prosperati. Erat inter primores regis Balduini, vir Armenus, diu nostris militans: qui corruptus ingẽti pecunia ab vrbicis, suasit Balduino, suasit regibus, vt altera potius parte oppugnarent vrbem, qua capi posse facilius videbatur. Transtulerunt castra, credentes: sed erat consilium obsessorum, vt ab aquis discluderentur: quod quia effecerant, siti laborantes, coacti sunt obsidionem soluere cum pudore. Ita parum profuit expeditio Conradi. Vna tamen in re profuisse Germaniæ dicitur, quòd qui soliuagi consuecuissent per itinera latrocinari, in eam militiam conscripti, pro magna parte non redierunt. *Expeditio Hierosolymitana Germaniam latronibus exhausit.*

MAGDEBVRGENSI quoq; ecclesiæ, circa eadem tempora, præfuit vir insignis, Fridericus, vndecunque natus, ordine & numero xv. qui in annum vndecimum præfuit eidem. Quo tempore Conradus rex, grauissimam in regno controuersiam super ducatu Saxoniæ sedauit, quum de eo Henricus Bauarus & Albertus consobrini contenderent. Obierat Henricus Bauarus, relicto filio paruulo Henrico, qui cognomen sumpsit Leonis: & fuit æquè grauis controuersia, paternis amicis pro puero certantibus. Ad digladiationem sæpe peruentum est, captæ vrbes & arces: sed rex, mortuo per id tempus sine hærede Henrico, Brandenburgensi marchione, eum principatum contulit Alberto de Soldwedel, quia liâs patrem habuit Ottonem de Salingstede & Anehold comitem. Vnde sedata est differentia super ducatu Saxoniæ, quum haberet Albertus prouisione regia, quod illi compensaret. Per idem tempus anni quadragesimi primi post mille centum, excitauit Deus spiritum trium fratrum, Dudonis, Adeconis, & Richsberti, vt nouellam plantationem in suburbanis Stadij erigerent, capellam ibi ligneam construentes: quam Adalbero, adhuc viuens Bremensis archiepiscopus, pontificatus sui decimo nono anno dedicauit: & Conradus abbas Hersueldensis, virum venerabilem Adalwardum, cum Eluero, Godscalco, & aliis fratribus eò misit. Dedicata est autem capella in nomine sanctæ Trinitatis, & Perpetuæ virginis, Petri & Pauli apostolorum, Ioannis apostoli & euangelistæ, Viti, Cosmæ & Damiani martyrum. Statuitque idem archiepiscopus, vt dicti tres fratres cum vxoribus & liberis, & reliqua progenie, & familia ipsorum, ibidem in perpetuum reciperent ecclesiæ sacramenta & sepulturam. Concessit etiam omnes colonos ecclesiæ, ab omni censu, expeditione villæ, vel vrbis munimine aut petitione precaria liberos. Idem verò conuentus diu in religione florens, vbi defloruit ætate nostra, ad annum Christi millesimũ quingentesimũ (quum grauis illa gregariorum militum manus immineret diœcesi) ciues subuerterunt domicilia firma cum ecclesia, ne essent hostibus receptacula: reddideruntq; fratribus numero paucis, locum in vrbe, in capella sancti spiritus. Sic res vadunt: non deficiunt fratrib. temporalia, nisi antè defecerint spiritualia. Sed hæc aliâs, & alibi, & per alios melius. *Cap. 30.* *Grauis de Saxoniæ ducatu controuersio.* *1141.* *Conuentum ab ipsis Christianis diruitur.*

PADERBVRNENSI ecclesiæ post Bernardum primum, præficitur Euergisus: præfuitque eidem ecclesiæ in decimum septimum annum, sub Conrado tertio Imperatore: quamuis alii reputent eius tempora sub primum Fridericum, cuius quidem Imperium potuit viuendo attingere. Quo tempore sub Conrado rege Bernardus Clareuallensis, in Francofordia crucem in expeditionem Hierosolymæ publicauit, vbi etiam puerum cæcum & claudum in præsentia comitis de Holsatia Adolphi sanauit. Signati sunt ibi, Conradus rex Romanorum, Ludouicus rex Franciæ, Fridericus dux Sueuiæ, Welpo Bauariæ, & multi principes Theutoniæ & Franciæ. Exercitus conflatur maximus, qui se in tres partes diuisit. Prima & maxima cum regibus Conrado & Ludouico transiuit Vngariam & Græciam, multo cum periculo. Dum enim inter quædam montana circa latera montis essent castrametati, bigæ, quadrigæ, victualia, sarcinasque portantes, iumenta, animantia & armenta sunt in medio locata propter pascua. Circa crepuscu- *Cap. 31.* *Bernard. Frā. coforti miracula edit.*

lum facta sunt tonitrua in supercilio montis, & tempestas maxima: & ecce noctis medio, aqua proruens, omnia quæ erant in vallis medio, homines & iumenta protraxit in mare. Residui transierunt Constantinopolim, deinde ad brachiũ sancti Georgij. Et Ludouicus rex Franciæ, dirigens iter versus Hierosolymã, magnã partem perdidit exercitus sui. Homines Conradi regis, siti & fame perierũt, rege cum validioribus in Græciam reuertente. Alter exercitus eiusdem signationis, nauigio transiens, rogatu regis Gallitiæ, Vlyxbonam cepit, antè à Sarracenis, inde à Christianis inhabitatam. Tertius exercitus se accinxit ad Wandalos, cum episcopis Saxoniæ. Intererat Henricus dux adolescens, Conradus dux de Laringia, Albertus marchio, Conradus de Within, cum pluribus, quorum in ve-10
*Signum militantium in expeditione sancta.* ste signum erat circulare, cruce superextante. Niclotus Wandaliæ princeps hoc sentiens, congregauit exercitum: & primus aggreditur bellum. Fama rei volauit per Saxoniam & Westphaliam: & omnes signati processerunt contra ipsos, obsidentes Dobbin & Demin. Ad extremum malis coacti Wandali, promiserũt suscipere fidem Christi, & Danos (quos multos tenuerunt) laxare captiuos: sed male impleuerunt. Sic illa expeditio sine magno fructu est soluta, festinante quolibet in sua.

CAP. 32. MIMIGARDEVORDENSI ecclesiæ tum præerat pontifex Egbertus, ordine vigesimus inter pontifices huius ecclesiæ. Hic monasterium puellarũ trans 20
amnem, tempore Theodorici episcopi incendio consumptum, restaurauit: & fœminas, ex illo incendij tempore euagantes in cognationibus suis specie quærendæ opis, sub anathemate reuocauit, & plurimum renitentes inclusit. Hæc sunt illa tempora, quibus in gente Sarracenorum claruerunt illa lumina literarum, Auicenna in medicinis princeps egregius, Auerrois diligentissimus Aristotelis commentator, Auenzoar quoque medicus, floruerunt in regno Granatæ. Nam Auicenna fertur fuisse dominus Cordubæ: ea olim patria fuit Senecæ & Lucani, clarissimorum in vrbe Roma virorum, qui origine Hispani fuere. De Auicenna fertur, quòd quum esset legis Mahumeticæ, pietatem tamen coluit: domum hospitalem exædificari fecit Cordubæ, in quo collegit omnium generum infirmos, vt experiretur in eis medicinæ suæ efficaciam. Ita libuit principi facere artis suæ experimentum, curiositate nescio magis an pietate inductus. Auerrois quoq; tum floruisse Cordubæ creditur: nam filios eius se vidisse in curia Friderici Imperatoris primi, testatur Ægidius de Roma in Quodlibetis. Vir ingenij singularis is erat Auerrois: & qui vbique suam secutus sententiam, aliorum sectas declinauit. Qualis inuentus est in omni philosophia, talis erat & in medicina. Vnde factum, vt pauci medici inhæreant doctrinæ eius. Magis enim ad iactantiam quam ad veritatem, à multis iudicatur scripsisse.

*Auicenna, Auerrois, & reliquorum Sarracenorũ ætas.*

CAP. 33. MINDENSI ecclesiæ per ea tempora præfuit Witelo, ordine pontificũ eius loci vigesimus secundus. Cuius temporibus diuus Bernardus, postea Clarenallen
*Cistertiensis ordo à Benedicto nõ effluxit.* sis abbas, insignis doctor, cum sociis supra triginta, ordinem Cistertiensem ingreditur, iam recens enatum de regula diui Benedicti, cum additionibus quarundam constitutionum. Nec diu pòst ordo Præmonstratensium exoritur sub patre Norberto: qui nomen tenet (vt fieri solet) à loco originis, qui Præmonstratum dicitur, sicut Cistertiensis à Cistertio. Quo etiam tempore moniales ordinis sancti Augustini, monasterium in Verden à comitibus in Wunstorpe, siue Leuenrode fundatum, de monasterio Auerenkercken assumptis virginibus, quæ intrauerunt festo Katharinæ virginis, anno Christi millesimo, centesimo, decimoquarto. Migrauit autem hic pontifex Witelo ex hac luce ad meliora anno vigesimo pòst MC. indictione XIII. die sanctorum Innocentum. Habet autem hic pontifex testimonium laudis & virtutis suæ in versiculis:

*Supplicat iste Deum, & motum detinet iræ,*
*Sedauit q; trium vox lachrymosa precum.*
*Quos fructus habeat simplex oratio iusti,*
*In precibus Moisi quisque notare potest.*

Testimonium deuotæ mentis, quæ apud Deũ (vt videmus) potuit impetrare quod postu-

postulauit. Deus enim (vt scriptum est) non exaudit peccatorem: sed si quis eius operetur voluntatem, illum promptus audit. Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio, vt scriptum legimus: & ante illum auus eius Aaron, medius inter Deum & populum sustinuit manum Dei vindicantis, & exclusit ignem sæuientem. Scripta sunt hæc propter nos, vt intelligamus, diuina decreta, quæ scelera persequuntur, precibus & meritis sanctorum posse suspendi: tolli posse, vt fiat repropiciatio. Non quo mutetur Deus vt homo, sed signa donat suæ perpetuæ in nos benignitatis & gratiæ: vt fugiant homines à facie arcus quem tetendit, in quo parauit sagittas suas. Nisi enim sanctorum preces & merita temporibus putaret profutura, nõ tam lachrymosè diceret, *Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus.* Nunc, inquit, auxilium ex hominibus defecit, ideo tuis nunc succurre præsidiis. Sed quid attinet inter narrationes temporum theologizare? nisi quia admonuit iste pontifex, multum fiduciæ ponere in suffragiis sanctorum patrũ: qui nobis per tempora magis atque magis incipiunt deesse, senescente mundo, & refrigescente multorum charitate, vt abundet iniquitas. Qua in re vigilandum magis pro se cuique, vt videat, & emendet vias suas malas, instructus lucerna pedum nostrorum, verbo Dei: quod vsque hodie non tacet, quod etiam præstat lumen semitis nostris. Sed hæc interim: ad tempora redeamus.

*Virum hemi nũ preces mala, alioqui ventura, arcent.*

*Ad respiscentiam omnes inuitantur.*

PHILIPPVS, ortus comitibus de Catzenellenbogen, in ecclesiam Osnaburgensem pontifex assumitur, ordine & numero vigesimus quintus: præfuitque cum summa laude. Nam & armis & religione tutatur ecclesiam, vt vtrobique res crescerent. Erant nobiles de Holte Barones (nam ministerialibus supereminebãt) qui quum fiderent arci munitissimæ, turbabant multorum pacem. Admoniti ab episcopo, rem contempserunt. Armis agendum putauit: vallauit arcem inexpugnabilem: & in septennium ita communiuit itinera, vt adiri non possent importandis commeatibus: & finaliter arcem de manibus eorum ademit, vt equiores essent in reliquum paci seruandæ. Duo monialium monasteria sub huius pontificatu sunt erecta: primum ex arce Ozede, quum vir militaris eius nominis esset sine prole, & è consensu domini feudi, prædiis & curtibus dotaret ad victum Deo seruientium puellarum. Alterum in Quarnhem, quod ætate nostra, anno octogesimo quinto (sub Conrado de Retberge pontifice) post MCCCC. à Christo, sanctam subit reformationem in moribus & disciplina. Erat controuersia inter ecclesiam maiorem & diui Ioannis collegium, super obseruatione solennitatũ in idem concurrentium. Opera pontificis cessit minor maiori: & in recompensam prorogata est iurisdictio secundæ ecclesiæ in multas villas, quæ antè illi non parebant. Vidit hic pontifex tempora Friderici primi Imperatoris: vidit Henricum ducem cognomento Leonem, qui & Bauariæ & Saxoniæ tenebat ditiones. Vidit sanctorum trium magorum in ciuitatem Colonienſem deportationem, opera Reinoldi de Dassel comitis, archiepiscopi Colonienſis: qui in expeditione militari pro Imperatore Friderico, mortuus est in Italia peste, quæ multum sæuiebat in exercitu. Successit illi Philippus, imperialis pridem cancellarius: qui post, destituto Henrico Leone per Imperium, ducatum Westphaliæ suæ coniunxit ecclesiæ. Sed hæc plenius in nostra Saxonia. Hic autem Philippus Osnaburgensis cum summa laude præfuit ecclesiæ suæ, per annos triginta duos: defecit in pace Christi, tumulatus. Erat autem tum Westphalia in summo labore, quum inter manus hinc archiepiscopi Colonienſis in ius ecclesiæ traheretur, inde ab Henrico duce Leone pro suo iure defenderetur: qua de re plura leges in dicta nostra Saxonia.

*Episcopus in vtrunque paratus.*

*Trium magorum corpora Mediolani.*

*Cap. 34.*

MAGDEBVRGENSIS ecclesia crebriùs tum mutauit episcopos, quòd non diu superessent. Successit autem Wichmannus Friderico, assumptus fauore Friderici, tum primùm regnantis post Conradum. Erat hic Wichmannus genere nobilis, animo insignis, gubernatione felix: præfuit autem ecclesiæ suæ annis quadraginta duobus. Erat pridem Citzenſis episcopus: sed maiore dignus loco visus, trãsfertur Magdeburgam. Magna fuit vbiq; huius pontificis authoritas, siue apud regem, siue apud pontifices alios. Auxit ecclesiæ suæ iura, quatuor arcibus, quas antea non habebat, ei comparatis. Imperatorem assiduè sequitur: regiam secutus, ec-

*Cap. 35.*

*Lombardia vere est Imperij.*

cleſiæ curam non poſthabuit. In Wirtzburg curiam habebat, & conuentū princi-
pum: fecitque omnes in expeditionem Italicam iurare: præſertim vt Lombardiā
(quæ ſine controuerſia regni erat & Imperij) iam rebellantem edomaret. Anno
quarto regni ſui veniens in Italiam, Placentiam ſubegit: quædam caſtella Me-
diolanenſium & Cremonenſium combuſſit. Vltrà progreſſus, Spoletum, rebel-
lionem oſtendens, igne conſumpſit: & deinde Romæ propinquans, terruit ponti-
ficem Hadrianū, qui ceſſit vrbe: ſed tamen, oratoribus inter vtroſque alternan-
tibus, cōuenit ſuper omnibus. Vidit (vt ferunt) inuitus Fridericus in parietē opere
muſiuo factā picturā, quam oculis vt annotauit, vultum auertit contractum. Erat

*Pictura Imperatoris coronam ſupplicis more à Papa ſumentis.*

eiuſmodi: Sedit in pontificali cathedra Innocentius ſecundus, ad cuius genua Lotharius Imperij coronam curuatus accepit. Fremuit, nihil dicens, Fridericus: & quum rediſſet in Germaniam, Hadrianus Papa miſit ad eum cardinales duos, rem magnā acturos. Scripſit inter alia Papa, *Beneficium tibi coronæ conceſſimus.* Quod verbum indignè ferens, efferbuit. Noſtris, inquit, Electoribus acceptum ferimus, poſt Deum, quòd regnamus: primam coronam à Colonienſi recognoſcimus, Imperialem à Papa. Cæterùm beneficium ab illo non recepimus: Deo ſoli debemus & Electoribus, non Papæ, quòd regnamus. Auxere indignationem principis, aulici aſſeuerantes. Principum maxima pernicies: quòd nemo illis niſi placita loquitur, rarò vera. Wichmannus eccleſiam ſuam, ad finem vſque proſperè gubernabat.

CAP. 36. HALBERSTADENSI quoque, per idem tempus, eccleſiæ nouus pontifex acceſſit Vlricus: qui illi præfuit per annos triginta tres. Magnum illi luctamen cū Henrico duce fuit, magni labores: quos quia in Saxonia attigimus, hìc tranſimus. Imperator quum iam ſe validius præpararet ad Lombardicam expeditionem, præmiſit Ottonem comitem Palatinum, & cancellarium ſuum Reinoldū, cum

*Mediolanum obſidetur & deditur.*

exercitu, ad oppugnandas maritimas vrbes, Rauennam atque Anconam: ipſe ſecutus cum mole exercitus, obſedit Mediolanum. Erant cum Imperatore rex Bohemiæ, Henricus dux Saxoniæ, Henricus dux Elſatiæ, Fridericus dux Sueuiæ, Bertoldus dux Carinthiæ, Ludouicus Landgrauius Haſſiæ, Conradus comes Palatinus, & Fridericus archiepiſcopus Colonienſis. Mediolanenſes tribus portis vnà erumpunt, & caſtra Imperatoris inuadūt: ſed magna ſua clade repulſi, retrocedūt, non aliàs iterum temere erupturi. Videntes igitur quòd armis eius reſiſtere non poſſent, deditionis faciunt mentionem, & in gratiam eius concedunt. Imperator ciuitatem coronatus ingreditur: & acceptis obſidibus pene quingentis, indictoq; annuo tributo, abſcedit. Inde quum tributum impoſitum exigeret miſſis oratoribus, Conrado Palatino comite, & Reinoldo cancellario, ciues in tumultum verſi, pene manus iniecíſſent in eos: illi verò mutato habitu, vix incolumes abierunt. Imperator vbi audiuit rebelles animos, quum vires auxiſſet, rediit ad obſidendam

*Mediolanenſes iterum faciunt rebellionem.*

vrbem. Ipſi quoq; ciues animo aucti, inuectis commeatibus, fortiter obſidionem triennio pene toto ſuſtinuerunt. In qua obſidione, iam mortuo in expeditione militari, Friderico Colonienſi archiepiſcopo, cancellarium ſuum Reinoldū ad eam ſedem promouit, miſſis literis ad eccleſiam Colonienſem. Mortuo etiam Papa Hadriano, quum de ſucceſſore ageretur, ſcinduntur vota. Maior pars elegit Rolandum Mediolanenſem: cæteri qui Imperatori fauebant, extulerunt Octauianum, appellantes eum Victorem. Imperator vtroſque vocauit ad concilium, vt diſcuſſare, qui potior eſſet, remaneret. Venit Octauianus Victor: Rolandus Alexander nō venit. Quapropter Imperator cum ſuo concilio adhæſit Victori, Alexandrum contempſit: & facta eſt in eccleſia diuiſio peſſima. Interim Vlricus epiſcopus Halberſtadenſis, variis caſibus luctatur cum Henrico Leone duce: quod in Saxonia noſtra ſcripſimus, inde requirat qui noſſe volet.

CAP. 37. MINDENSI deinde eccleſiæ poſt Witelonem, præfuit ordine pontificum vigeſimus tertius Sigewardus. Erat illa tempeſtate legatus de latere in his regionibus, ad cōponendas res eccleſiæ, per Imperatores miſerabiliter diſiectas: à quo iſte pontifex accepit conſecrationem. Quo etiam tempore ortus eſt comitatus de

*Comitatus de Marca origo.*

Marca, per duos fratres Adolphum & Ioannem, deſcendentes ex Italia. Tum

quoque

quoq; religiosum in Werden locum intrauere moniales, quem dudum canonici regulares profanarunt. Vide rerum etiam in religione vicissitudinem. Illa ætate moniales successere monachis ad reparationem disciplinæ regularis & morum: nunc autem, rebus conuersis, regulares fratres, pulsis ob vitæ dissolutionem monialibus, ad hoc peruenerunt, vt collapsa monialium loca reparent in vitam regularem. Sedit hic pontifex annis viginti vno, & in die sancti Victoris Papæ transit ad meliora. Plures enim fieri necesse est sacerdotes, idcireo quòd morte prohibentur permanere: qui autem manet in æternum, sempiternum habet sacerdotium, Dominus Iesus, secundum ordinem Melchisedec pontifex in æternum.

10 ALDENBVRGENSI interim ecclesiæ præsidens Vicelinus, ex hac vita migrauit. Et suffecit Henricus Leo (qui hęc ab Imperatore obtinuit) Geroldum quendam ex nobilitate Bauarorum. Hartuicus Metropolitanus hoc ægrè ferens, recusauit consecrare, quem non electio legitima, sed principis voluntas extulit. Quum ergo prima expeditione transiret rex in Italiam, Henricus dux Leo illum comitatur magno suorum agmine, secum trahens Geroldum suum, vt à summo pontifice cõsecraretur. Præmonitus ille literis archiepiscopi, aures diu habuit occlusas. Sed quoniam Romani tumultu maximo sæuierũt in Pontificem & Imperatorem, Henrici ducis cohortes illo die maximè bonam nauarũt operam in repressione Romanorum. Placatus pontifex, ad eius postulationem consecrauit Geroldum. Fratres
20 autem de Faldera, mortuo suo patre Vicelino, recesserunt à subiectione Aldenburgensis episcopatus: eligentes sibi Epponem præpositum, redierũt in obedientiam (vt debuerant) ecclesiæ Bremensis. Non enim licuit illis subtrahere se priori ecclesiæ. Creuerat per id tempus sub Adolpho Holsatiæ comite, ciuitas Lubecensis in bonum modum: & multis contendebat Henricus dux, ab eo ciuitatem in suam ditionem deducere. Diu ille repugnauit: demum permisit, rebus currentibus, quo modo signaumus in Wandalia. Sed tamẽ episcopio digniorem locum quærebat: & placuit vt in Lubeca sedem haberet. Introductus ergo à duce, ibi consedit, ecclesiam extruxit diui Ioannis (vt vocant) in arena. Dux vicino loco mansit, habitationes fratrum distinxit, prębendas tenues constituit: & (vt fieri solet) ab aceruo non
30 magno creuit res paulatim in bonum modum. Hic Geroldus Hartwicum archiepiscopum Bremensem adiens, quum plurima illi obsequia promptus impendisset, pro restitutione Falderensis monasterii, quod nouum dicunt (quod suus antecessor Vicelinus fundasse & possedisse dinoscitur) instantissimè orabat: quia diœcesis omnibus modis parua, nec satis commoda erat mansionib. Archiepiscopus in suæ ecclesiæ partem pronior, callidis sponsionibus episcopum Geroldum differebat, & in fine vacuum abire permisit. Geroldus verò ædificauit oppidum Vthin, domũ sibi & mansionem inibi constituens. Idem verò, anno episcopatus sui quarto, videns vrbem Lubeck excrescere opibus & ciuium frequẽtia, & Aldenburgensem,
40 propter Wandalorum adhuc infidelium crebriorem incursum, miris modis exte-
nuari: obtinuit (quod diximus) ab Henrico duce, vt in eam cathedra transferretur. Designauit dux locum construendo oratorio, & constituit prębendas duodecim pro clericis, & tertiamdecimam præposito assignauit, areasq; pro curiis deputauit, assignans redditus & decimas, & certas villas in stipendia fratrum ibidem Deo seruientium. Geroldus concessit eisdem fratribus ecclesiam forensem beatæ Mariæ, cum omnibus suis emolumentis. Et anno sexagesimo secundo post millesimum & centesimum, præfatus Geroldus, Aldenburgensis ecclesiæ episcopus duodecim°, Lubecensis verò primus, sacramentis salutaribus communitus, illucescente die, carnis sarcinam deposuit: sepultusq; est in medio basilicæ Lubecensis, quam ipse
50 fundauerat: sed hodie ad nouum chorum translatus, sub paruo quiescens lapide blauio, stãtim supra cancellos. Sedit annos quatuor.

MEKELNBVRGENSI ecclesiæ, per idem tempus, defuncto Euerhardo, præficitur Benno, vir Deo ac pontificatui dignus: sed non erat quod ad honorem & dignitatem se subleuatum arbitraretur, verùm ad laborem & omnem patientiam vocabatur. Nam principes in ea gente, Niclotus cum filiis, adhuc seruiebant idolis, non multi ex populo Christum adorabant: & quotidie instabat bonus

Cap. 38.

*Papæ cõsecrat quem archiepi scopus recusa- uerat.*

*Cathedra episcopi Lubecã transfertur.*

Cap. 39.

pontifex, vt multiplicarentur qui salui fierent. Eius temporibus Henricus dux Saxoniæ Leo, terram Wandalorum hostiliter inuasit: principem Niclotũ (quem nos dicimus Nicolaum) oppressit, & rebelles subiugauit: occupabat omnem terrã vsq; in Demin. Et ex filiis Niclotialterum, quòd incentor esset fratris ad rebellionem, quum captus apud se teneretur, iussit in conspectu agminis hostilis iugulari: armis alterum expulit omni ditione. Sed inter alia Suerinum captum ex hoste, dedit cuidam ex suis Guncelino, qui inde creatus est comes. Quem in locum, viuẽte adhuc Bennone (sed longè post hæc tempora) translata est sedes, & manet vsq; hodie. Miris inde perplexitatibus inuoluitur bonus pater, quum inde docẽdi erant increduli, inde verò placandi, qui suos amiserant in bello: solum hoc illi erat inter multas tribulationes solatium, quòd in præsidiis, quæ communierat dux victor, Saxones confœderant, qui illum tuerentur: alioqui mille sæpe gladiis confectus interiisset. Sed metus continuit eos à malo magis, quàm modestia. Ferox nimirum natio, & duræ ceruicis. Quod etiam nunc in posteris cernitur, si aliqua prædita essent potestate: sed dura seruitute tenentur subacti. Huius autem optimi pontificis præclara merita, & duram in gente patientiam, & magna pericula, scripsimus in Wandalia nostra: nunc breui rerum commemoratione contenti, ad alia proficiscimur. Henricus interea dux, victoriam in gẽte prosecutus, Werlo cepit: & vocatis episcopis, qui tum in tribus ecclesiis præerant, Geroldo, Euermodo, Bennone, voluit à se episcopatus recognosci: hoc agens, vt ille velut institutor haberetur, & pro maiori coleretur: hoc quærens in sua parte, quod Imperatores diu luctati cum Romanis pontificibus, quærebant in vniuerso regno. Restitere boni pontifices duci, allegantes, non esse fas, de manu laica pendere ius ecclesiasticum. Sed quoniam ille potens erat, nec nisi de manu illius pendebat ecclesiarum prosperitas, fecere quod necessitas indixit, non quod ius dictauit.

*Rebellionis auctor occiditur.*

*Henricus optat suam in promouendis ecclesiis nimio vult vendere.*

CAP. 40. RACEBVRGENSI quoq; ecclesiæ, post Euermodum, vir æquè optimus Isfridus præficitur episcopus: qui tanta fulsit sanctitate, vt miracula nonnulla faceret inuitus. Iusserat sacra die parasceues, vt minister aquam ei inferret in potũ. paruit ille, & aquam afferebat. gustauit pontifex, & reperit vinum. Toruo vultu versus in ministrum, Num, inquit, iussi vt aquam inferres, non vinum? Territus ille, quàm sanctè affirmauit aquam se attulisse de fonte. Iussit iterum haurire, ac vinum erat: tertiò item res iteratur, & idem prouenit. Tum resolutus in lachrymas, oculos in cœlum extulit. Quando, inquit, tua voluntate, mitifice creator, creatura mutatur, cedo quod iubes, ecce in die passionis filii tui sumo quod præstas. Monstrant hodie fontem iuxta domum thesaurariæ in Raceburg, vnde hausta fuit aqua. Hoc quoq; fertur de illo, quòd quodam tempore quũ circuiret cœmeterium cum processione, vidit cæcum quendam sedentem secus viam, & mendicantem: quem adspergens aqua benedicta, versiculum illum dixit propheticum, *Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Et statim cæcus est illuminatus, & visum recepit. Horum duorum pontificum Euermodi & Isfridi reliquiæ, in choro, in quadam capsa ad austrum, quæ ad hoc est ordinata, conseruantur. Sunt asscripti versus Isfrido:

*Epiſcopus miracula impro dens facit.*

*Versus pluſquamſcãtes.*

*Huic Thetis inualuit, in vinum verſa, cæcatus*
*Eſt illuſtratus: talibus efflorvit*
*Laudibus inſignis Isfridus, annumerandus*
*Catalogo ſanctis celitibus ingiter.*

Fuit huic quoq; sancto perpetuus labor in vinea Domini, dum Wandalis suis prædicaret, necdum bene firmatis in fide. Nam gladius temporalis magis quàm vlla res, eam gentem duræ ceruicis, in fide continebat. Profuit induratis cordibus habere magni meriti pontifices, qui precibus apud Deum impetrarent, ianuam cordis ad lumen fidei reserari.

CAP. 41. HILDESEMENSIS ecclesia, quum haberet pontificem Bernardum, virum quidem præstantem, sed ætate percussum, per annos fere decem: intellexit vir Deo plenus, etiam corporalibus oculis opus esse pontifici, qui omnibus vndiq; luceat luminibus ante & retro, renunciauit pontificatui: & cessit in fauorẽ æquè præstantis viri Brunonis, qui pridem decanatum administrabat. Insigne est quod de eo fer-

eo fertur. Primus hic natiuitatem Virginis glorioſæ cœpit cum octaua celebrem habere, quum ſit eius eccleſiæ patrona. Aderat matutinali officio nocte media: & ecce ſplendor fulſit inſolitus, & omni meridiana luce fulgentior. Stupuere qui ade rant, & pene ex cantu obmutuerunt. Pontifex, quid eſſet, curioſius contemplatus, vidit oculatè ſanctiſſimam virginem ſibi intendentem. Procidens in ora ſupinus, O, inquit, ſacratiſſima regina, quid te ab alto traxit inuiſere manſionem humilium tuorum? Tum illa, Placuit altiſſimo vnico meo tua deuotio, placet cum cælitibus & mihi: perſeuera in eo quod cœpiſti: & cum dicto diſparuit. Honouer oppidum vetus, iam tamen ad inſignem pauperiem redactum, renouatur per Henricum du cem Leonem. Per hæc tempora obierant comites de Lowenrode. Arcem cum hę reditate accepit Henricus, quòd legitimum hæredem nullum relinqueret: ea fuit in parte vltra Leinam, quæ nunc eſt noua ciuitas. Paruitq; ex hoc tempore ducib⁹, nunc verò in diuiſionem cecidit, vt Gottingẽſi iungatur ditioni. Originem autem nominis alibi ſignauimus: quòd ibi cæſus in duello Haneuus dux Saxoniæ, ante tempora Caroli Magni, ab rege Danorum, nomen reliquit loco, vt Danica lingua Hanefræ diceretur: deinde noſtri, parumper detorto nomine, Hanouer appellauere. Claruit hoc tempore Petrus Bleſenſis, archidiaconus Batonienſis, vir in diuinis ſcripturis doctiſſimus, qui multa reliquit ad eruditionem poſterorum præclara opera. Eius eſt opus De amicitia Chriſtiana, quod incipit, *Quoniam diminuta ſunt veritates à filiis hominum.* De pœnitentia ſalutari, cuius eſt principium, *Rogaſti me.* De qualitate pœnitentiæ, quod incipit, *Nimia tui rigoris auſteritas:* & alia præterea plurima.

*Virgo mater Chriſti ſuo ipſa cultui aſſe ſtabilit inter eſt.*

*Petri Bleſenſis eruditio & ſcripta.*

MINDENSEM tum eccleſiam, poſt Sigewardum, tenuit Henricus, ordine pontificum vigeſimus quartus, aſſumptus de cœnobio ſancti Mauricii, quod eſt in inſula: tranſlatus primùm de Burſueldia, vbi ſe monachum fecerat. Quæ magnæ ſunt virtutis teſtimonia, vt primùm de alieno monaſterio aſſumeretur abbas, inde ex eodem monaſterio vocaretur ad regendam eccleſiam Mindenſem. Temporibus cuius monaſterium in Schima fundatum eſt per Comites de Halremont in honorem ſancti Viti martyris, anno Chriſti MCXLVIII. Ad vltima tempora Imperatoris Conradi tertii, monaſterium quoq; in Lucka, ordinis Ciſtertienſium, ſub honore ſancti martyris Georgii fundatur, coniunctim per comites de Halremont & de Aldenborg: nam vtrique erant hæredes nouiſſimi Comitis de Lucka. Sedit hic pontifex annis duodecim, vſq; ad quinquageſimum ſextum, poſt M C. (hoc eſt, ad initium Imperii primi Friderici) ſepultusq; eſt in Burſuelde monaſterio patrum ſuorum, vt poſtulauit: vnde tranſlatus erat in diœceſim Mindenſem: vt vbi initia ſacræ religionis fecerat, ibi inter patres ſuos expectaret nouiſſimam tubam, ad iudicium euocaturam vniuerſos.

CAP. 42.

1148.

LVBECENSI deinde eccleſiæ, pridem Aldenburgenſi, per mortem Geroldi vacuatæ, ſucceſſit germanus eius frater, Conradus, abbas in Reddageshuſen. Erat autem ſexageſimus tertius poſt mille centum. Quem inuitis, ſed repugnare nõ audentibus, dedit præſulem Henricus dux Leo. Hartuicus Bremẽſis archiepiſcopus reclamabat, adſtruens non oportere per manum laicam de eccleſiis diſponi: ſed non eſt auditus. Nam refragari Henrico eo tempore formidoloſum erat, quando in hac prouincia ſolus imperabat. Conſecratus eſt per manus Hartuici epiſcopi, in oppido Stadii, vt alii, in arce Horborg: ibiq; per aliquot dies manere coactus. Tempeſtas enim tanta tum eſt exorta, vt Albis fluuius fieret immeabilis. Multa hominum millia, infinita pecora in terris paluſtribus Albis & Viſurgi fluminum, perierunt. Quod ideo commemorandum fuit, ne viderentur noua quæ patimur in diebus noſtris, intumeſcente fluminum diluuio. Tum Hartuicus archiepiſcopus Stadenſem baſilicam in honorem diuæ Marię conſecrauit: quam pridem ſub Alberone archiepiſcopo viri religioſi tres fratres, datis prædiis, in conuentum religionis erexere. Hoc eſt illud tempus, quo dux Leo bellum in Wandalos renouauit: filium Nicloti principis, in conſpectu fratris, in agmine ſtantis, appendi iuſſit in arborem, patrem Buruini, cui poſtea dux dedit coniugem filiam naturalem. Conradus autem Lubecenſis epiſcopus, literatura, facundia, largitate & affabilitate pollebat:

CAP. 43.

*Principes terrore eccleſiam ſibi ſubigunt.*

*Multa edoctè ſæpiùm.*

clero tamen suo seueritate quadam abusus est, in principio extraneos diligẽs, suos fastidiens: sed postea in alterum virum mutatus est. Multis enim aduersitatibus à duce Henrico, quum episcopatum ab eo per virgam recipere recusaret, perpessis, clero suo compati didicit. Iste Conradus ecclesiam beati Petri in Lubeke, cum offertorio & emolumentis perpetuò concessit fratribus. Profectus in terram sanctã cum duce Henrico, in ciuitate Tzurs (quæ aliàs Tyrus dicitur) spiritum Deo reddidit. Sedit annos sex.

CAP. 44. OSNABVRGENSI ecclesiæ, vigesimo sexto loco præfuit dominus Arnoldus, pridem ecclesiæ maior præpositus, deinde episcopus: auxitq; & prædia & possessiones ecclesiæ. Stabiliuit etiam monasterium in Ozede, adiectis illi prædiis de Bardinghusen: qui Comes pro tempore de Tekeneburg feudi dominus, concessit monasterio, authorizante episcopo per formam solennem, quam ille in terrorem excogitauit. Erat nobilis domina Eilica comitissa, quę & ipsa auxit monasterii prędia, larga de suis mansis contributione: & episcopus factam donationem approbauit, & authorizauit: interdicens, ne quis in futurum ausit in irritum reuocare. Præfuit autem ecclesiæ hic pontifex cum summa laude per annos duos & viginti: & translatus est ad meliora, appositus patribus suis, supra annum Christi M CLXXXVI. vel circa.

*Ecclesia prædiis augentur.*

1186.

CAP. 45. MIMIGARDEVORDENSI (quæ est eadem Monasterienſis) ecclesiæ tum præerat Wernerus, ordine vigesimus primus, vir omni virtute conspicuus. Cuius tempore, & accedente nisu, est facta institutio monasterii in Cappenberge, ordinis Præmonstratensium: qui tum pro sui nouitate feruebat, & diffundebatur latè per omnem Germaniam. Interim verò dilexit eum locum pontifex, vt ibi eligeret sepulturam. Crescebat per hæc tempora in maritimis Wandaliæ, noua ciuitas Lubeck, inhabitata Saxonibus sub Adolpho Comite Holsatię, qui eam primus cœpit ædificare. Posteaquam Crito Wandalus, qui opportunitatem loci primus conspexerat, inchoatam, morte sua desertam liquit & imperfectam: Adulphus instituit, & profecit: sensit Henricus Leo dux, detrimentum in suo Bardeuico, quòd nouæ vrbis ciues præoccuparent omnes à mari merces, & interioribus vrbibus præiudicabant. Hoc quum animaduerteret, egit multis modis cum Adolpho Comite, cui erat ipse feudi dominus, vt vrbem nouam illi relinqueret. Non potuit persuadere. Interdixit mercatoribus Lubecensibus, ne ad interiora Saxoniæ mercarentur, sed auehi paterentur sua per cæterarum vrbium habitatores. Incommodum erat: sed non profuit. Nouam vrbem ad Wokenissam erexit, quam appellauit Leoninam: non profecit. Salinam in Todesło, quòd nouæ eius salinæ in Luneburg repertę detraheret, immissa aqua dulci, vehementer afflixit. Sed nõ flexit comitem. Demum quum noua Lubeck incendio tota conflagraret, questi ciues, quòd restaurare frustra viderentur, nisi duci conciliatus, efficeret liberam mercaturę negociationem. Id persentiens dux, iterum instituit, & perfecit apud Comitem, vt ciuitas illi permitteretur. Quo facto, incredibile est memoratu, qua celeritate creuerit, quę frequẽtia sit facta habitatorum. Iussit proclamari ad omnia emporia de immunitatibus ciuium, instituit ordinem reipublicæ, delegit senatum, numisma constituit, & omnem ciuilitatem direxit, auxit, amplificauit: & facta est breui Lubeck splendida ciuitas, & cæteris quæ ante eam fuere, incomparabilis.

*Lubeca incensa vt instauretur, Henrici authoritatem interpositam esse fit.*

CAP. 46. HARTVICVS Bremensis archiepiscopus, quum esset inter alios Vesontii, in concilio generali (quod in Burgundia Imperiali, propter confinia regum Franciæ & Hispaniæ, ibi iussit Fridericus Imperator conuocari) & Victor tum pro summo pontifice se gerẽs, ibi adesset: proposuit querimoniam, quòd ecclesia sua, olim legationis dignitate super omnia Aquilonis regna prædita, miserè per Romanos pontifices esset despoliata, quum tribuant prouinciis illis suos archiepiscopos, non reseruato iure archiepiscopi Hamburgẽsis. Et quoniam Woldemarus rex Daniæ ibi adesset, sperabat Hartuicus decreto concilii constitutum iri, vt iterum parerent archiepiscopi cum episcopis, Hamburgensi, tanquam patriarchæ. Sed quoniam rex Daniæ ius habebat remeandi domum, quòd aliis conditionibus elicitus diceretur: & quia patres non satis confidebant, aliquid aduersus constituta Romanorum

*Archiepiscop. de antiqua ditione sua amplitudine conqueritur.*

norum pontificum decernere, quòd reges euocati non adessent: rex Daniæ eluso per alium colorem concilio, venantis specie egressus, magnis itineribus domũ repetebat, & Hartuicus archiepiscopus in sua quæstione nihil profecit. Quo tempore Imperator Moguntiam subuertit, vindicans necem pontificis Arnoldi, quem ciues per tumultum oppresserunt. Deinde renouata in Italiam expeditione, Mediolanum quoq; deiecit. Tum Reinoldus corpora trium regum inde extulit, & Coloniam deportauit. Erat autem annus MCLXIIII. Tum Victor antipapa decessit, & surrogatur Guido Cremensis episcopus, & Paschalis nuncupatur. Victor apud Lucam sepelitur. Alexander interim pontifex in Francia agebat, vt aduersus Imperatorem sibi conciliaret cæteras nationes. Apud Senonas die Parasceues, quum ageret Alexander diuinum officium, horribiles factæ sunt tenebræ: & dum lector passionem Dominicam personaret, peruenieretq; ad eum locum, *Consummatum est*, fulgur tam stupendum cecidit, & tantus fragor intonuit, vt Alexander dimisso altari, & lector omissa passione, ac omnes qui aderant, fuga sibi putarent consulendum. Quo etiam tempore archiepiscopus Colonienſis, Padeburnensis, Mindẽsis & Monasteriensis episcopi, & Henricus dux Saxoniæ, obsident arcem Arnsborg, q. Henricus comes multa aduersus singulos commiserit, & nouissimè fratrem puerum in carcere tenuerit, in quo mortuus est. Capitur arx, & euertitur, & Henricus exulatum abit. Postea tamen reuersus in gratiam, recepit arcem: quam post obitum con signauit ecclesiæ Colonienſi, quæ totam hodie tenet ditionem antiquæ illius nobilitatis. Caroli Magni tum ossa leuata sunt de sarcophago, & ascriptus est ipse sanctorum catalogo, magno pontificum & principum conuentu, ac celebri festiuitate, tripudiantibus omnibus ad memoriam victoriosissimi quondam Imperatoris, nunc sanctissimi principis. Ibi Henricus puer, Friderici filius, corona donatur à principibus ad successionem paternam.

*Moguntiæ & Mediolani excidium.*

1164.

*Caroli Magni apotheosis.*

HILDESEMENSIS ecclesia iterum nouauit pontificem suum. Nam Bruno septem solis præfuit annis, & insequitur Hermannus: sedit q; annis sedecim, consecrauit ecclesiã sancti Blasii in Brunswick, quam à fundamentis Henricus dux Leo ædificauit, amplificans, & exornans mirificè ciuitatem. Erexit super basim leonis effigiem, quæ hodie extat: vnde nata fabula de leone, qui sequeretur exulantem. Infelices & miseri, qui fabulas concinnant. Nomini suo dux fecit honorem, quod Leo diceretur. Vrbem fossa & vallo circumdedit: & quia potens & diues erat, multos præ se contempsit. Vnde conspirantibus in eum cunctis, non erat factu facile, incolumem seruare dignitatem. Insigni victoria in Wandalos tum elatus fuit: omnem terram Obotritorum fugato Pribislao occupauit: & principibus Pomeranię, qui congentilem suum defenderant, satis onerosus incubuit. Amisit tamen in obsidione Demin vrbis, duos comites cæsos, dum castra metarentur: Adolphum Holsatiæ, & Reinoldum Thietmarsiæ. Quo stem mate hic progenitus sit, non inuenimus, quum tamen comitatus iste in ius transierit Bremensis ecclesię, quod dixim⁹. Sed Henricus dux animo sublimis, miscens profanis sacra, qui ciuitatem Bremam pro sua tenuerit, quiq; Stadensem Comitatum sui iuris fecerit, potuit & Thietmarsiæ præficere quem volebat. Nam quòd armato agmine terram intrauerit, populumq; domuerit, & ad tributa in granis soluenda coegerit, compertum habemus. Potuit perinde tum illis imponere comitem, qui eius nomine eos in fide contineret: sed nisi belli fortuna ipsum consumpsisset, pari cum prioribus exitu fortasse terminasset. Non est passus populus ab omni memoria dominantem. Nam Adolpho tertio (quod suo tempore dicemus) quum resistere non possent, sed grandem pecuniam (quam etiam soluere non poterant) expromisissent, alio se genere vindicabant, transferentes se ad ecclesiam Slesuicensem. Sed hæc postea.

CAP. 47.

*Imò nequissimi & execrãdi.*

*At isti non minus sicuti, dum tot opes cõparant.*

FERBVIT tum controuersia inter ecclesiam & Imperium, quum Alexander pontifex Franciam, Hispanias, Angliam, & quandam Germaniæ partem haberet obedientem. Reliqua Germania cum Imperatore sensit, hoc solum prætendens, quia Alexander concilio congregato noluit adesse, pertinax & contumax habebatur. Ediuerso pontifex asserebat, quia indubitata fuit electio sua a maiori parte, nõ debuit sine illius authoritate conciliũ à quouis cõgregari. Reinoldus Colonienſiũ

CAP. 48.

*Pontifices sibi mutuo diras deuouent.*

electus, inuitato Imperatore Coloniam, à suffraganeis consecratur: sed ab Alexandro excommunicatur, qui tunc in Galliis diuersatus, Turonis concilium congregauit. Sed quum anno proximo, hoc est LXVII. quum Imperator in Italiam renouasset expeditionem suam, Reinoldus Colonien sis archiepiscopus, & Christianus Moguntinus electus, cum exercitu Romam vadunt, vbi tunc Alexander Papa consedit. Romani hortatu pontificis, impetum faciunt in exercitum Imperatoris: & pluribus occisis, super hastas figũt capita cæsorum. Imperatorii duces prælium instaurant, hostes inuadunt: & in hoc congressu plusquam sex millia Romanorum ceciderunt. Alexander fugit, vrbs vacua pene remansit. Pestis ex cadaueribus exorta, multos contaminauit: & ex victoribus qui constiterant, ad vicina victoriæ loca pessundedit. Ibi Reinoldus Colonien sis archiepiscopus interiit, & dux Sueuiæ Fridericus. Ossa Reinoldi Coloniam transportantur: cui Philippus decanus eiusdem ecclesiæ surrogatur. Christianus comes de Aldenburg, Henrico duci se opponens, arcem Wegæ euertit, Bremam introiuit: Bremenses eum recipiunt, volentes iugum ducis excutere. Dux collecto exercitu Bremam proficiscitur: sed Christianus vada fluminis Geræ occupans, duci transitum prohibuit. Ibi vterq; consedit exercitus, mutuo conspectu, diebus quatuor. Quinta die Christianus quatuor instruxit acies, pugnaturus: dux terga vertit, & abiit. Postea verò cum magno exercitu reuertitur, & Christianus se recepit in Aldenburg, nihil timens. In eodem turbine obiit idem Christianus. Et quia milites (sicut ipse rogauerat) mortem eius dissimulauerant, ei tanquam viuenti cibaria inferentes, exercitus ducis affectus tædio, est solutus. Moritur etiam Henricus frater Christiani. Hic vxorem duxit sororem Henrici comitis de Gelria, de qua genuit Henricum & Gerhardũ, postea clericum: & filiam, quam duxit Wedekindus de Stumpenhusen, filius Geronis. Christianus etiam genuit de Cunnegunda Mauricium & Christianum: & Tolus Otto Bremensis ecclesiæ præpositus, de filiis Eilimari remansit, qui factus est tutor pupillorum. Postea Aldenburgenses bello se confodiunt intestino, ita vt sacerdote missam celebrante, Phrisones calicem Domini effunderent, & auferrent. Vnde eadem vrbs in manus Henrici ducis data est: eamq; obtinuit, vsq; dum ab Imperatore humiliaretur. Mira huius principis fortuna. Bello fortunatus erat & victorious: quod bello nõ potuit, ingenio peregit: quod verò neq; bellum neq; ingenium præstitit, ipsa rerum domina fortuna elargitur. Fortunam voco, sortem à Domino dispensatam, quæ humanis obtutibus non præuisa, fortuna dicitur.

*Duo exercitus instructi sibi inuicem terga.*

*Militum furor ad sacra ipsa pernodit.*

*Fortuna quid.*

CAP. 49. BREMENSI tum ecclesiæ post Hartuicum (qui anno sexagesimo octauo defecit) præficitur Balduinus, Halberstadensis præpositus, annis grauis, sed Henrico duci charus: cuius voluntate tum omnia per Saxoniam gerebantur. Nam electio discors se diuisit in duos: Sifridum, Alberti marchionis filium, præpositus ecclesiæ maior cum consortibus fouebat: Guncelinus autem Suerinensis comes, authoritate ducis sui, huius Sifridi partes tuetur: & pro rerum gerẽdarum commodo, quòd in Brema non satis esse tuti viderentur, in Aldenburg concessere: nam ibi tum duocis erat præsidium. Altera verò pars capituli, & ea maior, elegerat Otbertum ecclesiæ decanum, cuius fautores in arcem Hamburg commigrauere. Dux autem vbi comperit diuisionem, vtrunq; submouit: & tertio, quem diximus, Balduino archiepiscopatum consignauit, durante schismate in Romana sede. Sifridus autem in Brandenburgensem episcopum statim assumitur. Balduinus consecrationem (si non execrationem) à Paschali assequitur. Is duci gratificans, multa illi ecclesiæ bona permisit, suisq; plurima donauit in ecclesiæ detrimentum. Per cuius tempora durauit adhuc diuersitas inter Alexandrum & Fridericum, qui suum antipapã Paschalem circumduxit. Quum Christianus Moguntinus electus, bella pro Imperio in Italia gereret satis feliciter, legatum se ferebat summi pontificis Paschalis, Imperialis aulæ cancellarium, & sedis apostolicæ vicecancellarium. Brabantinos fertur in agmine duxisse, tum promptissimos: perq; Lombardiam & Tusciam omnia depopulans, Bononienses ad extremum inuasit. Ipse equo sedens, indutus thorace, & desuper hyacinthina tunica, in capite galeam ferens deauratam, in manibus autem clauam trinodem, fertur vno in prælio sua manu nouem strauisse pugnatores.

*Schismatis tempus miserum.*

*Archiepiscopi militares.*

Henricus

Henricus scholasticus Bremensis efferebat (vt qui tum trigesimum quintum ætatis agens annum, notarius esset Christiano) eundem archiepiscopum XVIII. nobi lioribus terræ, dentes cum petra, propria excussisse manu. Bononienses egressi ad prælium, consertis manibus, statim fugiunt: ipse secutus, obsidet ciuitatem: exercitus eius obsessis (vt fieri solet) insultat. Paschalis, viri feruens ingenium simul & strenuitatem in armis admirat[9], & complexus, sic ei scribere solebat, *Paschalis episcopus, seruus seruorum Dei, Christiano Christianissimo sedis apostolicæ legato, Imperialis aulæ cancellario, & Romanæ ecclesiæ filio fidelissimo.* Die quæ proxima fuit victoriæ in Bononienses, archiepiscopus indutus pontificalibus, magnam fecit solenitatem, ob memoriam insignis victoriæ, & ipse assistens aræ quæ est extra muros Bononiæ (vbi quidam Aquilegiensis episcopus ædificauit præclarum palatium de marmore, & templū honorabile (què marmoreum) celebrauit solenniter diuina. Adstabant choro canentium trecenti ex militantibus, omnes monachi apostatæ, & fere tot moniales eiusdem sectæ. Singulari enim odio insectabatur Fridericus ordinem Cistertiensium, Alexandro præcipuè inhærentem. Vnde subuersis eius ordinis monasteriis, ex monachis tot fuere satellites, & item ex monialibus non pauciora scorta. Iste canentiū tam numerosus tamq; præclarus chorus, concinebat sacrum officium martyrum Thebæorum, *Gaudeamus omnes in Domino:* Euangelium, *Quum audiertis seditiones.* Expleto sacro ministerio, archiepiscopus & sui, acceptis ex vrbe obsidibus & infinita pecunia, cum multa præda, duxit in Anconam, obsidens illam fere per biennium. Multa videbantur in hoc viro præcipua, quòd facundus, largus, illustris, ad omnia magnanimus haberetur: Latina, Romana, Gallica, Græca, Lombardica, Brabantina, linguis, vt sua vtebatur. Erat autem natione Thuringus. Hunc suo tempore orantem Itali sunt mirati. Diuinarum scripturarum non erat ignarus: quem Leo Tuscus, notarius Emanuelis Imperatoris orientalis Græcorum, laudib. effert. Scripsit etiam ingenii sui præclara monimenta: Friderici Imperatoris gesta ac vitam, epistolas diuersas, & orationes præstantes. Nulla ciuitas, arx nulla restitit oppugnanti. Henricus memoratus, Bremensis scholasticus, retulit famam esse, idq; se à dignis viris accepisse, quòd asini & meretrices in eius exercitu maiores facerēt sumptus, quàm omnes exercitus Imperatoris, & familia, quæ tamen opulentissima Cæsari erat. Clerici & fœminæ in exercitu eius, duo munitissima fortalicia memorantur expugnasse: ita etiam inter arma ludebat. Anconam vetò tunc obsessam sic affecerat, vt calceorum coria & scutorum vorarent. Subiugauit etiam Ferrariam & Rauennam: & fortunatissimo procursu victoriæ est tamen pro Imperio vsus. Anconā deinde redactam in suam potestatem subuertit, & naues trecētas, quas reperit, Imperii & suis vsibus deputauit. Paschali deinde per mortem deficiente, surrogatur abbas Struimensis, ex Ioanne dictus Calixtus. Romani autē vt euitarent arma Christiani, neq; Alexandrum recepere, neq; Calixtum: sed Calixtum idem Christianus solus fouit in valle Spoletina. Sed sistamus hic calamum.

*Similes habent labra lactucæ.*

*Archiepiscopi Cæsari quam Petro similes.*

# ALBERTI KRANTZII
## METROPOLIS, LIB. VII.

MAXIMVM in orbe terrarum tum excitauerant, & diu sustinuerant, duo principes malum. Fredericus Imperator luctatur cum Alexandro summo pōtifice, pro rerūm summa: & per Saxoniam dux Henricus Leo, cum Wichmāno & Vlrico, altero Magdeburgensi, altero Halberstadensi, contenderat. vna vtrobiq; ambitio in causa fuit. Volebat Imperator imperii sui iura repetere super summis pontificibus & aliis episcopis constituendis: Papa contrà, innixus iuri diuino & humano, res ecclesiasticas potestati laicorum eximebat. Henricus autem dux elatus victoriis & rerum amplitudine, inuiderat episcopis rerum omnium tam latam ditionem, arbitratus administrationem rerum per pro-

CAP. I.

uincias deberi principibus, episcopos autem solis curandis sacris intendere oportere. Sed Imperator facti sui colorem maximum prætendit, quòd Alexander pontifex iudicium videretur subterfugere ecclesiæ: & ideo de mala causa prædicuit suspectum, qui nollet ab ecclesia iudicari. Quam rem postea in quæstionem reuocabant patres in concilio Basilecnsi, concilium esse supra papã: cùm pontifex contra niteretur. Henricus autem facti sui non alium quærebat colorem, quàm vt armis & seculari potentia niteretur. Pontifices autem memorati, murum illi pro domo Domini opposuere. Alexander solus, quia iustitiæ fidebat, tribus antipapis superstes fuit, Victori Octauiano, Guidoni Paschali, Ioanni Calixto: sed duo priores mortui sunt in schismate: Ioannes autem, dictus Calixtus, penè inopia adactus est in gratiam conuolare Alexandri papæ. Erat annus septuagesimus septimus, quum Imperator schisma fastidiens, de pace cogitauit: sed accessit causa, quòd Veneti, qui iamdudum Alexandro fauerant, vagantem in Hadriatico mari Ottonem, Friderici Imperatoris filium, cum classe, quam Christianus Moguntinus Anconitanis ademerat, intercepere: & perductum Venetias, coegerunt iurare, quòd apud patrem de pace tractaret. Alexandro iam regna omnia consenserant: solus Christianus Moguntinus fouet (vt diximus) Ioannem in valle Spoletina. Nunquam cessauit interea Imperator, Mediolanensibus inferre quod rebellantes meruerunt: quæ fuit vel maxima causa continuandi schismatis, quòd Alexander papa, origine Mediolanensis, fauerat ciuibus suis. Tum Henricus dux Saxoniæ causatus ætatem, petiit missionem, & cum Imperatore non iniit expeditionem: quæ res illi auxit indignationem, & auertit ab illo Imperatorem, iam cunctis principibus eidem Henrico pro sua superbia infensis. Sed quoniam hæc in Saxonia sumus executi, satis est semel esse narratione digestum: nunc rem ecclesiasticam exequimur.

*Si papa est superior. frustra cogitur concilium.*

*Imperator Mediolanensibus infestus.*

CAP. 2. LVBECENSIS ecclesia iam ex Aldenburgensi honorem nacta, in peregrinatione Henrici ducis in terram sanctam, Conradum suum episcopum amisit: diuq; ignorauit, donec duce ad reditum propinquante, certior fieret. Tum verò fratres scientes sine ducis assensu nihil agere, virum poposcerunt duci gratissimum, iam longè antè nominatum, Henricum abbatem sancti Ægidii Brunswicensis, doctrina, eloquentia, sanctitate iuxtà insignem: qui & ipse cum duce peregrinatus, grandem sustinuit disputationem in conspectu Imperatoris Constantinopolitani, præsente domino suo Henrico duce, super processione Spiritus sancti, quum sermo oriretur de controuersia orientalis & occidentalis ecclesiæ. Ostenderat Henricus testimonio Græcorum doctorum, controuersiam non esse de re, sed de verbo, copiosè allegans, ita vt omnium & Latinorum & Græcorum ora in se conuerteret. Sed iam reuersus in prouinciam, quum à fratribus Lubecensibus episcopus posceretur, dubitauit dux quid sineret, dubitauit & ipse Henric⁹ quid faceret. Nam dux carere eius præsentia de Brunswico (vbi plurimum ingrauescente ætate manebat) graue duxit, viro pleno prudentia & consilio: ipse Henricus addubitabat monasticam quietem mutare negocio pontificio. Post multa adquieuit vterq;, & factus est Lubecensis episcopus: ab episcopis Hauelburgensi, Raceburgensi, & Suerinensi, in præsentia ducis Henrici consecratur. Hic vir magnę eruditionis & sanctitatis, fa cundus, de Brabantia oriundus, primò præfuit scholis in Brunswico: postea abbas, inde factus est episcopus. Huius tempore dux Henricus ædificare cœpit ecclesiam Lubecensem, quæ nunc est, in honorem Ioannis Baptistæ & Nicolai, & cum dicto Henrico episcopo primum lapidem posuit. Fundauit monasteriũ ordinis diui Benedicti in honorem Ioannis euangelistæ, constituens in eo fratres ordinis sui, qui hodie sunt translati ad Cismariam, certas decimationes & agros in dotem illis conferens. Per medium huius Henrici, Fridericus Imperator primus quũ concluſisset obsidione ciuitatẽ Lubecensem, fortissimo exercitu ab impugnatione cessauit, donec ciues consulerent dominum suum Henricum ducem: & eius consensu homagium Cæsari præstiterũt. Huic tum crebris vexato febribus, Fridericus Imperator, q⁹ in homine sibi cõplaceret, misit propriũ medicũ, vt remediis opportunis ei subueniret. Multa in eius laudẽ feruntur, quorum quædam signauimus in nostra Wandalia:

*Catholicæ ecclesiæ membra interse dissentiunt.*

*Ecclesia Lubecensis constituuntur.*

dalia: sed in ea infirmitate tum ille defecit. tumulatus est in choro monasterii sancti Ioannis, per eum fundati, quum adhuc fratres sui ordinis ibi commanerent. Sedit in episcopatu per annos quindecim, immortale nomen cum plurima laude relinquens apud posteros. Reliquit quædam sui nominis monimenta, ex quibus est Homilia in euangelium, *Stabat iuxta crucem Iesu*: quæ qualis fuerit in cæteris, satis demonstrat, quàm sensu profundus, quàm excultus eloquio. Sed præstabat omnibus sincera in viro deuotio.

HILDESEMENSIS ecclesia per hæc tempora accepit nouum pontificem, Adologum, virum præstantem, qui præfuit ecclesiæ suæ annis decem: Quanto minimè poterat, se implicabat aut rebus Imperatoris, aut factionibus Henrici ducis, qui diuersis itineribus ecclesiam tum afflictabant. Celeberrimum concilium congregatum est tum ab Alexandro papa, vigesimo pontificii sui anno. Ibi cessit à schismate Ioannes Calixtus, & factus est episcopus Beneuentanus. Archiepiscopi, pallia accepta à schismaticis abiecerunt. Christianus Moguntinus, & Philippus Colonienſis, per manum Hiacynthi cardinalis, receperunt noua pallia, refutantes omnem hæresim & schisma, præcipuè Octauiani, Guidonis & Ioannis: sic in hæc singulis verba iurantibus: Ego N. anathematizo & recuso omnem hæresim, extollẽtem se aduersus sanctam Romanam ecclesiam catholicam, præcipuè verò schisma Octauiani, Guidonis, & Ioannis, & ordinationes eorum irritas iudico, & eis contradico: & modò, & in antea, me obediturum iuro, & promitto fidelitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ, & domino meo Alexandro, & successoribus eius iustè intrantibus: ipsiq; seruiam absq; omni malo ingenio, contra omnem hominem secundum ordinem meum. Cõsilia eius, quæ mihi scripto certo mandauerit, vel ipse commiserit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis aut membrorum. Legatum ecclesiæ Romanæ honorabo, & ducam, & reducã, & iuuabo expensis. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta euangelia. His verbis dabantur pallia: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & in honore Dei genitricis, & in honore apostolorũ Petri & Pauli, & sanctæ ecclesiæ Romanæ, & domini Alexandri papæ, tradimus tibi pallium, sumptum de beatissimo corpore Petri apostoli, vt eo vtaris in confectione sacramentorum & corporis & sanguinis Domini, & consecratione ecclesiarum & chrismatis, & ordinatione clericorum, & celebratione synodorum, secundum ecclesiæ tuæ consuetudinem, Amen. Ita finem habebat schisma, & requiem inuenit papa, & Imperator conciliatus est ecclesiæ. Sed Henrico duci Saxoniæ iam primùm imminebat periculum suum, cunctis in eum principibus conspirantibus, quum etiam Imperator prõ recusata expeditione Italica esset infestior. Sed hæc de Saxonia nostra petantur, vbi plenè sunt explicata. Ad pontifices conuertamur prosequendos.

CAP. 3.

*Abiurãdi schismatis formula*

*Pallia vnde, & quibus rebus adhibeantur.*

BREMENSIS ecclesia tum quoq; innouabat pontificem. Nam anno Christi septuagesimo octauo post M. C. Balduinus excessit humanis rebus, quũ ipsa die esset suæ depositionis literas à Romano pontifice accepturus: & quidam Bartoldus, insignis vir literaturæ eligitur, vt præueniatur Henrici ducis molitio. Solus Otto præpositus ab hac electione appellabat, prætendens Sifridum, marchionis Alberti filium, episcopum iamdudum Brandenburgensem, in eam sedem sustolli: quod etiam post multa prouenit. Ascenderat Bartoldus electus ad cõcilium Lateranense, quod Romæ audierat congregari: petiuitq; consecrationem, certissimus spei, quòd omnia ex voto consequeretur. Sed pridie sederat in concilio inter episcopos infulatus, quum tamen non esset presbyter: vnde magnam cõtraxit inuidiam. Aderat illi quidam magister Gerardus, qui pro illo allegabat in concilio, Domine pater, ecce Bremensis ecclesia, cõcordi & vnanimi voto, offert tibi sponsum suum magistrum Bartoldum, virum vtiq; dignum & moribus approbatum, scientia decoratum, liberalibus artibus instructum, vtriusq; testamenti pagina eruditum, decretorum & legũ industria peritum, virum (vt apparet) personatũ, canonicè & sine omni contradictione electũ. Petitq; à te hodie accipere gradũ sacerdotii, & cras episcopalẽ benedictionẽ. Papa breuiter ad hęc, Credimus tibi dicenti, magister: sed scriptũ est, *Manũ nemini cito imposueris*. Loquamur cũ fratrib. nostris, audiam⁹ formã

CAP. 4. 1178.

*Contentio de Bremensi admittendo pontifice.*

electionis. Examinantur Bremenſes per duos cardinales. Reinerium Papienſem, & Ioannem Neapolitanum: & inuenti ſunt diſcordare. Papa in conſiſtorio ſuo ſen tentiam dixit, Fratres, vidimus electum veſtrum: placet perſona, placet ſcientia, placet eloquentia: placent etiam, quantum nouimus, mores: verùm modus electionis diſplicet, præſertim quia eſt infra ſacros ordines, non dico ſubdiaconatum, ſed adhuc lythatum electus. quo gradu, ſecundum rigorem iuris, licet contrahere matrimonium: quod canonicis obuiat inſtitutis. Appellationem quoq; ſuper hoc factam audiuimus, quam coactus eſt reſignare appellator: inſuper ſe denuo fecit eligi, & ſecunda electio caſſauit primam. Præterea electus veſter ante ſacros ordines accepit regalia de manu Imperatoris. Hæc non admittunt diſpenſationem de facili: & alia quæ præterimus. Inde eſt quòd electionem veſtram infirmamus, & irritam nunciamus. Data ſententia, volenti loqui de poſito, non eſt data audientia: ſed oſtiarii clamabãt, *Leuate, audate, audate, audate.* Sifridus autem, & fauore principum iam reconciliatorũ, & ſuopte merito (quòd eſſet nobili origine, bonis moribus) obtinuit tranſlationem de ſede Brandenburgenſi ad Bremẽſem. Quietus quidem ab armis fuit, ſed inteſtinam ſenſit commotionem. Nam Theodoricus decanus, Hartuicus cuſtos, poſtea archiepiſcopus, & Segebodo ſancti Pauli abbas, Hermannus præpoſitus de Bucken, & Eilo prępoſitus ſancti Willehadi, & alii quos archiepiſcopus honoribus ſublimauerat, conſpirauerũt in ipſum, mittentes in vrbem Henricum canonicum: qui, quòd aleator eſſet, nomen eſt inde conſecutus, vt Dabelſtein agnominaretur. Hic vbi incognitus fuit, ſimulator erat ſanctitatis egregius: ſed Henricus ſcholaſticus Bremenſis, ex aduerſo miſſus pro põtifice, ei reſtitit in curia, & ſufficiẽter de obiectis archiepiſcopum excuſauit, purgauitq; : videlicet quòd varium non ferret, niſi quum ſuis veſtibus alicui pauperi erogatis, mantellũ clerici aut militis induiſſet: & quòd deauratis phaleris non incederet, niſi equo ſuo per munificentiam erogato in piam cauſam, iumentum militis conſcendiſſet: multasq; præterea alias friuolas obiectiones in pontificem idem ſcholaſticus eliſit. Operæpreciũ eſt intueri, quid tam magni piaculi in pontificem obtenderetur, virum natu nobilem, & ſummis per Germaniam principibus parem, quòd varium induiſſet, quòd auratis phaleris veteretur: nimirum friuola erant, quę de antiquis, neſcio ſi abolitis, conſtitutionibus criminatores repetebant. Quum eſſet olim in Imperio Romano Ludouicus primus, ſynodales deſuper editę erant conſtitutiones, de honeſtate cleri in veſtibus & ornamentis: ſed ſecula quæ interceſſerant, multa antiquitatis conſtituta obliterarunt. Vtinam, ait Platina, hodie viueres, Ludouice, cerneresq; noſtrorum temporum in his rebus licentiam: caſtiſſimam diceres memoriam tuæ ætatis. Eodem tempore quidam Suediæ epiſcopus Ioannes, quum Bremã pertranſiret, interpellatus ab archiepiſcopo, obedientiam illi pręſtitit, tanquam legitimo ſuperiori. Seruiuit neceſſitati, ceſſit tempori: quid faceret, non aliter abiturus? Antiquæ obſeruantię renouationem facere voluit archiepiſcopus, recordatus illorum temporum, quo trium regnorũ epiſcopi ſubditi erant archiepiſcopo Hamburgenſi: ſed in futurum ea res nihil profuit. Sifridus autem, expletis in pontificatu annis ſex, poſt quindecim in Brandenburgenſi eccleſia exactos, conceſſit è vita, anno Chriſtianæ ſalutis MCLXXXIIII.

*Papa Bremenſis epiſcopi electionem irritam pronunciat.*

*Bremenſis malouolorum crimina deluit.*

*Conſtitutiones apoſtolicæ quæ dicuntur, abolentur.*

CAP. 5. MIMIGARDEVORDENSI eccleſiæ, per ea tempora præfuit Henricus ſecundus, ordine vigeſimus ſecundus: qui multum laborauit pro noua eccleſia erigenda, prouiditque quę neceſſaria fuere: ſed ad effectum ipſe non perduxit, paſſus quod ſanctus Dauid in ædificando templo Hieroſolymitano, cui non eſt datum (q. vir bellator eſſet) templum inſtruere, ſed ſeruatum eſt hoc Solomoni pacifico. Ita contigerat huic pontifici, qui ſub Friderico Imperatore inquieta nactus eſt tempora. Tum verò Emanuel Græcorum Imperator, bellum in Soldanum habuit, de quo Imperatori Friderico ſcripſit, ſalutatione ſic poſita: Emanuel in Chriſto fidelis Imperator, Porphyrogenitus, diuinitus coronatus, regnator potens, excelſus & ſemper Auguſtus, & moderator Romanorum magnificus: Nobiliſſimo & glorioſiſſimo regi Alemanniæ, & Imperatori, & dilecto fratri Imperii noſtri, ſalutem, & fraterni amoris affectũ. Concluſit epiſtolam hoc modo: Soldanus Imperio noſtro

*Quibus ſcitus ſit inſignire Conſtantinopolitanus Imperator.*

nostro se dedidit: & missis legatis, misericordiam postulauit, fecitque Imperio nostro hominium & iuramenta: pollicitus est seruire nobis cõtra omnem hominem cum exercitu suo, ita vt sit amicorum nostrorum amicus, & inimicorum inimic⁹. Erat scripta aureis tota literis, sed vanitate plenissima. Sciebat enim Frideric⁹ quid esset in facto. Nam antè receperat legationem Soldani, quę rem omnem plene aperuerat. Munera tamen preciosa allata sunt Imperatori nostro, ex Soldano (credo) potius quàm Constantinopolitano. Erat cantharus smaragdinus, capiēs sextarium balsami, & gemmæ preciosæ plurimæ. Illusit autem Fridericus vanissimo Imperatori Græcorum, ita rescribens: Fridericus diuina fauente clementia, inclytus tri- *Fridericus Emanuelem Cõstantinopolitanum sic salutat.*
umphator, Romanorum Imperator à Deo coronatus, sublimis, in Christo fidelis, magnus, pacificus, gloriosus Cæsar, Græcorum moderator, & semper Augustus: nobili & illustri regi Græcorum Emanueli, dilecto fratri, salutem, & fraternæ dilectionis affectum. Et inter cætera, Sicut ille rex regum, à quo omnis potestas, Romanum Imperium caput totius orbis constituit: ita etiam Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum vnicam matrem, dominam & magistram ordinauit. Quod vtiq; duorum gladiorum numero figurauit, quos etiam sufficere perhibuit author fidei nostræ. Quapropter tuam prudentiam commonemus, quatenus nobis & Romano Imperio honorem debitum impendas, & summo pontifici (quem nomine tenus sanctum appellas) debitam obedientiam exhibeas, & honorem. Nuncii qui cum muneribus venerant, munerati quoque ab Imperatore sunt remissi. Hæc etsi in Saxonia dixisse meminerimus, pro insigni tamen rerum memoria, hunc voluimus tenere locum.

MINDENSI ecclesiæ per ea tẽpora præfuit dominus Wernerus, ordine pontificum vigesimus quintus, successor Henrici, magno ortus genere, pridem ecclesiæ huius maior præpositus. Præferunt annales ortum genere Wilhelmi Imperatoris, mendosè. Nam illa tempestate, etiamsi ab initio recenseas Imperatores, nullus erat in Imperio hoc nomine. Post annos autem centum, ex hoc die, erat Wilhelmus comes Hollandiæ, electus in differentia rex Romanorum. Sed de hoc loqui non possunt annales, quasi diuinantes, quis post annos centum sit futurus in Imperio. Ergo Conradum aut Fridericum accipimus, quorum sunt vicina tempora: vt illustri illorum sanguine sit ortus, comitum genere. Erant autem memorati Imperatores genere Franci orientales, quibus iam Galli verum & antiquum nomẽ ademerunt, vt illi Franci nostri dicantur Francones per inscitiam. Debuerant autem patrium & antiquum nomen tueri, vt non Francones, sed Franci dicerentur. Potuerat etiam iste pontifex esse Saxonico genere, de sanguine Luderi Saxonis Imperatoris, ante duos memoratos: qui non magno genere ortus peruenit ad Imperium: prout in Saxonia diximus. Sed hæc missa faciamus: attigimus tamen, non inuenientes aliud in Annalibus, vnde pontificem illustremus. Sedit autem annis septẽdecim, translatus ad meliora, anno Christi MCLXVII. in vigilia diui Martini: quæ 1167. erant tempora primi Friderici. *Nullus Imperator nomine Wilhelmus.* *Francones in Germania hodie, qui olim Franci.* CAP. 6.

ECCLESIÆ Osnaburgensi, sub primo Friderico Imperatore, vigesimus septimus præfuit pontifex Gerardus de Lippia, vir acer ingenio: qui capitulo suo & ministerialibus multa pro veteri licentia poscentibus, non acquieuit: & ideo ab illis non amabatur, nec proinde scribi curabant, quæ sonarent laudem. Monasterium tamen in Hersbroke monialium, quod iamdudum à regula degenerabat, curauit reformari: sorore sua (quæ præerat alteri monasterio) huc ad regendam sanctam confirmationem translata. Multa multis dedit feuda comitibus. Extant de super literæ: sed (vt diximus) suo capitulo & ministerialibus non erat acceptus. Vnde factũ est, vt quum in ecclesiam Bremensem esset postulatus, facilè cõsenserit, illuc translatus: sed inuenit acerrimum bellum, aduersus Stedingos, homines male Christianos, in quos etiam crucem obtinuit prædicari. Multi ibi nobiles perierunt, duces, comites, barones: in fine victi sunt, captiq; ad quatuor millia: primores iudicio permanserunt, multitudini emendatæ parcitur. *Stedingi non sinceri Christiani, bello damnatur.* CAP. 7.

PADERBVRNENSI ecclesiæ post Euergisum præficitur Sifridus, maioris ecclesiæ pridem præpositus: præfuit annis nouẽ, à septuagesimo octauo ad octua- CAP. 8.

gesimum septimum. Vidit ille humiliationem principis Henrici, quem antè quidē exosum pro impotentia & superbia omnibus, diu Imperator defendit: sed vbi etiā Imperatorem contempsisse videbatur, in eum armis versus & sententiis, exuit honore & rebus. Nam per hæc tempora conuentus principum erat in Magdeborch,

Henrie Saxonæ dux dominatu exutus, in Angliā exulat.

vbi querimoniæ multæ tam ab Imperatore, quàm principibus contra Henricū decem Saxoniæ sunt factæ, inchoatusq; est processus ille iudicialis, quem in Saxonia diximus. Vbi ille contemnitur, armatus contra eum descendit Imperator in Saxoniam, fugans eundem ad extrema Germaniæ: hoc est, in Lubecam, maritimam ciuitatē, sed nouam. Non ausus fidere loco Henricus, præsidium valido urbi impo
1180. suit, & concessit in Stadium. Venit eum exercitu Imperator, & Lubecam obsedit, & deditam accepit. Erat annus octogesimus post M C. quum in Wirtzburch abiudicaretur Henrico omne feudum: sed ille diu se armis defendit. In Westphalia congressus militibus archiepiscopi Colonien sis, qui eam partem occupauit ab Imperatore concessam: prosperè pugnauit Henricus: captus est Simon de Tikemborch comes. Titulum Saxoniæ eum partibus ad Albim fluuium Imperatoris dono accepit Bernardus de Anholt: sed non se ille commisit in aciem aduersus Henricū. Proximo anno Lubecam aggreditur Imperator, & accipit. Henricus nullam reliquam gratiam assequitur, quàm vt pareat iudicato, cedens omni regno. Ille concessit in Angliam, vnde vxorem habuit. Tertio post LXXX. anno Imperator Erfordiæ periclitatus est, fracto lobio super latrinam. Perierunt homines centum, & inter alios comes de Suartzeborch: qui prouerbio, nesciens præsagiebat mortem suam, *Hoc, inquiens, si fecero, mergar in latrina.*

CAP. 9. LVBECENSIS tum ecclesia, morte Henrici viduata pastore, accepit successorem Conradum, Imperialem cancellarium, qui Lubecam vidit, & placuit: vir literatus & facundus, & qui in multis ecclesiis iam esset intitulatus. Licet autem per archiepiscopum Bremensem sit confirmatus, non tamen peruenit ad consecrationem pontificalem. Dum autem ad regendum accederet, & Adolphum comitem tertium eius nominis, super aduocatia in Vthin & aliis multis sibi cerneret aduersari, suis rebus ordinatis, eum supellectili omnis generis & iumentis, quæ hinc extorserat, abiit ad Sifridum archiepiscopum Bremensem: eui cum, quam ab illo acceperat, resignauit, & clero Lubecensi se minimè reuersurum rescripsit. Vir erat maioris animi, quàm vt illis angustiis posset contineri. Diu seeutus aulam, cum Imperatore profectus est in Hierosolymitanam expeditionem. Quumq; ille in Armenia deficeret, mersus in amni, Friderieus filius Imperatoris, & hic Cōradus cancellarius, curam exercitus susceperunt, & in terra sancta diu rem sustinuerūt. Aderat Adolphus comes Holsatiæ, eum multa nobilitate. Sub eius ductu inchoatus est ordo Theutonicorum militum diuæ Mariæ, initium facientibus ciuibus de Brema atq; Lubeca: quod in Saxonia & Wandalia ostendimus. Hic ille Conradus (vt arbi

Conradus ecclesiæ Lubicen si prafuit amplitudine non contentus.

Episcop⁹ duabus sellis fidit.

tror) ad ecclesiam peruenit Hildesemensem: sed quum ecclesiam Herbipolensem cerneret vacare, priore dimissa, ad illam transiuit, neutram assecutus: quia non meruit quam contempsit, nec apprehendit quam curiosè ambiuit. Extant de eretales epistolæ super hac re. Postea tumultu nescio vnde exorto immixtus cæditur: & inuentus est sub armis gestasse cilicium. Interim Henricus dux exulans, mansit in Anglia, vsque dum audiret Imperatorem conecessisse in expeditionem terræ sanctæ. Priusquam tamen abiret in exilium, in gratiam Imperatoris dimisit, quos habuit, captiuos: Ludouicum comitem prouincialem Hassiæ, Hermannum eius fratrem, comitem Palatinum, Wedekindum de Waldegge, cum mille & suprà militibus. Reliquit enim illi Imperator magnam Saxoniæ partem, quæ illi de materno genere peruenit: quam hodie tenent posteri eius omnes principes, qui de domo Brunswicensi censentur.

CAP. 10. VERDENSI tum ecclesiæ præerat vir insignis Hugo, Imperatori Friderico non in postremis charus. Litem habebat in iure cum episcopo Halberstadensi de terminis in prato. Vterque suæ studebat ecclesiæ: sed Imperator, pensatis omnibus, pratum adiudicauit ecclesiæ Verdensi, præcipiens Ottoni de Brandenborch, ne permitteret episcopum Verdensem eo prætextu aliquatenus molestari.

Ecclesiæ zelus qualis in episcopo.

Contulit

Contulit ecclesiæ decimã de allodio in Elstorp. Obiit die Cal. Martij, anno Christi, MCLXXXIX. Eius temporibus Imperator celeberrimã curiam habuit Mogun tiæ. Ibi filius eius Henricus, iam rex, fit miles auratus, ibi confirmatum est matrimoniũ Constantiæ cum eodem Henrico, Imperatoris Friderici filio. Fuit ea filia regis Siciliæ, Calabriæ & Apuliæ, Rogerij, soror regis Wilhelmi, qui sine prole decessit. Fuit autem Constantia iam (vt ferebant) sexagenaria, rex autem adolescentulus: impar nimirũ coniugiũ, sed quod magna dos regnum vtriusq; Siciliæ conciliabat. Pactumq; est, vt si post fratrem viueret Constantia, regnum obtineret. Lucius Papa instituit, vt coronaret Henricum de regno Siciliæ: sed est à quibusdam cardinalibus impeditus. Conuenerant Veronã Lucius Papa, & Imperator Fridericus. Venit eò nuncius Saladini, qui se in literis suis Saladinum, Felicem, Ioseph Ægypti, & dominatorem Damasci nominauit, & principem Babylonis: minatus, se repetere Hierosolymam, quam sibi asseruit hæreditario iure prouenire de Sara. & in fine literarum subiunxit: Sic me adiuuet propheta meus Mahumeth. Super hoc nuncio contristata tota curia indoluit: & quod minatus est, statim perfecit. Nam Hierosolymam cepit, desidentibus nostris. Capta est autem anno LXXXVII. Qua de re Henricus Albanensis episcopus, de latere Vrbani Papæ legatus, crucem prædicauit, & vltramarinam solicitauit expeditionem. Armauit se Imperator, & infinita omnis generis multitudo nobiliũ, militum, ciuium, gregariorũ satellitum: sexcenta feruntur millia in eam expeditionem conscripta. Feruor optimus, si bonus rebus ordo infuisset. Profectus est Imperator cum multis millibus per Vngariã, venit Constantinopolim: inde in minorem traiecit Asiam, quæ nunc magna Turcia dicitur. Ibi aliquot præliis feliciter gestis, & captis vrbibus, miserabiliter periit in aquis, videntе exercitu toto: & concidit magna spes concepta.

*Datem duxit, non uxorem.*

*Hierosolyma à Saladino capta.*

1189.

CONRADO Imperatoris cancellario cedente, & ecclesiam Lubecensem linquente, de nouo pontifice erat agendum. Ergo Theodoricus præpositus in Segeberg, vir bonus, pius & mansuetus, in episcopum Lubecensem, Harduico archiepiscopo Bremensi se electioni immiscente, & capitulũ Lubecense vsque in Hamborch citare, pari voto, & vnanimi consensu archiepiscopi & capituli (quum esset ecclesia suo orbata pastore) in episcopũ est assumptus, anno Christi octogesimo octauo post centũ mille. Quòd se archiepiscopus interposuit, inde erat, quia Conradus episcopatum reliquerat in manibus prædecessoris sui Sifridi: alioqui ad eum non pertinuisset. Theodoricus quum se absente & ignorante ista gererentur, intimata sibi electione, omnibus modis contradixit, & quantum potuit, reluctatur: ad exhortationẽ tamen episcopi, & comitis Holsatiæ Adolphi, non sine lachrymis cõsensum præbuit, recipiens inuestituræ de manu Friderici Imperatoris de Italia redeuntis. Iste episcopus, quum dominus de Mekelnborch, deficientibus Wandalis, de insula Pole Theutonicos colonos colligeret, illosq; ne episcopo Lubecensi decimam persoluerent, pertinaciter defenderet, considerans tutum non esse, cum eo qui haberet sociam multitudinem, contendere, cedendo potius in parte, vt reliquam partem cum pace obtineret, de cõsilio episcopi Suerinensis & capituli sui, decimarum medietatem dicto principi feudum concessit, vt de altera medietate iustam decimam expeditè ipsum accipere efficeret. Illo tum ingenio nobiles immiscuere se decimis: fecere idem comes de Racesborg, & Adolphus de Holsatia, vt vasalli per feudum fierent ecclesiarum, accepta quota parte decimarum, vt adiutores essent residuæ partis extorquendæ. Nam nouus in fide populus, grauis ad persoluendas decimas nimis videbatur: pro qua re in Dania dudum est cæsus à populo Iutarum, rex Canutus, in sanctos relatus: multiq; periissent in Wandalis episcopi, si non defensores habuissent comites aut principes, gladium portantes. Per id tempus, quum esset Imperator in expeditione Hierosolymitana, Henricus dux Leo ex Anglia reuersus, paulatim vires resumpsit: & collecto exercitu obsedit, cepit, & perfregit Bardewicũ, potentem vrbem, vtpote quæ Henrico tanto suo principi auderet claudere portas. Erat annus nonagesimus octauus post MC. Theodoricus autem bonus pontifex, ecclesiam suam in pace regebat, per viginti tres annos. Plura de ipso signauimus in nostra Wandalia, quæ indè repetantur.

CAP. II.

*Episcopus ægre ad onus suscipiendum adducitur.*

1188.

*Decimæ vt ex torqueantur, nobilibus in præde partem cedunt.*

1198.

CAP. 12. MINDENSEM eccleſiam, durante adhuc Imperij primi Friderici tempore, poſt Wernerum nobilem virum, ordine pontificum vigeſimus ſextus, Anno gubernabat, natus è comitibus de Blanckenburg. Valuit tum maximè controuerſia inter ſacerdotium & regnum, quòd epiſcopatibus prouideret Fridericus, ius patrium reuocaret: pontifex proximis pactis & diuino iuri pariter & humano inhærebat, eſſe indignum, principem laicum diſponere de rebus eccleſiaſticis. Multi per Imperatorem ſuffecti, ſed à Papa cum ſuo Imperatore anathematizati. Sedit autem hic pontifex annis quatuordecim, & in craſtino Valentini martyris, anno MCLXXXV. migrauit ex hoc ſeculo. Feruebat ea tempeſtate multo maximè ea diuerſitas. Nam ad nouiſſima tempora ſua (hoc eſt poſt annos circiter decem, ex hoc tempore) Fridericus Imperator, ſumpta cruce, peregrinationem inſtituit in terrã ſanctam, in qua moriens defecit (quod in noſtra Saxonia plenius expreſſimus) facta tamen antè reconciliatione cum pontifice, quæ pacta fertur Venetiis, quum papa eò incognitus tectusq; peruenisſet. Anno autem is pontifex, non memoratur huic ſe diuerſitati immerſiſſe: ſed in pace obiens, pacis petiuit authorem.

*Contentio de inueſtitura.*

CAP. 13. BREMENSI eccleſiæ poſt Sifridum, Harduicus ſecundus præficitur, pridem eccleſiæ cuſtos, ſiue theſaurarius, aſſumptus eodem anno, quo & Lubecenſi eccleſiæ præuiderat epiſcopum. Iſte Hartuicus iamdudum Henrico duci ſeruiens, quũ aſſumeretur archiepiſcopus, & ille omnium indigens ab exilio rediiſſet, nulla de parte voluit adeſſe, ſciens quàm grauis fuerit olim eccleſiis. Tertio ſui pontificatus anno inſtituit ſolenne collegium in ciuitate Brema, ad honorem ſancti Anſgarij, donans redditibus: inſuper conuentum inſtituit virginum, in valle Liliorum.

*Hieroſolyma capta à Chriſtianis non poſt recipi.*

Habuerunt huius pontificis tempora caſus luctuoſos. Nam noſtrorũ in Aſia ignauia, pariter & diſſenſione, Hieroſolyma iterum ab infidelibus capta eſt, duce Saladino: nec ad hunc vſque diem recuperata, licet multa ſint in eam rem intentata. Summi pontificis iuſſu iterum crux prædicatur. Suſcepit eam Imperator Fridericus, & cum eo filius eius, cognominis patri, dux Sueuiæ, multi archiepiſcopi, dux Bohemiæ, dux Auſtriæ, & multi nobiles & magnates, ita vt computarentur in exercitu Imperatoris ſexcenta millia pugnatorum. Crucis autem legatus à papa Clemente miſſus erat Henricus cardinalis, epiſcopus Albanenſis. Imperator circunduxit exercitum per Vngariam & Græciam. Reges Angliæ & Francię, diuerſis itineribus, cõdem contenderunt: Bremenſes, Dani, Lubecenſes, Phriſij, & omnis nauales exercitus, mare tranſierunt. Periit Imperator, quod diximus. Rex Franciæ cepit Damiatam, vrbem Ægypti: ſed diluuio Nili interueniente, coactus eſt relinquere. Reges deinde iunctis viribus, Ptolemaidam, quæ Acon dicitur, recuperârunt: ſed Richardus rex Angliæ male notatus eſt, quòd cum infidelibus ſit occultè pactus. Rediens ignoto habitu, quum exercitus eius diſperſus eſſet, & magna parte amiſſus, Viennæ agnitus eſt, captusq; ingenti auro ſe redemit. Henricus Friderici filius patri ſuccedit in Imperio: filiam Rogerij regis Siciliæ Conſtantiam (mortuo fratre eius ante illam Wilhelmo) monialem, annoſam ducit vxorem, ex qua filium Fridericum memoratur ſuſtuliſſe. Imperator cum coniuge Conſtantia intrauit Apuliam, habens in comitatu Conradum archiepiſcopum Moguntinum, & Philippum Colonienſem. Inualuit autem maxima peſtis in exercitu, in qua Philippus Colonienſis deceſſit: cui ſucceſſit Bruno iam decrepitus. Imperator quoque grauiter infirmatus, & in ſorella portatus, ita vt diceretur iam mortuus.

*Henricus ſe altero oculo captum aſſimulat.*

Theutonici de rege alio iam tractabant, & maximè dux Henricus, cuius filius Henricus iam conſpirauerat cum Tancredo, vno ex primoribus regi: qui nuper reuerſus per Græciam & Vngariam, venerat in ſpecie monoculi, emplaſtro ſuper alterum oculum impoſito, quo ignotus tranſiret: & profuit dolus illi, bonus ad fallendos inimicos. Hartuicus autem archiepiſcopus, contracto vndecunque exercitu, manu valida intrauit Thietmarſiam, vt ad deditionem compelleret rebelles. Militabat illi Adolphus Holſatiæ comes, & profecit. Illi autem pecuniam infinitam, vt redimerent tempus malum, expromiſerunt. Sic pontifex cum magna rerum iactantia, reuerſus eſt in ſua, credens in omnibus ſe rectè proſperatum: ſed ex ea radice magna pullulauit eccleſiæ vaſtitas. Nam quum Adol-

phus

phus de Holsatia,& Christianus de Oldenborg comites,& alij nobiles stipendium militiæ requirerent,promissum Archiepiscopus reddere non valens, ministrorũ suorũ stimulis adactus,qui fideiussores interuenere,redditus episcopales per trien nium abiurauit,vt infra tempus illud omnia ex integro soluerentur. Ipse verò de iis quæ de cathedratico,vel ecclesiarũ consecrationibus consequi poterat, victitabat.Thietmarsi quoq; pecuniam quam expromiserant,soluere non valentes,ad Waldemarum Slesuicensem episcopum se contulerunt,qui erat filius Canuti regis,a Zuenone in conuiuio perempti: manseruntq; sub corona Daniæ vsque in diem pugnæ in Bornehœuede,vbi clypeos verterunt. *Archiepiscop. bellator ad inopiã redigitur*

HALBERSTADENSI ecclesiæ,post Vlricum longæuum, laboriosum, sed in fine calamitosum episcopũ,præficitur Theodoricus: præfuitq; annis tredecim. Tempestates tum crebræ,& excrementa erant fluuiorum maxima, terræ fluuiatiles & maritimæ plures interierunt: domus integræ innatabant,sedentibus quibusdam super summitate,pueri in cunis visebantur,in doliis alij,omnes perituri, miserabile spectaculum. Quo tempore Henricus sextus Imperator,iam creditus mortuus, quum se in regno nonnulli commouissent,conualescens ex infirmitate, misit exercitum contra Tancredum principem:& ipse morã fecit cis Rhenum. Donauit autem Romanis oppidum Tusculanum,quod ipsi funditus euerterũt. Quo tempore Christianus de Oldenborg comes,reuersus de terra sancta,machinatione Mauricij fratris sui,quum dormiret in vili horreo,est trucidatus. Interfectores examinati,iudicio duodecim vomerum,rotę supplicio sunt affecti,de conscijs vel author ibus quærebatur illa purgatione.Per eam tempestatem in terra sancta Bremenses & Lubecenses ciues,quum interessent expeditioni,inter primos ordinem beatæ Mariæ Theutonicorum militum excitarunt, infirmorum peregrinorũ sub tentoriis custodes. Viderant per agros proiectos ægrotantes, extulerant nauibus vela,fixerunt papiliones,suscepere laborantium custodiam. Accessere pietati nobiles:dux Sueuiæ Fridericus,& Imperij cancellarius Conradus,rem fouebant:instituti fratres,habitum quem in eis cernimus,susceperunt. Postea instante Friderico Imperatore secundo,à pontifice summo confirmatur. Harduicus interim Bremensis pontifex non æquè gratus suis atque Burgensibus erat: nam ciues incommoda plurima intulerunt ecclesiæ,propter illum. Causam annales non præferunt: fortè (vt erant Bremenses semper iunctissimi domui de Aldenborg) Ottonem præpositum,qui posteà peruenit ad ecclesiam Monasterienſem, maluere pontificem. Inter præclara autem huius pontificis opera numeratur, quòd Bertoldum quendam ordinis Grisei,hoc est,Cistertiensium (sic enim initio dicebatur, ab habitu quem præfert) consecrauit episcopum Liuoniensem, emisitque in terram. Primus autem fertur fuisse in ea prouincia episcopus Menerus quidam, qui in Liuonia pridem presbyter prædicauit,à mercatoribus inuectus: cui post plurimos pro Christo labores morienti,successit iste Bartoldus. Sed nec ille diu præfuit,cæsus ab infidelibus in acie,quum equus,cui bene regendo impar erat, illum abduceret. Surrogatur illi ab Harduico Albertus Bremensis canonicus, vir singularis industriæ,qui per annos triginta multis laboribus & periculis,res eò perduxit, vt Rigensis ecclesia metropolitica fieret. Eam ciuitatẽ ille fundauit, vt suffraganeos haberet Curonensem,Torpatensem, Osiliensem.Nam Reualiensem Lundensis archiepiscopus ex Dania, occupauerat, quòd rex Daniæ Canutus, deinde Waldemarus (quibus ille comes aderat) cum Adolpho Holsatiæ comite eam terram subegerint. Insignis autem erat Alberti episcopi opera, qui annis fere singulis nauigabat in has terras, reductis militibus, qui per annum sacram ibi militiam peregissent,nouis in idem opus reuectis. Habebat enim à summo pontifice gratiã cruciatæ in perfidos. Multi se pontifices, aliquot duces & comites, innumeri milites eò se contulerunt:quorum alij ibi vitam finierunt,alij cum laude redierũt.Sed hæc plenius in nostra Wandalia. *Mirę a quarũ inundatio-nes. Euangelium in Liuonia prædicari incipit. Assidua aduer sus paganos militia.* CAP. 14.

MONASTERIENSI ecclesiæ tum præfuit vir nobilis, Ludouicus, patruus Ottonis comitis de Tekenborg,qui tum potenter dominabatur in terra,subducto iam iugo Henrici Leonis:qui nouissimus ducũ Saxoniæ, Westphaliæ imperabat. CAP. 15.

Successit illi archiepiscopus Colonienſis,accipiens ab Imperatore Friderico feudum terræ,posteaquã Henricus ducatu erat destitutus per Imperialem sententiã. Hic Ludouicus vir erat magnanimus,& qui ecclesiam amplificauit, multisq; donabat rebus & libertatibus. Interim Harduicus archiepiscopus Bremensis, suscepto voto & ipse nauigabat in sanctam terram, longa circuitione vsus. Nam è mari nostro peruenit Vlysbonam,honorificè susceptus ab loci pontifice. Ea est in vltimis Hispaniæ terminis,sub flexu ad meridiem. Inde enauigata diu reliqua Hispania & barbarie,rursus in orientem,flexo cursu, longo itinere peruenit in terram sanctam. Sed non erat virium suarum,aliquid ibi magni peragere, vbi tot reges & duces sunt frustrati. Reuersus inde post annum,per transiuit Venetias: indè reuersus,attulit reliquias sanctæ Annæ,& cultrum,quem ferunt fuisse Petri. Interuenit autem mors Henrici Cæsaris:coactiq́ue sunt peregrini in terra sancta pugnantes, propter Imperij vacationem,imò & lacerationem, per duos in discordia electos, treugas cum Sarracenis facere in annos sex. Philippus Friderici Imperatoris filius, Henrici frater,à quibusdam eligitur Moguntiæ: Otto Henrici Leonis filius,à Colonienſi episcopo maximè assumitur. Cruentis illi inter se prælijs mutuas attriuere vires:quæ plenius in Saxonia.

*Bremenſis archiepiscopi nauigatio in Palæstinam, sed parum emolumenti.*

CAP. 16. VERDENSIS ecclesia per eadem tempora pontificem habuit Tannonem, virum præcipuum,ordine episcoporum vigesimum nonum,qui pridem erat thesaurarius ecclesiæ,seruus fidelis & prudens, qui contulit ecclesiæ duos mansos in Berneſtede,& vnam domum in Valentlo: comparauitq́ue ecclesiæ calicem aureũ maiorem,& auream imaginem diuæ Mariæ semper virginis: conseruauit ecclesiã maiorem,quæ creditur tertia ab initio, cooperantibus sibi Annone Mindenſi,& Adologo Hildesemenſi episcopis. Excessit rebus humanis anno MCXCVII. Idibus Decembris. Temporibus eius Richardus rex, quum pecuniam (vt fertur) accepisset à filiis Saladini,duodecim,vt ferunt,comariorum (ita tum pondus significabant) vt desereret cæteros Christianismi principes, conculcauit tentoria regis Franciæ,& ducis Austriæ, vt seditionem commoueret, quia abire proponebat. Quumq́ue abiens nauigaret in patriam,naufragatus est:pecuniam perdidit malè acceptam,cum multis militibus:& ipse vix euasit, cæteris dispersis. Venit in Austriam,vt putabat,incognitus:& in ciuitate Vienna cognitus est,& captus, quum sederet ad ignem,& gallinam in veru verſaret: traditus est Imperatori Henrico: sed ipse pecunia se redemit. Albertus Leodienſis episcopus, nutu (vt dicitur) Imperatoris,à ſicariis est interfectus. Richardus pro sua liberatione persoluit Imperatori centum & quinquaginta millia librarum argenti. Balduinus tum episcopus Traiectenſis,fugatus est in Trent,ante Cosueldiam pluribus interfectis. Henricus filius Henrici Leonis,duxit Agnetem,filiam Conradi comitis Palatini vnicam: & habitus est comes Palatinus. Bremenſes tum canonici Hamburgenſibus multa incommoda intulerunt, pro susceptoHarduico eorum pontifice,quem omnes insectabantur. Vetus odium,nescio an inuidia incesserat canonicos ambarum ecclesiarum. Hamburgenſes canonici: in matrice ecclesia confidentes, honorem sibi veterem tuebantur, vt essent Metropolitanæ ecclesiæ canonici: prætendentes, Bremensem vnitam & infusam Hamburgenſi,minorem maiori, suffraganeã metropoliticæ:& ideo primas sibi deberi partes censebant. Ediuerso Bremenſes, vetera trãsisse, abolitum honorem legationis, euanuisse ius Hamburgenſis ecclesiæ: se tenere archiepiscopum, sicut ab initio & à memoria Ansgarij primi archiepiscopi,ibi essent omnes commorati & disiuncti. Hamburgenſes nomine tenus solùm fuisse aliquando metropoliticos:cæterùm corpus ecclesiæ fuisse semper Bremæ, vmbram Hamburgi,quæ iam aufugisset. Itaque diu contenderãt Bremenſes,cum honore metropolitici iuris,iam sublato,etiam ecclesiam omnem absorbere, prærogandas & omnia iura & prædia Bremam transferre. Sed conatibus defuit fortuna, defuit optatus exitus,non permittente eo qui ex alto cuncta disponsat.

*Richardus Anglus erga Christianum exercitum perfidus.*

*Triæ apinæ, canonicorum inter se dissidia.*

CAP. 17. HILDESEMENSI tum ecclesiæ præficitur Berno, vir eximius,ordine vigesimus quartus:anno vix vno præfuit,& concessit in fata. Successit ei tum Conradus,Imperialis cancellarius,quem alij Claudarum nominant: siue id cognomen illi

illi fuerit, siue alio errore prodierit. Hic est ille, qui Lubecensem ecclesiam deseruit, & post peregrinationem terræ sanctæ, cum Friderico Imperatore patre, & deinde Friderico eius filio, vacantem Hildesemensem ecclesiam est consecutus: vir summæ authoritatis apud omnes, & cui nemo facilè refragaretur. Sed & illa visa illi non satis compar, maiorem ambiebat. Vacabat Wirtzburgensis, quæ titulum habet ducalem: ea placuit, & eam sine summi authoritate pontificis apprehendit. Vnde factum est, vt pontifex à diuersa sentientibus monitus, cum priuarit vtraq; vt scribitur *c. iij. De translatione episcopi*. Quod & antea diximus, quum eius mentionem inter episcopos Lubecēses faceremus. Interim Henrico Imperatori natus est filius in valle Spoletana, in eiuitate Assisio, nocte quæ præcedit dormitionem Ioānis euangelistæ: & quindecim episcopis & cardinalibus præsentibus est baptizatus, dictusq; est Fridericus auito nomine. Imperator cepit Salernum: cepit etiam Margaretam, potentissimum piratarum, qui ipsum dolo voluit occidere: captum autem excæcauit. Captus est etiam filius Tancredi, qui, dum viueret, se pro rege contra Henricum gerebat: & mater eius vidua, & filia. Capta quoque est Krisac, filia regis Constantinopolitani, Tancredi filio desponsata, nomine Cæcilia: quam postea duxit Philippus Romanorū rex, Henrici germanus frater. Imperator etiam ipse se crucis signauit charactere, & Christianorum plurima multitudo: sed ad expeditionem ipse non venit, tardatus infirmitate corporis. Delatum est per ea tempora Imperatori, quòd Constantia Imperatrix misisset iocalia preciosa euidā lordano, & recepisset preciosiora: qui se perinde gloriabatur futurum regem, & ducturum matrimonio Constantiam. Quem Imperator captum, in sedem ferream posuit igne candentem, & coronam ignitam clauis ferreis capiti eius iussit infigi. Quendam etiam Richardum per plateas tractū, iussit suspendio necari, quia eum (vt ferebatur) iussu Constantiæ voluit impotionare. Imperator etsi ipse in terram sanctam non venerit, fecit tamen maxima subsidia peregrinis. Inde in Siciliam profectus, quum Messanam & Brundusium, & ciuitates alias subiugasset, regnum quoque vltra Pharum Siciliæ, & Apuliæ, & Calabriæ, iam pacificè possideret, vitam finiuit, festo Michaelis, anno nonagesimo octauo. Peregrini ignorantes diu celatam Imperatoris mortem, iam Baruth occupauerant, & Thurin obsidébant. Cognoscentes autem de morte Imperatoris, territi sunt, & Accaron fugerunt. Qui tum regis Hierusalem titulum habebat, surrexit, vt vrinā proiiceret: & eadens de fenestra, fractis ceruicibus, expirauit: & eliens similiter, qui eum retrahere curabat. Principes autem peregrini de successore Imperij soliciti, direxerunt vota sua in Friderieum Henriei filium, adhuc infantem, quem alio nomine ex matre dixere Constantinum: sed Imperatorem, non puerum, Alemannię principes voluerunt, eligentes Philippum Henrici fratrem: excepto Adolpho Colonensi archiepiscopo, qui eum suis complicibus elegit dueem Zaringiæ. Qui quum recusasset, præferebat Ottonem, filium Henriei Leonis, ante paucos annos defuncti, consilio & auxilio fretus Richardi Anglorum regis, eius auunculi: Henricus frater, & dux Brabantiæ, hanc rem magnopere procurabant. Otto Aquisgrani, Philippus apud Maguntiam coronatur.

*Episcopi ambitio delusa.*

*Constitie Imperatricis suspectæ erga maritū iudex.*

*Contentio & schisma de sur rogando Imperatore.*

PER quæ tempora Mindensis ecclesia fertur habuisse pontificem Dithmarū, ordine suorum vigesimum septimum: de cuius virtutibus hoc prædicant, quòd inter alia clarueritin vita miraculis. Nam quum esset vir abstinentissimus, multis vtens ieiuniis, die Parasceues misit quendam qui hauriret aquam, qua sola tum vteretur in potu. Feeit ille quod iussus est: sed vbi venit in manum Pontificis, vertitur in vinum: Illusum sibi arbitratur Pontifex à ministro: seuerè iubet, vt aquam illi, non vinum, proferat. Miratus minister, quàm sanctè testatur, non vinum, sed aquam se hausisse. Iubetur iterare ministerium: aeeidit quod prius. Tum verò non credens fidum ministrum, cum illo egreditur, intuitus vnde ille hauriret. Quumque cerneret de puteo produxisse quod afferebat, videns aquam esse mutatam in vinum, Dei bonitatem collaudabat, qui vetera erga illum miracula renouaret. Cuius temporibus monasterium diui Benedicti in Nendorp sumpsit initiū. Sed & comitatus de Hoia eadē ætate exoritur, quum esset in Imperio Hen-

CAP. 18.

*Miraculum sua prā iam commemoratum.*

ricus sextus, Friderici maior filius, cui desponderant Constantiam monialem, vt per eam regnum assequeretur Neapolitanum, imò vtriusque Siciliæ. Quo de matrimonio natus fertur secundus Fridericus, de radice reguli basiliscus. Erat enim iste secundus maior, quàm auus, hostis ecclesiæ. qui multa diu fecit ad eneruandã ecclesiæ potestatem. sed impegit in lapidem, super quem Deus ædificauit ecclesiam: cuius tantum est robur, vt nec portæ inferi prævaleant aduersus eam: quanto minùs mortalis homo, vas putredinis, concha sterquilinij? Cepit Cardinales, ex prouinciis in vrbem properantes pro concilio, in quo res omnes pacarent. Nulli immunes: Prælati, Abbates, Præpositi, Archidiaconi, ad vnum omnes in carcerem coniiciuntur. In quo dum manent, supra duos annos vacabat sedes apostolica, mirabili facie ecclesiæ: donec quibuscunque conditionibus laxati, creârunt ex suo numero Pontificem Sinebaldum, virum nobilem, doctum, & (vt putabatur) amicum Imperatori. Qui gratulatum festinabant ad Imperatorem, nunciantes, amicũ Cardinalem esse creatum Pontificem, respondit: Sinebaldus ex amico Cardinali, factus est inimicissimus pontifex. Is erat Innocentius quartus, cuius extant commentaria in Decretales, omnibus doctis veneranda. Imperator execrationibus petitur à Pontifice, celebrante concilium in Galliis, quò se venturum pollicitus est Imperator: sed misit pro se nuncium, doctorem Thadæum iurisconsultissimum, qui multa pro Imperatore allegaret, sed frustrà. Multo enim plura opponebantur de iure diuino & humano, quæ omnia Fridericus temerauit depositus & execratus: sed perstitit in duritia in finẽ. Detmarus autem Pontifex Mindensis, sedit annos vigintiunum, sub hoc turbine rerum, dum Otto & Philippus digladiarentur
1206. de Imperio: & in vigilia Thomæ de Aquino emigrauit, anno Christi MCCVI.

CAP. 19. *Adolphi Osnaburgensis ecclesiæ vigesimi octaui virtus & pietas.*

OSNABVRGENSI ecclesiæ, post translatum in ecclesiam Bremensem Gerardum, vigesimo octauo loco præfuit Adolphus, vir singularis industriæ, & deuotionis non vulgaris: qui officium cantoris auxit: sed onerauit vicissim, vt cultũ religionis amplificaret, multa per industriã & solicitudinem adiunxit ecclesiæ: simul insistens & spiritualibus & corporalibus incrementis. Ad declarandam sanctitatem viri, hoc referunt memorabile, quòd quum iter faceret in Varstenouw, itinere medio casellam habuit vir leprosus, quem miseratus episcopus, quoties pertransiret, curauit inuisere: & allocutione fraterna inuitauit ad patientiam, proposita ei in exemplum Christi passione: & nihilominùs eleemosynam reliquit indigenti. Pertæsum erat ministerialibus moræ, quam ibi faciebat præteriens episcopus: & tamen quum illi nemo opponere auderet fastidium, effecêre, vt transituro per viam episcopo, subduceretur, per ordinationem illorum. Intrauit de more casellam episcopus, & quem illi dudùm transtulisse videbantur, ne ibi tempus per-
*Miraculum.* deret episcopus, videt ille ante se in loco sedere consueto. Cui quum solita monita repetîsset Adolphus, in gratias soluitur leprosus: dicens se doctrinis eius plurimùm profecisse: & videntibus cunctis qui aderant, spiritum efflauit: dabatq; signa sanctitatis, cunctis admirantibus, & de sua fraude quam commiserant, dolentibus. Adeò fuit opinatæ sanctitatis moriens episcopus, vt qui lapidem sepulturæ eius transiens, inhonoro pede tangeret, eo die singularem ignominiam incurrebat. Præfuit autem ecclesiæ suæ vigintiuno annis, cum plurima sui laude, & suorum profectu.

CAP. 20. *Quemadmodum Brun Wardus in ecclesia Seuerinensi se gesserit.*

MECKELENBVRGENSIS ecclesia, nouissimo tempore Bennonis episcopi, qui annis quinquaginta præfuerat, multo labore, & periculis non paucis, transfertur in Sucrin: & succedit Bennoni Brunwardus, ex fratrib⁹ eius vir præcipuus, qui ecclesiam moribus & rebus plurimùm ornauit. Quum enim esset Berno, siue Bruno (vtrunque enim legitur) ordinis Cistertiensis, creditum est, illum vixisse cũ aliquantis sui ordinis fratribus: tamen certâ inde traditionem non habemus. Præfuit autem & iste ecclesiæ suæ longè post hæc tẽpora, per annos quadraginta quaIIOO. tuor. Excessit enim rebus humanis vigesimo septimo post MCC. Vidit mirabiles mutationes temporum, Henrici Leonis & Friderici Imperatoris exitum, laborem filiorum ad retentionem partæ dignitatis: quanuis filij Henrici ad ducalem honorem nunquam redierint, nisi quòd ex filiis eius Otto electus Romanorum rex, à

summo

summo pontifice gratificante partes eius, meruit coronari, vt esset Imperator. Sed erat ei labor plurimus, & infinita perplexitas, dum luctaretur cum Philippo æmulo. Maior etiam succreuit illi in fine aduersitas, quum Romanæ ecclesiæ contumax fieret, ab illa excommunicatus: etiam Imperio depositus, quum aduersus illum Fridericus secundus eligeretur, multa etiam illi conflictatione resistens. Cessit idem Otto in Flandria aduersus se ductanti exercitum regi Franciæ, quum Otto propinquo suo regi Angliæ ferret suppetias. Captus est ibi comes Flandriæ, & vix euasit manus Gallorum, Romanorum Imperator. Hoc illi arbitrantur infortunium obuenisse, quia Romanam ecclesiam, quam antè semper veneratus est, & à qua potissimum in id dignitatis prouectus, videtur contempsisse. Multa fecerat pro eo Innocentius III. vt aduersus potentissimum hostem, ipsum tueretur, quod alioqui suis viribus non potuisset. Fefellit eum amor Imperij, cuius antiqua iura per Italiam contenderat recuperare: illa impetens, quæ iam aliquandiu Romana possedisset ecclesia. Sed Fridericus aduersus hunc electus, nihilo fecit rem meliorem, si non deteriorem: quod in sequentibus narrabitur.

*Ottonis Romanorum Regis infortunium.*

MONASTERIENSEM, quæ pridem Mimigardeuordensis dicebatur, eccle- CAP. 21.
siam, per ea tempora gubernabat Godscalcus, ordine pontificum vigesimus quartus, humili genere, Saxo natus: sed natalium originem, virtute & industria supplevit. Nam Imperator Fridericus, eius laudabili vita permotus, eidem de Mimigardeuordensi ecclesia prouidit: quam & laudabiliter rexit, & fortiter aduersus insurgentes defendit. Nam confisus in adiutorio altissimi, & in protectione sancti Pauli, sustinuit impetus insurgentium sibi comitum de Tekeneborg, qui omnia sibi pro consuetudine inolita licere putabant. Nam & comites de Arnsberge, & milites de Meinhœuele superauit, adiutus à paucis fidelibus, quũ multi ex suis eum defererent: de hostibus gloriosè triumphauit, ecclesiæ iura defendit: & post multum laborem, in pace quieuit. Sensit procul dubio suis temporibus motus prouinciarum sub Imperatore Friderico, & Henrico duce, in nouissimis diebus illi se obiiciente: quum illum Imperator post multam principum querimoniam euocatũ, & contemnentem imperialia iussa, pro insigni contumacia in Imperium, destituit honore ducali, & aliis principibus attribuit eius dignitates. Nam archiepiscopus Colonensis ducatum Westphaliæ, quæ est vetus Saxonia, sibi desumpsit, & retinet in hodiernum. Bernardus quoque de Ancholt, ducatum cum titulo Saxoniæ susceperit Imperiali munere: & tenent vsque hodie posteri eius, inferiorem ad Albim Saxoniam. nam superiorem habent Misnenses: quod in Saxonia ostendimus, quomodo, & vnde, & quando factum sit.

*Episcopus pro Ecclesiæ iure defendendo arma capit.*

*Henricus ob contumaciam ducali honore destituitur.*

IN ecclesia Ratzeburgensi optimo pontifici & longæuo Isfrido, tum desi- CAP. 22.
cienti, surrogatur Philippus, non sine contentione fratrum: nam alij capellanum, alij præpositum præferebant. Sed, quod in Wandalia diximus, Albertus comes assumptus arbiter, litem diremit, & Philippo consignauit. Præfuit autem ecclesiæ suæ in omni sanctitate & iustitia, imitatus recentia sui prædecessoris vestigia. quæ illi sanctitatis memoriã adeò commendabant, vt nisi esset ipse durissimus, eis insistere pro viribus moneretur. Hoc est illud tempus, quo Teutonici cum Gallis & Venetis, capta Constantinopoli, regem sibi creauerunt comitem Flandriæ Balduinum. Veneti autem ex suis patriarcham constituerunt. Præfuit aliquandiu plurimo labore, quod necesse fuit: vir alienigena, Græcis & domesticis & forensibus conflictatus: sed grauissimo in prælio cæsus, occubuit, quod constabat. Inuentusque est postea homo, qui se Balduinum diceret, non cæsum, sed prælio cedentem: quando neque victoria prosperari potuit, nec gubernatio illi in gente aliena succesit. Multos in eam fidem traxit principes, vt Balduinus crederetur: plures experimenta fecêre, & tentamenta plurima, & multis fidem fecit: alios reliquit in ambiguo. Filia erat Balduini, quæ nullo pacto induci potuit, vt crederet esse patrem suum: semper exufflauit, falsarium dicens. Ad extremum etiam de mendaciis conuictum, iussit in Insulis (ciuitas est extrema Flandriæ ad occiduum) appendi in furcas. Obiit per hæc tempora Agnes vxor Henrici comitis Palatini, qui filius erat Leonis. Ea tumulatur in ecclesia beatæ Mariæ ad Sta-

*Comes Flandriæ Balduinus in regem eligitur.*

dium: nam Stadensem comitatum ex paterna ditione sibi defendit idem Henricus.

CAP. 23. In ecclesia Verdensi tum Rodolphus præfuit, ordine trigesimus eius ecclesiæ episcopus, magni nominis apud Imperatorem Henricum sextum. Hic Rodulphus cruce signauit Fridericum Imperatorem, eius Henrici patrem, dum proficisceretur in terram sanctam: sed in Armenia defecit, quod diximus, aquis præfocatus: princeps, qui mari & terræ dominaretur. & quum Henricus filius ei successerit in Imperio fauore Rodolphi sui, multùm respexit in ecclesiam Verdensem, & contulit eidem ecclesiæ in perpetuum contemplatione pontificis, ducentos mansos cultos circa Notendorpe, & bona in Frilede cum omnibus suis attinentiis: item prædia in comitatu Stadensi, quæ sibi Harduicus archiepiscopus iniustè vsurpauit, anno Christi, MCXCVI. & acquisiuit ecclesiæ aduocatiam in Honstede. & multa alia bona, & magna priuilegia ab eodem Henrico Imperatore: cui idem Cæsar donauit medietatem arcis, & de subtus Salinæ in Luneborg, prout in priuilegiis desuper confectis plenius continetur. Hic ædificauit arcem Rodenborg, & instituit vicariam episcopalem in foro Verdensi. Per-

1196.

1205. uenit autem ad annum Christi MCCV. Luctabantur tum de Imperio Philippus Sueuus, & Otto Saxo: & dubia sæpè victoria conflixerunt. Philippo maior pars principum inhærebat: Ottonem etiam proximi aliquando deseruerunt. Nam ad oppidum Brunswig descensurum in aciem ad confligendum, frater eius Henricus deseruit, transiens ad hostem. Sed tamen fortuna, imò respectus Dei desuper, seruauit Ottonem. Colonienses etiam, dimisso Ottone, in gratiam Philippi redierunt. Deinde habito conuentu in Quedelinborg, duobus cardinalibus præsentibus, de concordia & reconciliatione tentantes, nihil profecerunt: treugas tamen dederunt vsque ad festum Ioannis baptistæ. Sed proximo anno cæsus in aula Philippus, controuersiæ finem dedit.

De Imperio concertatio.

CAP. 24. Hildesemensi tum ecclesiæ præfuit Harbordus, ordine vigesimus sextus, præfuitque annis nouem, natus genere militari: vir industrius & bonus, qui sub Imperio sexti Henrici, vidit filios Henrici Leonis pro recuperanda dignitate ducali laborare: sed erat Imperator Fridericus tam tenax, vt non mutaret, quod tanta maturitate, & tanto principum consensu erat constitutum: nec filius eius Henricus obsequiis deliniri potuit, vt patris sententiam retractaret. Quomodo enim apprehensam ab aliis possessionem poterat extorquere de manibus promerentium ab Imperio iusta feuda? maiora quidem prouenerant duobus. Nam tertius Wilhelmus erat contentus retentis à patre ditionibus Brunswici & prouinciarum, qui sunt hodie magni principatus. Henricus autem filius Henrici, quum sequeretur Imperatorem Henricum in expeditionem, tam sedulis obsequiis peruicit, vt vnicam filiam Conradi comitis Palatini coniugem acciperet cum paterna dignitate. Creauit illum Imperator militiæ suæ magistrum, & ductabat ordines in Siciliâ: & charus erat satis Imperatori. Otto autem germanus eius, Anglorum regi auunculo inhærebat, qui tum hæreditario bello luctabatur cum Francis. Inde auocatus ad Imperium, inextricabilem susceptt laborem: sed propitio Deo, fauente Romano pontifice, & rerum voluente fato, vt de medio fieret æmulus, superabat, & indubitatus erat Romanus Imperator: felix, si non Romanæ ecclesiæ pro iuribus, vt putabat, Imperij se obiecisset. Gladius ecclesiæ diu contemnitur: sed tamen durant eius vulnera, & putrescunt, inde sordes sua admonent mortales, vt in viam redeant.

*Ecclesiæ gladius qualia immittat vulnera.*

CAP. 25. Magdeburgensis quoque ecclesia, post Wichmannum suum longæuum pontificem, meruit successorem Ludolphum, hominem rustica origine natum, sed non vulgari virtute, neq; industria. Erant ei natalia ex villa Kræppenstede. Wichmannus videns indolem eius, curauit vt ad literarum gymnasiũ Parisios perueniret. Ibi bonis literis indulsit per annos viginti. Quibus cumulatus, reuertitur in patriam, suo se reddens archiepiscopo. Ille eum docendis paruulis iussit præsse. Quam rem ex animi sententia ita curauit, vt pontifici suo semper magis ac magis commendaretur: inde assumptum, fecit ecclesiæ canonicum.

*Ludolphi Magdeburgensis ecclesiæ episcopi vita.*

Quo

Quo in loco ad decanatum profecit,& archiepiſcopo in curis ſeculatibus per multa bella occupatiſſimo,rem diuinam Ludolphus curauit. Quum autem Wichmannus poſt plurimum laborem è vita migraret, non eſt inuentus in eo cœtu, quem Ludolpho præponerent. Igitur voluntate patrum creatur archiepiſcopus. Voluere,credo, virum Deo inhærentem,non ſeculatibus tantoperè rebus implicitum. Cernebant in Wichmanno,quid oneris eſſet, habere & fouere pontificem, ſemper inter arma diuerſantem:ſed tamen quum neceſſe eſt, vtraq; manu pugnandū eſt pontificibus. Nunc autem poſt virum bellatorem,voluere pacificū: imparem natu,ſed parem induſtria. nam authoritatem ex ſapientia & ſanctitate facilè muentabatur. Igitur ſuſceptam eccleſiam Ludolphus religioſè tuetur, vt in fide & in moribus proficeret:idq; per tempora ſua religioſè curauit,quoad potuit,à ſeculatibus negociis ſe retrahens,vt ei placeret,cui ſe probauit: & deinde compoſitus, æterna pace quieuit,tumulatus in eccleſia ſua. *Pontificū ſtudia eſſe quæ debeant.*

HALBERSTADENSI quoque eccleſiæ præfuit epiſcopus,nomine Bartoldus,ineertum vnde ortus:ſed niſi præſtantem,præſumere nemo poteſt,ea tempeſtate,inter tot rerū turbines,conſcendiſſe ad pontificatum:in illa præſertim eccleſia,quæ temporalium rerum ſplendorem nō minimum tum habebat. Erat autem à primo vigeſimus: præfuitq; per tempora imperantis Henrici ſexti, annis ſeptē: & ſolutus,in fata conceſſit. Feruebat tum bellum in terra ſancta, pro recuperanda Hieroſolyma:ſed non potuêre vires Germaniæ,Franciæ,& Angliæ,quæ tum conuenerant in eam prouinciam,recuperare amiſſam ſanctam ciuitatem. Obſtitit vigor & induſtria Saladini,fortiſſimi & inuictiſſimi regis, ne in vniuerſum contemnamus nationem Sarracenorum. Multitudine magna prodeūt,ſed & vigor regnat in pectoribus. Nihil enim Saladino ad ſummi regis gloriam defuit,niſi veritas religionis,quam ille ſuſceptam à patribus falſam,feruentiſſimè defendit. Et vbi conceſſit naturæ,iuſſit in haſta circunferri camiſiam, præcone clamante: Hanc ſecum feret mercedem Saladinus, Aſiæ domitor,gentium victor. Filij eius de regno diſſenſere,vt fieri ſolet. & erat opportunum tum inſtitiſſe: ſed neſcio quæ noſtratum fortuna,aut quæ fides in religione. Vbi armis & ferro non potuere, auro pugnauere Sarraceni,& vicerunt:vidente & ab alto diſſimulante, qui mundum tacitus gubernat,ſinens in mœnibus terrenæ ciuitatis ſedere cæcos & claudos, ad ſugillationem eorum, qui iuſtum imperium non ſatagunt propagare ad infideles. Sed hæc aliàs. Iſte pontifex,ſeptem annis in pontificatu peractis, conceſſit in aliam regionem, vacuefaciens ſedem ſucceſſori. *Bellum pro recuperanda Hieroſolyma frustrà ſuſceptum. Saladini virtus. Belli gerendi occaſio.* CAP. 26.

MIMIGARDEVORDENSEM eccleſiam, ad nouiſſima Friderici tempora,& per ſucceſſionem Henrici filij eius,regebat Hermannus,eius nominis ſecundus,comes in Catzenellebagen,quem patrem cognominabant, ordine vigeſimū quintum à primo,triginta annis præfuit eccleſiæ ſuæ. Hic intra ciuitatem ſuam inſtituit duas eccleſias collegiatas,augens rem diuinam ſanctorum Martini & Ludgeri. Inſtituit etiam & dotauit monaſterium campi ſanctæ Mariæ, in quo & primū lapidem poſuit,& magnā pecuniæ ſummam ſuperimpoſuit. Obſecutus Imperatori in expeditione Italica ad Mediolanum, obtinuit, vt ipſe & deinde ſucceſſores ſui eſſent deinceps,& appellarentur in perpetuum, principes. Hoc mirum quomodò ſcribatur in annalibus, præſtari ab Imperatore pontificibus, vt principes dicantur. Si accipiunt feuda cum regalibus,ſi rurſus largiuntur nobilitati feuda, præſertim ducibus & comitibus: cur non hoc nomine ſine dono Imperiali memorantur? Sed multa ſunt eius generis in cæremoniis, quæ expectantur à ſummis principibus, etiamſi dari nihil opus eſſet, vt conſpectior ſit & illorum qui largiuntur, authoritas,& eorum qui ſuſcipiunt,dignitas. Sub Harduico Bremenſi epiſcopo, ad eius tempora nouiſſima prouenit, vt Canutus Daniæ rex,miſſo in expeditionem Waldemaro fratre,duce Sleſuicenſi,Hamburgum & Stadium contenderit occupare, vtin poteſtate haberet Albim fluuium,vnde locupletem intellexit nauigationem. ſed archiepiſcopus Harduicus,& Adolphus Holſatiæ comes, ad Eidoram illi occurrentes, illa quidem vice reſtiterunt, & repreſſerunt venientem: ſed anno proximo,qui erat primus poſt milleſimum ducenteſimum, reuerſi duplici & vtroque 1201. *Pontificibus ab Imp. præferri, vt dicantur principes.* CAP. 27.

Hamburgum capitur.

maiore agmine, dux Waldemarus per Albim ascendens ratibus, rex Canutus terrestri itinere, capiunt Hamburgum. Adolphus comes, qui inerat oppido, pridem fugatus à rege, Holsatia pactis conditionibus egreditur: sed quum non posset implere pacta, mittitur in carcerem, reclamans, quòd publica fides interposita diceretur. quo tum etiam incluſus tenebatur Waldemarus, Sleſuicenſis epiſcopus, eius Canuti filius, quem Zweno rex Roſchildiæ mactauit in conuiuio, cùm esset

Lubeca capitur.

regnum tripartitum. Progressus cum exercitu dux Waldemarus, Lubecam quoque cepit. tenuitque per annos supra viginti, quum nemo illam tueretur. Longè erat Imperator impar Adolphus comes, cui erat permissa. Imperium tum Romanum diuisum de gemino capite laborabat, Philippo & Ottone. Anno deinde proximo, Otto qui de corona conflictabatur, filiam fratris sui Henrici in Hamburg copulauit eidem Waldemaro, duci Sleſuicenſi: vicissimq; alteri suo fratri Wilhelmo, sororem eiusdem Waldemari, dedit coniugem: vt auctis inde viribus, fortior occurreret fortissimo hosti Philippo. Erant autem solenni apparatu amborum nuptiæ Hamburgi apparatæ.

CAP. 28. PADERBVRNENSEM eccleſiá per ea tempora, post Sifridũ, suscepit Bernardus, eius nominis secundus: præfuitq; annis XVI. Hic, quum Fridericus Imperator se accingeret expeditioni in terrãm sanctam, tantæ fuit authoritatis apud nobilitatẽ, vt vicini eius fidei permitterent præfecturas & ditiones suas, quum sequerentur Imperatorem, nescientes an, & quando essent reuersuri. Wedekindus comes de Zualenberg, & de Waldegge alius, aduocatias suas in manus omini Bernardi episcopi Paderburnenſis constituerunt, in præsentia Prioris & totius conuentus Paderburnenſis eccleſiæ, adstantibus fratribus, Hermanno & Henrico comitibus cõsentientibus: & si quid iuris in eo haberent, etiã abdicantibus. & sic testamento suo condito, iter Hieroſolymitanũ arripuit, cum Imperatore. Accepit autem pro hac beneuolentia ab epiſcopo, tradente eccleſia ex thesauro suo CCC. marcas argenti. Attende qui legis, quia annales commemorant Priorem & conuentum eccleſiæ Paderburnenſis, non decanum & capitulum, num fortè eccleſia illa tum adhuc regularis extiterit. Eodem anno idem Bernardus epiſcopus Paderburnenſis, montem Iburg occupauit, & munire cœpit: sed consilio eccleſiæ & fidelium suorũ, ab incepto destitit. Quis iste mons fuerit, annalium scriptor incertũ habuit, eo quòd ex superioribus Carolus Magnus dedit eccleſiæ Paderburnenſi arcem Iburg, quæ nunc corruptè dicitur Driburg. Si enim tempore Caroli Magni iam ibi arx erat, nõ epiſcopus iste montem occupando, arcem primus ædificare cœpit, nisi antiqua munitio diruta fuisset omninò, & nunc de integro cœpta renouari. Hic tamẽ adiicitur, quòd epiſcopus cœpto destiterit, & tamen arx illa vsq; hodie perseuerat: nisi forsan alius, postquam ille epiſcopus cœpto destiterat, quod ille inchoauit, posteà consummauit. Hoc etiã tempore rapinæ & incendia fiunt per diœceſim à Wedekindo & Hermanno de Waldeggen comitibus, qui complices suos contraxerant in munitiunculam Brobecke: quam idem epiſcopus cepit, & destruxit.

CAP. 29. HILDESEMENSEM eccleſiam, circa illa tempora digladiantibus pro Imperio Philippo & Ottone, regebat Sifridus epiſcopus per annos decem, quem Philippus suis partibus roborandis ibi collocauit. Prouenit autem, vt cùm ad Brunſwicum obsidendum Philippus contendisset, magnis agminibus (duodecim enim principes cum cohortibus suis auxiliares ductabat Henricus, Ottonis, qui iam in vrbe erat, frater) non passus coangustari fratrem, cum agmine magno expeditorum ad germanum properauit, ingressurus, quod fecit, oppidum. Ciues autem Hildesemenses suo pontifici gratificaturi, armati exibant, Henricum ingressu vrbis prohibituri. Congreditur illis Henricus: & penè omnes aut cepisset, aut ad internecionem deleuisset, nisi Philippus iam expedito agmine illis opportunè affuisset. Obsidetur vrbs magno molimine, pugnatur etiam acerrime in diuersum. Penè captam vrbem, qui intrà fuêre, defendentes, eiecerunt denuò eos, qui per arma introierunt. Ducta in longum obsidione, beatus Author se fulgenti gladio ostendit in muris, & terruit Philippũ, &, qui viderãt, vniuersos. Eam rem quia pleniùs in Saxonia tractauimus, nunc paucis attigisse contenti, abimus. Sifridus tamen

*Hildesemensis ciuitas graui obsidione cincta, & tandem miraculosè liberata.*

posteà

posteà in gratiam Ottonis reuersus, effecit vt ecclesia sua indemnis esset, alioqui igni & ferro castiganda. Magnus tum labor in Romano Imperio: vbique mala plurima. Goslariam pro Philippo sentientem quum principes edomare non possent, ciues Brunswicenses in absentia cepêre, ingressi noctu, dum nemo vigilaret, in vrbem: clàm muro transcenso, magnam ibi prædam in plumbo, stanno, argento habuerunt. Grata res principibus: tum Bremam cepêre, & Stadium, & episcopũ miris modis coangustârunt. Nam paterni iuris arbitrabantur vtranque vrbem: causam suprà ostêdimus. sed Hildesemensis, vt potuit, episcopus, in neutralitate permanens, finiuit in pace tempora sua, appositus patribus suis post annos decem ingressus sui.

*Goslaria à ciuibus Brunswicensibus capta.*

VERDENSI ecclesiæ, post Rodulphum, præficitur Iso, filius comitis de Welpa, ordine pontificum trigesimus primus. Præfuit ecclesiæ annis viginti sex. Hic quanto paternæ solicitudinis affectu fouerit ecclesiam suam, facta eius laudabilia testantur. Nam bona hęreditaria militarium de Westene, pro ecclesia data, magna pecunia comparauit, prædia in Rauene & alia nonnulla donauit ecclesiæ. Hic est ille author collegij ad sanctum Andream in vrbe Verdensi, vbi & monumentum habet. Per eius tempora quum se Brunswicenses principes, nuptiis in Hamburg celebratis, deuinxissent coronæ Danicæ, Adolphus Holsatiæ comes, qui captus tenebatur à rege, vt laxaretur, tradidere Holsati duci Sleswicensi Waldemaro fratri eius posteà regnanti, arcem Louenborg. Proximè rex Canutus decessit, successitque in regnum fr. er Waldemarus. Electi ad Imperium duo, Philippus atque Otto, grauissimis sæpe præliis diuerso exitu concurrerunt. Quum ad vicina Brunswici pugna instaret, Henricus, deserto fratre, ex causis quas in Saxonia memorauimus, transiuit ad Philippum. Hartuicus interim Bremæ archiepiscopus, in Stadio recipitur, quòd Henricus Palatinus, qui pro suo comitatum defenderet, eum excluisset: siue quia Waldemaro regi tum oppugnaturo faueret. Stedingi interim genus hominum palustre, & perinde indomabile, vltra Bremam considens, Deo hominibusq; contumax, erexere cornua in suum pontificem. archiepiscopus cõtracto exercitu, mouit in eos. Illi prætensa in tempus obedientiæ specie, quum bonam auri summam archiepiscopo persoluissent, tum placatum abire sinebãt: non quòd ad sanam mentem populus sine sanguinis impendio reuerteretur. Harduicus autem administrato per annos viginti tres pontificatu, pacem, quam in vita rariùs est expertus, in morte, vt speratur, accepit. Pontifex zelo Dei & religionis amore non mediocriter laudatus, quod illius opera pietate plena, apertiùs contestantur. Tales autem frequenter à mundo, iuxta euangelicum veritatis verbũ, pacem non habent, qui illam potissimùm solent à Deo pro pietatis officiis & postulare, & longanimiter expectare. Erat autem, quum ex hac vita migrauit, annus à Christo nato MCCVII. & surrexit ecclesiæ tempestas maxima de successore: quòd tum minimè rebantur, qui rem promouerunt, quum vellent statum ecclesiæ reddere meliorem, renouantes antiqua iura.

CAP. 30.

1207.

BREMENSIS ecclesia post Hartuicum, quum spem conciperet ad antiquum legationis honorem redeundi, multi ex canonicis elegerunt Waldemarum, Sleswicensis ecclesiæ episcopum, sed eo iugo summi pontificis authoritate absolutũ. Erat vir regij sanguinis, filius eius Canuti, qui cum Zuenone & Waldemaro regibus, quorum alter ante se, alius post illum regnauere, est tripartitus: sed in conuiuio Rodtschildiæ per Zuenonem cæsus, cùm Waldemarus quoq; qui periculum euaserat, peteretur. Is quum esset episcopus Sleswicensis, per materni generis amicos Norwegios studebat coronam regni iungere mitræ pontificali. Id quum persensisset Canutus rex Waldemari filius, captum seruauit, ac diu macerauit in carcere: interuentu tamen reginæ post multos annos laxatur, & summi pontificis interueniente decreto, abiurauit ecclesiam Slewicensem, & omnem locum, in quo suspectus videri posset regi: profectusq; est Bononiam, & ibi literis vacabât, quum haberet ex patrimonio, vnde viueret abundantissimè. Eum virum quum scirent canonici Bremenses absolutũ ecclesia sua viuere, simul quòd sperarent per illum, magni sanguinis virum, recuperaturos pro ecclesia sua legationis honorem per

CAP. 31.

*Episcopus coronam regni mitræ pontificali studet iungere.*

regna Aquilonis, elegerunt episcopum. Alij tamen postularunt Gerardum, Osnaburgensem episcopum: ita inter duas postulationes res hærebat. Quumque Waldemarus decretum electionis siue postulationis suæ ad ecclesiam Bremensem, per solennes oratores accepisset, profectus est cum illis Romã, & apud summum pontificem de confirmatione instabat. Gratulabatur illi pontifex, quòd post ecclesiã, cui cedere cogebatur, inuenisset digniorem: nec festinabat confirmare, suspicatus esse in itinere, qui aliud nunciarent, venit cancellarius regni, amissis in itinere literis in cursu latronum, sed verba opposuit Waldemaro, ab illo prætitũ iuramentum, quòd in nullo loco, quo regi suspectus videretur, consisteret. In Brema autem suspectissimus esset, quòd esset ille locus insidiandi regno opportunissimus. Itaque quum cerneret se Waldemarus nihil in vrbe perfecturum, abiit insalutato pontifice, quum tamen esset iussus, indiscussa causa non abire. Contulit se ad regem Philippum, quem sciebat Ottoni æmulo, & Danorum regi, qui illi affinis erat, infestissimum. Cuius ope & literis & nunciis missus est Bremam, & ab eligentibus nõ mediocri susceptus honore. In vrbe, quòd illicentiatus abiisset, excommunicationis literæ in eum decernuntur: quæ multo tempore latuerunt, nemine audente illas insinuare. Erat summa Bremæ festiuitas, fortè Dedicationis: & magna multitudine ad altare pro oblatione contendente, immiscuit se turbæ qui literas tenebat: & illas incognitus, citò manum retrahens, arę imposuit, in turbam amissus: ita patuit, quum mirantibus cunctis post sacrum officium, quid literæ, vnde venissent incertæ, continerent, Waldemarum non solùm non esse confirmatum, quod prætendebatur, sed à summo pontifice etiam excommunicatum. Ita res in multam differentiam excreuit, quum papa Gerardum Osnaburgensem ad hanc ecclesiam confirmando transtulisset.

Prudenter.

CAP. 32. LVBECENSIS quoque ecclesia, per ea tempora viduata suo pontifice Theodorico, accepit episcopum ex fratribus Lubecensis ecclesiæ Bertoldum, virum præstantem. Iste ob certas incommoditates resignauit Burgensibus Lubecensibus habitationem, quam habuit in veteri Lubeck, cum consensu capituli sui. Tenuit tamen vicinam mansionem vsq; hodie ecclesia in Algide curia. Instituit iste camerarium perpetuum pro canonicis suis, & illi de perpetuis redditibus mensæ suæ prouidit. Primus hic exædificauit molendinum in Vthin, feditque annis viginti quatuor. Interim Waldemarus de Bremensi ecclesia contenderat, quum pars se illi opponeret, quæ mallet episcopum Osnaburgensem à sede Apostolica translatum: in quibus erat oppidum Stadense, quod Waldemarus armis expugnauit. Dux Saxoniæ Waldemarum defendit. Is erat Bernardus de Aneholt, qui memor beneficij, quod à Friderico Imperatore acceperat, filio eius Philippo, nũc de Romano Imperio contendenti, inhæsit: & quoniam Philippus Waldemarum, aduersus Ottonem æmulum suum, & regem Danorum illi affinem, quærebat episcopari: Bernardus iam dux Saxoniæ, illum armis adiuuit. Ciuitas Bremensis vsqueadeò inhærebat Waldemaro, vt pateretur se propter eum ecclesiastico suppono interdicto: quippe quæ posteritati Henrici Leonis aduersaretur, quòd in ea dominium quæreret, vnde per Waldemarum sperabat exire. Dux autem Bernardus de Hadelerio reuersus Berneborg, diem clausit extremum. In ducatu Saxoniæ illi successit iunior Albertus: nam Henricus senior maluit Comitatum quietè possidere, quàm maiorem dignitatem cum labore: quam diu enim supererant Henrici filij, semper in oculis eorũ fuit, quod paternum honorem, paterna & auita prædia, possideret extraneus. Non poterant æquis oculis intueri æmulos, de suo patrimonio glorificatos. Sed Henricus tum vsus modestia, fratri iuniori ducatum permisit plenum laboris. Nam Philippo inde, quandiu supererat, cogebantur militare: tamen erat Philippo superstes Bernardus, & ante mortem Ottoni reconciliatus: quod in Saxonia ostendimus.

Aemulatio.

CAP. 33. MOÑASTERIENSIS, quæ & Mimigardeuordensis ecclesia, tum episcopũ meruit post Hermannũ, insignem virũ, Bremensis ecclesiæ præpositũ, natũ de Benthem Comitem, de Cappenberg comitis propinquum. Hunc primum ferunt per capitulũ electũ: ordine vigesimus sextus, episcopus fuit. nam eatenus Imperatores

pro

pro suo arbitrio constituere solebant. Eo tempore quum à Soldano Babylonis obsidionem duram pateretur ciuitas Acon, vltra mare in Palæstina, Ludouicus rex Franciæ,& Eduardus rex Angliæ,illùc expeditionem instituerũt militarem. Idem Otto cum fratre suo de Benthem comite, & Guntero episcopo Osnaburgensi, & Conrado præposito Monasteriensi,& aliis compluribus, iuncti regibus & principibus memoratis,mare transierunt,& ciuitatem obsidione liberarunt memoratã. Captas quasdam vrbes recuperauerunt, & multa alia memoratu digna peregerũt. Interim in ditione Bremensi Stedingi,homines infrenes,qui pridem sub Hartuico archiepiscopo resipuisse videbantur,iam recrudescunt: arces Mintzow & Zehuis destruunt,Hagena obsident. Waldemarus eos excitasse videbatur, quãdo reliqua omnis prouincia,publicatis literis Apostolicis,illi fuit aduersata.Storlo destruunt, & plurimam vndiq; vim intendunt.Henricus comes de Hoia congressus grassantibus,magnam eorum manum fudit. Gerardus iam archiepiscopus Sluttere excitauit.Henricus dominus Brunswicensis Leonis filius,illi opposuit pro Waldemaro Falkenberg.Diu valuit ea diuersitas.nam anno MCCXV. rex Danorum Walde marus,per Albim ascendens. Imperator Otto à terra cum fratre Henrico, & marchione de Brandenburg,& Waldemaro episcopo, Hamburg iterùm obsederunt, & ceperunt. Iam enim in eum modum coaluit vetus illa ciuitas, vt portas claderet tot venientibus ex aduerso principibus. Sensit enim cum Gerardo, quem Romana sedes confirmauit archiepiscopum Bremensem. Interim Adolphus comes Holsatiæ,Monasteriensem episcopum captum eripuit.nam arcem Werdenæ obsedit:sed mouit tum ex comitatu de Schowenburg. Nam Holsatiæ ditionem tum Dani tenebant in diem suum.

*Expeditio aduersus Soldanum Babyloniũ feliciter suscepta.*

1215.

*Hamburg iterum capitur.*

RACEBVRGENSI verò ecclesiæ post Philippum,vir insignis Henricus præficitur:nimirum ex fratribus, qui tum feruente noua religione, & ipsi omni deuotione feruebant.Sed facit illorum temporum incuria, quòd non multa de præstantibus illis viris relata sunt in literas.Celebrata est eo tempore Romę insignis illa Laterauensis Synodus,ab Innocentio tertio,anno pontificatus sui decimo octauo, in qua multæ constitutiones,hodie in corpus iuris redactæ, promulgantur. Aderant episcopi quadringenti,quos facile est ex Italia congregari, singulis oppidulis suos episcopos præferentibus. Præcipui fuere in ea patriarchæ duo,Constantinopolitanus & Hierosolymitanus.Antiochenus enim graui languore detentus,venire non potuit:sed misit pro se vicarium Antisiodorensem episcopum. Alexandrinus verò sub Sarracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se germanum suum.Primates autem & Metropolitani affuere septuaginta vnus. Cæterùm abbates,priores, præpositi, vltra septingentos.Legati Imperatoris affuere,& Friderici regis Siciliæ oratores:Imperatoris quoq; Constantinopolitani, regis Hierosolymitani,regum Franciæ & Angliæ,Cypri,Aragonum : aliorumq́ue principum & magnatum,ciuitatum & communitatum ingens ibi erat multitudo.Multa ibi constituta sunt ecclesiæ profutura.Testantur decreta,quæ sunt hodie in corpore iuris. Sed de recuperatione terræ plurima sunt tractata, nihil autem prouenit fructuosum. Anno deinde proximo, rex Danorum Albim glacie rigentem transiens, Stadium iam pro suo Waldemaro,quem antè oppugnabat, iam verò defendit, voluit expugnare:sed veritus,ne fortè soluta glacies difficultatem faceret repedandi, totas vires suas conuertit in Hamburgum:quæ iam aliquoties in deditionem eius acceptа,iterùm atque iterum rebellauit,pro ecclesia Bremensi potius, quàm Comite. Nam ille iam pro derelicto habuit Holsatiam, in qua tamen filius eius quartus Adolphus tum educabatur,in spem abiiciendi Danici iugi,quod postea prouenit, vt in Saxonia ostendimus.

*Synodus Laterauensis celebrata ab Inno centio III.*

CAP. 34.

MAGDEBVRGENSI ecclesiæ tum præerat insignis vir, Albertus de Kirberge,in Thuringia comes:præfuitq; annis vigintiquinque,ordine decimus octauus. Infaustum videbatur habere ingressum. die enim Parascues quo primùm introducitur, incertum vnde, exoritur incendium graue, conflagrabat ecclesia cum campanili, decidere campanæ graui mole.Conflictus erat huic pontifici aduersus Ottonem Imperatorem,iam excommunicatum, destitutum à summo pontifice.

CAP. 35.

*Episcopus cum Imp. ausus manum conferre, sed infeliciter.*

Obuius ibat in armis Imperatori, ausus etiam conferre manum: sed victus multitudine & armorum peritia, retrocessit. Idem verò Otto cùm non diu post coronationem suam in Italia quædam oppugnasset, & arripuisset, quæ iuris essent Romanæ ecclesiæ, ipse verò ad Imperium arbitraretur pertinere: monitus à summo pontifice, vbi non destitit, est excommunicatus. & deinde, durante ac etiam crescēte contumacia, est ab Imperio destitutus: & instigante eodem pontifice, contra eum est Fridericus secundus, rex Siciliæ, electus, in diabolum malum in Israel. Multiplicata sunt mala super terram, vndique bella & motus. Fridericus ex Italia descendens cum exercitu in Germaniam, terram patruæ suorum, Ottone occurrente, variis in locis cum illo confligit. Filiam iam antè Philippi, æmuli quondam sui, duxit vxorem, nuptiis in Northusen solenniter peractis: sed ea tamen humanis rebus excessit. Infeliciter inde in Flandria in regem Franciæ pro Anglo pugnauit. Incendia, rapinæ, bella plurima inter Ottonem Imperatorem & regem Fridericū facta sunt: donec Otto dysenteriæ morbo exhaustus, mortē obiit, & iam Fridericus solus rerum potiebatur. Fertur Otto ad extremum sincerè compunctus obiisse, quòd ecclesiam insectatus sit, quòd mala multiplicauerit per incendia & rapinas: & in arce sua Hartesburg ante obitum, à Sifrido Hildesemensi episcopo absolutus: quam absolutionem Honorius Papa fertur habuisse ratam, vt esset vigorosa. Sepultus est in Brunswick cum patre suo. Quo tempore ministeriales ecclesiæ Bremensis, arcem Vorda, quam dux Saxoniæ Luderus extruxit, hactenus ducales tenuerunt, occuparunt, & tenet ecclesia in hodiernum.

*Inter Ottonē & Fridericū Imp. plurima bella.*

CAP. 36. GERARDVS Osnaburgensis episcopus, ad sedem Bremēsem est translatus: licet plurimum illi laborem creauerit Waldemarus, Sleswicensis primùm episcopus: quem initiò rex Daniæ detrudere, postea etiam in episcopatu illo Bremēsi defendere conabatur, cum ad omnia præstaret patientiam. multaq; pro eo passi sunt Hamburgēses, quos rex Daniæ sæpè affligit plurima calamitate. Tum verò, quum illum diffidentia glaciei, quæ Albim cōstrinxerat, terreret, versus à Stadio, in Hamburgum conuertitur. Quæ vbs iam aliquoties in deditionem accepta, iterùm Gerardo legitimo pontifici paruit. Nam Adolphus comes, qui iam filium habebat in Holsatia paruulum, ipse agens in dominio de Schowenburg, potuit occultis consiliis rem agere (nam de apertis præliis non legitur) sed tamen vrbs Hamburgi obsidionem passa, diu tolerauit, quum à superiori parte orientis à terra illi immineret Albertus comes, rex desubtus ab Albi tonaret, duobus fortaliciis eam vrbem constrinxere. nam rex desubtus ad Albim præsidium firmissimum collocauit. Manet hodie nomen loco intra vrbem, qui tum erat extra, vt platea dicatur noua vrbs. Albertus comes idem ab altera parte Orientis factabat, obseruans terra & flumine, ne quid inueheretur. Manent hodie vestigia eius præsidii, non longè à villa Schipbeke. Quis verò fuerit iste Albertus, malè in annalibus explicatur: nam Holsatorū in linea nusquam iste est inuentus. Alii Albertum illum tradunt comitem de Aneholt, qui longè falluntur. Nam Bernardi de Ancholt, postea ducis Saxoniæ, minor filius Albertus ducatum post patrē obtinuit. Alii affirmant, hunc Wilhelmi Brunswicensis domini filium, Waldemari regis ex sorore nepotem: appellant enim annales illum regem, Alberti auunculum, hoc est, matris eius germanum. Sed erat Albertus iste reuera comes de Orlemunde, natus Henrico patre, qui pro Adolpho tertio, quum pater eius apud Demin cæderetur, pro puero administrabat comitatum Holsatiæ: duxitq; relictam Adolphi secundi matrem tertiam, ex qua sustulit hunc Albertum, vterinum Adolphi germanum: sed hæc alibi latius. Hamburgenses ita obstricti, vt neq; terra, neque mari sinerentur exportare vel importare quicquam, cedunt necessitati, dedentes se victoribus. Stedingi populus paluſtris, vt magis magisq; Bremensibus aduersarentur, relinquentes Waldemarum, cui hactenus studuerant, Gerardo archiepiscopo & ministerialibus eius adhærent. Contra quorum insultus Bremenses Henricum Palatinum, Henrici Leonis filium, inuitant. Gerardus, & comes quondam Holsatiæ Adolphus, eiectus terra, cui Stadensem comitatum episcopus Holsatia exuto permisit, quòd causaretur in ecclesiam, de eo quod militassent magno suo impendio in Thietmarsia Hartuico archiepisco-

*Hamburgenses Daniæ se dedunt Regi.*

po.

po. Hoc enim loquuntur nonnullæ literæ, per hæc tempora sigillatæ, præsertim fundatio monasterii veteris Buxtehude. Præsidium ergò firmant ad ostium fluminis Swinge: sed dux illud euertit. Scire velim, quis sit ille dux. Nam Henricus Leonis filius, dux non erat, & hoc penè tempore defunctus Henricus de Aneholt fratri permisit ducatum. Bremenses malis coacti, & ipsi, electo Waldemaro, vnà cum archiepiscopo suo & Stedingis arma iungunt, & archiepiscopum suum introducût, anno decimo, postquàm à summo pontifice est confirmatus. Qua re prouocatus Imperator Otto, cum fratre Henrico Bremensem prouinciam vastat & incendit. Comes autem Albertus nauigat in Liuoniam: & multi peregrini Hierosolymâ petiere, de Marsilia profecti (ea est ciuitas Franciæ, ad mare mediterraneum) in quorum comitatu erat magister Oliuerius, insignis prædicator, postea sanctæ Sabinæ presbyter cardinalis. Sed parum in ea expeditione est perfectum.

HALBERSTADENSIS ecclesia tum pontifice gubernabatur Conrado, insigni & religioso viro. Qui quum septè annis illi præfuisset, tædio rerum secularium, ex authoritate summi pontificis eam dimisit: & in monasterium Sedebeke concessit, ibiq; vitam finiuit. Supererant tum ex filiis Henrici Leonis, ducis quondam Saxoniæ, Henricus comes Palatinus, & Otto Imperator: sed ille multis laboribus cõflictatus, primùm Philippo secum electo, deinde Friderico secundo contra se electo, viuendi finem fecit. & Henricus frater insignia Imperii Friderico secũdo præsentauit in Francofordia, iamdudum contra Ottonem, iussu summi pontificis, electo: effecitque, vt ad cœtum Imperii Gerardus archiepiscopus Bremensis euocaretur super comitatu Stadensi, quem Henricus pro suo defenderat, archiepiscopus Adolpho comiti de Schowenburg permiserat. Ibi dum Gerardus compareret, diem suum obiit, anno Christi MCCXX. acto pontificatu in omni controuersia in annum duodecimum. Nam Waldemaro occupatori non tam successit, quàm accessit, illum magnis laboribus sede sua occupata deiiciens. Cuius pleraque omnia vsque ad finem eius, quamuis ea simus executi, ne non tamen habere vir insignis peculiarem suorum temporum mentionem videatur, inserẽda sunt quæ de illius rebus gestis nondum commemorata supersunt. Tertio demùm anno post mortem Hartuici, translatus est in sedem Bremensem: cui duras in archiepiscopatu partes fecit intrusus quondam Slesuicensis Waldemarus. per omnem enim vitam illi laborandum fuit aduersus potentem, & apud principes gratiosum aduersariũ. Nam Henricus Leonis filius, dominus Brunsuicensis, prius illum oppugnauit: inde rex Daniæ Waldemarus, Stadium pro Waldemaro atque Hamburgum expugnauit. Stedingi quoque, inuenta occasione, multa aduersus ecclesiam & Gerardum pro Waldemaro fecerunt, magis suo feruentes in omnes odio, quàm vlli studentes: durauitque ea contentio, donec Stedingi in odium, vt diximus, Bremensium, Waldemarum cum archiepiscopo persequerentur. sed & Otto Imperator, qui initiò multa in Philippum competitorem suum, & diuturna pro Imperio bella gerebat, quum demum extincto Philippo pacificus videretur, ducta in vxorem hostis sui filia, iam etiam prouinciam Bremensem cœpit populari, quòd Stadensem comitatum teneret, iuri ducum, vt asserebant, pertinentem. Sed non destitit archiepiscopus iura ecclesiæ suæ tueri. Nam Adolpho de Schowenburg comite accedente, cui illum commendauerat ad ostia, quod diximus, fluminis Swingæ erexit præsidium, vt omnem ingressum & egressum prohiberet euntibus, qui studerent principibus. Henricus hoc ipsum demolitur: sed hæc alibi persequimur latius. CAP. 37. 1220.

HILDESEMENSIS verò ecclesia tum pontificem habebat Conradum, virum præcipuum, qui de religione censetur ferbuisse: nam per annos viginti quatuor, quibus præfuit ecclesiæ, sex fertur monasteriorum author extitisse erigendorum. Nam cœnobium in Falkenberge ad Gosslariam, ipse author prouexit, vt fieret: deinde in Winhusen ad Alram fluuium, vt fieret, ipse coniugi Henrici Palatini adiutor accessit: duorum deinde in vrbe Hildesem fratrum mendicantiũ conuentus fieri iussit. Feruebat enim tum recens amborum ordinum institutio: & ideò quum sperarentur in illo feruore permansuri, ab omnibus amabantur. Nunc tem- CAP. 38.

*Murem in pera missum esse* porum succeſſiones declarant, murē eſſe miſſum in peram: quem & ſummus pontifex, & maiores in orbe prælati, reſpiciūt magis, ne noccat, quàm vt proſit: ſed hęc verecundius dici ob eandem cauſam par eſt. Duo prætercа monialium monaſteria in diœceſi: alterum, quod dixere Wulffinghuſen, alterum intra vrbem ad vicina maioris eccleſiæ. De prędiis autem auxilio cęterorum prouidendum fuit. Mendicantes autem fratres etſi prædia non ſunt inſtituti habere, nihil habentes tamen, omnia poſſident. Dum iſta gererentur, Otto Imperator (aduerſus quem Romanus pontifex procurauit erigi atq; eligi Fridericum ſecundum, primi ex filio nepotem, quòd contumax eccleſiæ Otto videretur) intromittens ſe de hæreditate Mathildis, potentis per Italiam dominæ, quam illa Romanæ reliquiſſet eccleſiæ: Otto autem arbitraretur ad domum pertinere Saxoniæ, vnde illa fuit progenita, vel ad minus ad Imperium, cuius ille iura debuit tueri. Vocauit autem Otto principū cœtum in Francofordiam, Alemaniæ res volens componere, vt expeditius ferretur in æmulum Imperii Fridericum, totiſq; viribus tranſmitteret Alpes ad domandam Italiam, quę cornua cœpit erigere aduerſus Imperium: ſed illum acerba mors furripuit. Interim Fridericus ſecundus patre, vt putatur, Henrico ſexto Imperatore genitus, ad Imperium peruenit. cuius pertinacia, & (vt verius dicam) dura ceruix, non ſinit aboleri fabulam, quæ de illius natalib. diſſeminabatur. Domina Conſtantia, filia regis Siciliæ Rogerii monialis, nupſit Henrico regi, Friderici primi filio, hac lege, vt ſi patruus eius, qui regnum vtriuſq; teneret Sicilię, ante eam moreretur, ad eam tota hæreditas peruueniret. Fruſtra autem pactio interueniſſet, ſi non is extitiſſet Henricus, qui armis ius ſuum ipſe extorqueret. Noua nupta iam ſexagenaria ferebatur, annos longè tranſgreſſa fœcundos. Medicorum adhibita ſunt conſilia, ne ſine hærede Siciliæ regnum permaneret. Spondent operam, ſpem largiuntur prolificandi vetulæ mulieri. Intumuit venter ſperatæ puerperæ, incertum quibus ex cauſis. Creditum eſt à multis, prægnantem eſſe reginam: credidit, cuius maximè intererat, Imperator. Ordinatum, vt in publico poneretur ad pariendum: aulæis tamen ad pudorem circumpendentibus prouiſum ferunt, vt in horam partus ei alienus ſupponeretur, quem enixa regina videretur. Tres vno tempore mulierculæ non longè à reginæ domo prægnantes, non magno interuallo omnes peperere: phyſici, molendinarii, aucupis vxores. vnius ex tribus, incertum cuius, infantulus affertur, & ſupponitur, vt aiunt, reginæ, vt abilla progenitus à cæteris putaretur. Auito nomine pater illum vocare Fridericum, mater ſuo de nomine dici cupiebat Cōſtantinum. Ea ferebantur natalia eius Friderici, qui ſe orbis malleum prædicabat: qui cum ſummis pontificib. grauiſſimas geſſit ſimultates, qui cum Sol dano Chriſti hoſte occulta, vt ferebant, colloquia ſerebat, qui grauis omnibus Imperio, non Auguſtus ferebatur. Hæc non infamandi principis gratia retexo. Quid eſt enim immanius, quàm pugnare cum laruis? Quid immodeſtius, quàm principum honorem contaminare? ſed quæ reperi, ſcribo, vt legentes execranda eius malè facta, illum pulchrè, ſi verum eſt quod prætenditur, reſpondere natalibus ſuis ſciant.

*Mendicantes monachi.*

*Friderici II. natalia.*

CAP. 39. PADERBVRNENSEM eccleſiam hoc tempore regebat Bernardus, eius nominis tertius. Præfuitq; annis nouendecim. Vidit mutationes temporum mirabiles, pariter & miſerabiles, in Ottone quarto: qui ad Imperium prouectus, oppugnatur à Philippo Sueuo, defenditur à ſummo pontifice. Vbi illum cuaſi hoſtem, ſuſcepit Imperii coronam: & iam per Italiam circumſpiciens, quum iura Imperii inciperet repoſcere, admonetur, excommunicatur, deponitur à ſummo pontifice: Fridericus aduerſus illum eligitur, cum quo luctatur de regno ad finem vitæ. Hoc Ottone mortuo, quia abundabat opibus, de diuite Sicilię regno & de prouentibus Sueuiæ efferturin ſuperbiam, & fit cunctis intolerabilis. Curiam primam quam celebrauit in Francofordia, celebriter egit: ibiq; promiſſum accepit à principibus, vt filium eius Henricum paruulum, quàm primùm per ætatem liceret, crearent regem: quod ſuo tempore impleuerunt. Et reuerſus in Italiam, ab Honorio ſummo pontifice coronam Imperii accepit. ſed quum multa gereret in Sicilia, non etiam à terris eccleſiæ abſtinuit: & monitus, non deſiſtens, ab Gregorio non primùm excommu-

communicatur,& anathematizatur. Inter hæc Hogerus comes de Falkenstein,cepit Quedelinborg:& inopinatiori casu,Henricus de Sucrin cepit regẽ Daniæ, venantem in regno,& abduxit vltra mare in ditionem suam. Creuit interea Henricus filius Friderici Imperatoris:& coronatus à principibus rex,duxit coniugem,filiam Lippoldi ducis Austriæ, cuius Ducis filius accepit vxorẽ, filiam comitis prouincialis Hassiæ. Vtrorunq; nuptiæ peraguntur festo ritu Nurenbergæ. Iam ciuitas Brunswicensis erat in manibus regis Romanorum Henrici. Otto filius Wilhelmi, domini Brunswicensis,nepos Leonis,obseruata rerum gerendarum occasione,ciuibus non inuitis,recepit eam vrbem,quum minùs hoc timeretur. Facile est autẽ, volentes capere. Commissum est tamen intra vrbem prælium, quum præsidiũ regis vrbi impositum ad arma concurreret: sed quoniam inclinauere ciues veteri & natiuo domino suo,eiecti sunt regii vrbe. Hic Bernardus Paderburnensis, expleto in pontificatu anno decimosexto,concessit in fata. Successit illi Oliuarus,præstans vir,prædicator insignis,& qui maiori dignus loco videretur. Vnde factum est breui,vt relicta Paderburnensi ecclesia,concesserit in vrbem Romam,ibiq; creatus est cardinalis Sabinensis:duobusque tantùm annis præfuit Paderburnæ. Cedenti succedens Wulbrandus,vir vtiq; insignis,& ipse solis duobus annis præfuit, translatus ad ecclesiam Traiectensem. Vnde propter temporis breuitatem, Bernardo tertio subiiciuntur,vt non speciali quisque capite designentur.

*Dania rex in vrnatione capitur.*

BREMENSIS ecclesia,morte Gerardi viduata,alium recepit Gerardum,domini de Lippia filium,pridem Paderburnensem præpositum,religiosi patris filium æquè religiosum. Nam Bernardus nobilis dominus de Lippia (nam se comites nõ asserunt) relicto sæculo,monasterium ingreditur,& in abbatem prouehitur: inde etiam assumptus,cùm deuotione pro Christo peregrinandi tangeretur,consecratur episcopus Lealhensis in Liuonia. Ottonem inter alios Beruardus de Lippia habebat filium,episcopum Traiectensem:qui manibus suis parentem secundum carnem,consecrauit episcopum,factus parentis parens: & inde pater cum eodem filio,Gerardum archiepiscopum Bremensem,alium filiũ,oleo sancto initiauit. Tam religiosam iste Gerardus duxit originem,nec minùs respondit generi suo in administratione:cui præstitit Deus,vt dominus Brunswicensis omnem quæstionem de comitatu Stadensi sopiuerit, tribuens ius suum, si quod illi competeret, ecclesiæ: deinde arcem ecclesiæ Ottersberg à Bernardo comite de Welpa occupatam, archiepiscopus per arma,quę contraxit in manu forti,recuperauit. Hoc est illud tempus,quo rex Franciæ Damiatam in Ægypto capit,sed non diu tenuit. Treugæ interponuntur ad annos octo. Soldanus crucem Domini vltrò reddidit,Christianos saluis rebus & corporibus Ægyptum exire permisit:omnes captiuos reddi iussit, ita vt tunc temporis captiuorum triginta millia laxarentur. Præcepit etiam alimenta diuitibus pro precio vendi,infirmis & pauperibus gratis exhiberi. Sed hæc melius alii,nos ad nostram prouinciam regrediamur. Quum per hæc tempora,quod diximus, rex Daniæ Waldemarus captus teneretur à comite de Suerin, Henricus rex Romanorum descendit Bardeuicum vrbem,ab Henrico Leone duce subuersam,sed tamen aliquantas suæ pristinæ consistentię reliquias seruantem. Ibiq; cum episcopo Colonensi cœpit agere pro liberatione Danorum regis: sed conatus frustrà erat,quum sine magno impendio laxari quæreretur:postea tamen laxatus est, datis quinquaginta millibus argenti marcis. Venerat tamẽ in eundem carcerem, priusquàm laxaretur,Albertus comes de Orlemunde,rerum potitus per Holsatiã: quem congressi,huius pontificis tempore,comes Holsatiæ Adolphus & Henricus de Suerin,ceperunt. Redemit autem se,reddita arce Luwenburg, quam tenebat, in manus Alberti ducis Saxoniæ.

*Otto Traiectensis episcopus patrem suum episcopum consecrat.*

*Damiata in Ægypto per Regem Franciæ capta.*

*Triginta millia captiuorũ laxata à Soldano.*

HALBERSTADENSEM excepit ecclesiam Fridericus per hæc tempora: præfuit annis vndecim,cum summa laude. Sacrum ex miraculo cruorem inuexit vrbi & ecclesię. Aderat cum clero suo in Magdeburg,quum archiepiscopus Albertus craneam diui Mauricii,dono Friderici Imperatoris acceptam,cum summa celebritate inueheret ecclesiæ suæ Magdeburgensi. Hoc est illud tempus anni vigesimi quarti, post millesimũ ducentesimum, quũ veniret in Flandriã, qui se assereret

CAP. 40.

CAP. 41.

comitem prouinciæ Balduinum: qui ante viginti annos cum peregrinis Constantinopolim profectus, ad Imperiale culmen ibi fuerat coronatus. Qui quia similimus comiti Balduino fuit, vel si ipse fuit, Flamingi receperût eum, multis eum muneribus honorantes. Cicatrices in corpore testabantur eundem, forma & habitudo corporis consensit, nisi quòd aliquanto breuior videbatur, quod defensores senio ascripsere. Prouinciam non benè discreuit: Interrogatus & in lingua Gallica, quam egregiè antè nouerat, aliquantulum cespitabat: nec mirum, quia inter Græcos & Sarracenos tot annis, à quibus captus erat, si is fuit, diu commoratus, volubitatè Gallici sermonis poterat intermisisse. Sed Balduinus comes, Imperator Constantinopolitanus, à Conrado episcopo Halberstadensi (qui postea Cistertiensem ordinem intrauit) & à quibusdam aliis qui tunc Constantinopoli erant, cùm Balduinus Imperator contra Sarracenos conflixit, dicebatur verissimè interfectus. Iste aût se retulit mortis periculum euasisse: à Sarracenis postea captum, tandè se asseruit absolutum: & quòd post absolutionem ad Papam venerit, confessus, quia inter infideles infideliter vixerit. Quæ de re Papa sibi septennem pœnitentiam iniunxerit, affirmans, eandem pœnitentiam tunc expletam. Venit primò Valentiam: & comitissa Flandriæ, Balduini filia, eò conuolauit. Eo viso, dubitauit, patrem nécne recognosceret: & ab eo discessit. Multi barones pro eo consenserunt, sed plures dissenserunt. Rex tandem Franciæ volens examinare virum, iussit adesse Peronam, siquidem auunculus eius esse debuit. Et inter cætera dum ab illo quæreret, vbi honorem militis aurati sumpsisset, vel vbi & quando duxisset vxorē, non satis ad rem accessit. Fautores excusauere, quòd terrore mortis, quæ minitabatur, titubauerit. Tum multi deseruere virum. Dux Brabantię doluit: ille enim cum eo venerat. nec permittebatur intrare, quia eum esse comitem Balduinum certo certiùs asserebat. Rediit iterum Valentiam, paucis eum comitantib. Postea venit Coloniam ad Engelbertum archiepiscopum, auxilium rogaturus: sed Leodiensis episcopus, qui internouit discrimen veri Balduini, grauiter eum & sæpius suis literis infestauit, Trutanium & Ribaldum appellans. Ille verò se comitem Flandriæ & Imperatorē Constantinopolitanum affirmabat, habens sigillum eodem titulo innotatum. Rogauit ergo archiepiscopum, vt Leodiensem vocaret. Vocatus, venit: Missæ officium ex constituto peregit. Ante perceptionem corporis & sanguinis Dominici, accessit archiepiscopus, à viro prouocatus, & ait: Adiuro te frater episcope, per mysterium Dominici corporis & sanguinis, quod percepturus es, si veritatem dixeris, ad salutem: si mendacium, ad damnationem: vt mihi dicas, quis sit ille, quem tu dicis Trutanium & Ribaldum in Flandriam venisse, & qui se comitem dicat Balduinum. Episcopus stupefactus, fertur respondisse: Comes Flandriæ Balduinus est. Tum archiepiscopus viro consuluit, vt Romam iret, querimoniam Papæ deferret: promittens, si ad honorem rediret, ecclesiæ subseruiret. Proficiscitur, testimonia multorū Flandriæ prælatorum & baronum secum deferens. Sed studio comitissæ & Arnoldi de Aldennardi, cui comitissa dicebatur familiaritatem nimiam exhibere, vię vndique occupantur: traditur, capitur, & apud Insulam ciuitatem Flandriæ suspēdio necatur. Abbas sancti Ioannis in Valentia, sepeliuit eum in monasterio: sed iterum comitissa mortuum suspendi iussit in furcam. Verus, nécne fuerit, Flamingi diu certarunt. Libuit ad liquidum renouare annalium narrationem, quamuis breui commemoratione aliis quoque locis ea res sit attacta.

*Balduini Constantinopolitani Imp. casus.*

*Suprà, cap. 22*

CAP. 42. MINDENSEM ecclesiam per ea tempora excepit Conradus, natus ex nobilibus de Depholt, ordine pontificum vigesimus nonus. Cuius temporibus fundatum est monasterium Bischoprode, tunc ordinis Cistertiensium, per hunc pontificem, iuxta oppidum Greuenalueshagen: inde per Adolphum illum, qui postea ingreditur ordinem Minorum, transfertur in oppidum veteris Rintelen. Demùm, vbi nunc manet, collocatur in oppidū noui Rintelen. Ita mutauit sæpe locum, donec inueniret vbi consisteret. Huius etiam temporibus pontificis, fratres Prædica-

1236. tores locum acceperunt in Minda, anno Christi MCCXXXVI. Mirum, qua celeritate diffusi sunt duo ordines mendicantium, per Christianismum. Volabāt fratres de prouincia in prouinciam, de ciuitate in ciuitatem: nec quiescebant. Et erat expeditum

peditum illis iter, quando populus Christianus facilè mouebatur, cõspecto feruore nouæ & inauditæ religionis: quando paupertatis amore, desertis omnibus, spontaneam mendicitatem fratres obibant. Nihil erat tale auditum à seculo: & tamen quia vita illorũ & prædicatio erat conformis Christi euangelio, non poterant Christi fideles resistere tantæ deuotioni. Erant etiã tum pontifices viri oculati, qui prospicerent quid futurum erat, & iam factum cernimus. Graue ecclesiarum præiudicium, qui non facilè admitterent fratres memoratos, nec locum darent consistendi. Cæterùm prædicationem diuini verbi impedire non poterant: & est populus semper illa affectione, vt feruentiùs inhiet ad ea, quæ cernit interdici. Et quoniam primus feruor infrigescebat, factæ sunt nostris penè temporib. reformationes obseruãtiales: quæ vbi fuerint, veterem fructum renouant in ecclesia. Cæteri fratres, quos dicunt Gaudentes, ita se gerunt, vt etiamsi non essent, ecclesia Dei nihil pateretur detrimenti: possent sine illis, pastores ecclesiarum Dei populum gubernare: nunc verò priuilegiis suis, quæ præferunt, mirabile faciunt ecclesiis detrimentum, non contenti mendicitate, quam spontè subierant, in qua nihil habentes omnia possident, magnis ecclesiæ prælatis non impares. Hoc illis præstant Christi sacramenta, & præsertim pœnitentiæ, quæ sunt illis aurifodinæ. Sed quò me rapuit vehementia? redeundum ad Mindensem pontificem Conradum, qui qualicunq; spe fructuum in ecclesia, locum fratribus permisit in ciuitate sua. Quòd si refragatus esset, populus ipse etiam inuito aut non cõsentiente pontifice permisisset. Præfuit autem ecclesiæ suæ hic pontifex annis vigintiseptem & transiuit ex hoc mundo die sanctorum Ionnnis & Pauli: bonum nomen auro pretiosius relinquens posteris suis, vt qui sequi volent eius vestigia, non aberrabunt.

*Mendicitium duo ordines mira celeritate per Christia nismum diffusi.*

*Vulgi ingenium.*

*Monachis mẽdicantibus non de opes.*

OSNABVRGENSEM ecclesiam post Adolphum excepit vigesimus nonus, Bruno, comes de Isenborg, frater Theodorici Monasteriensis episcopi. Hi tertium habuere fratrem laicum, Fridericum, qui iure non suo premebat ecclesiam regalẽ Assindensem. Monitus ab Engelberto archiepiscopo Colonensi, vt vim contineret, & apostolicæ authoritatis & ordinarii literas contempsit: vnde procedente & crescente contumacia, censuris est innodatus à dicto venerabili archiepiscopo Colonensi. Ferebat indignissimè comes, obseruabatq; tempus, quo archiepiscopum in agris deprehenderet. Consecrare ille constituit ecclesiam in villa Zuelme. Superuenit illo fortior comes armatus, & intentis viribus prosiliens in archiepiscopum, quum nihilominùs à suis defenderetur, magno certamine cùm vigintiocto vulnera intulisset, crudelissimè occidit. Magnus erat vbiq; luctus pro optimi pontificis indigna cæde. Henricus archiepiscopus eius successor, ita rem vltus est, vt arcem Isenbergk deiiceret ipse Fridericus, submisso & pecuniæ obærato qui insidiaretur. Anno reuoluto vix dum capitur, & Coloniã introducitur, per aduersam portam, qua erat inuectus cæsus archiepiscopus. Crudeli facto sæua pœna imponitur: decernitur rotis tormentalibus per crura, per brachia, per dorsum & ceruicẽ confringi, ita pauit coruos nobile cadauer. Germani fratres eius, Bruno Osnaburgensis, & Theodoricus Monasteriensis, velut complices, & ad minùs conscii, accusantur apud summũ pontificem: &, vt fertur, etiã conuincuntur, deponũturq;: sed gratia assecuta, restituũtur. Comites de Tekeneburg & Zualenberge, cùm super eadẽ factione accusarentur, feruntur se legitimè purgasse. Negare tamen nec poterant, nec volebant, quin in fœdere fuerint cum Friderico memorato. Cæterum consilium cædis longè à se remouerunt. Feruntur tamen ambo in monasteriis diuisis, legitimam in finem vsq; vitæ peregisse pœnitentiam. Bruno autem Osnaburgensis multa fecit in componendis controuersiis, quæ erant inter canonicos ecclesiæ & nonnullos citerioris ordinis: nonnullasq; quæstiones resoluit inter episcopos & capitulum, vt se pacis sequestrum monstraret diligentissimum. Octo autem solis annis fertur ecclesiæ huic suæ præfuisse, quos impendit reb. ecclesiæ salutaribus: plura facturus, si longior illi fuisset pontificatus.

CAP. 43.

*Engelberti Colonensis archiepiscopi cædes.*

*Cædes fœuè punitur.*

MAGDEBVRGENSI ecclesiæ post Albertum præficitur insignis vir Burchardus, præfuitq; in annum solùm tertium. Iam Ludouicus comes prouincialis Thuringiæ, maritus B. Elisabeth, in peregrinatione terræ sanctæ necdũ peruenies,

CAP. 44.

Brunduſii moritur: ſanctiſſima Eliſabeth vidualem vitam in omni patiẽtia peregit. pater eius rex Vngariæ, iam tum obierat, vt defensore careret. Gregorius papa IX. Friderici um Imperatorem cruce ſignatum, quia in terram ſanctam, quod diu & ſæpe pollicitus eſt, ire diſſimulabat, excommunicationis ſententia innodauit, eumq; per totum Imperium denunciari præcepit. Imperator hanc ſententiam paruipendens, mare tranſiuit: ibiq; ab omnibus regni illius ciuitatibus ſolẽniter eſt receptꝰ: ſed patriarcha Hieroſolymitanus his ſolennitatibus ſe ſubtraxit, cum tota eccleſia ſpiritualium perſonarum. Patriarcha in ſuo palatio Imperatorem excommunicatum denunciauit. Interea vaſalli Imperatoris, & fautores papæ, vires ſuas per Italiã graui bellorum tumultu, non ſine detrimento vtriuſq; partis, ſunt experti. Erat in parte pontificis capitaneus Ioannes de Bien, rex Hieroſolymitanus, qui terram ſanctam pro treugis obliuiſcens, pugnauit in Italia. Interim res in Saxonia & Holſatia proſperantur. Rex Daniæ fugatur è prælio cum filio in Bornehouede. Otto dominus Brunſwicenſis capitur. Lubeck libertatem ſuam à Cæſare impetratam defendit. Otto dominus Brunſwicenſis quum in carcere eſſet comitum de Suerin, moritur Henricus comes. Placuit Guncelino fratri, vt dominus de Brunſwico ſuper ipſius gratiam laxaretur: ſed Albertus dux Saxoniæ reſtitit, donec Hideſacker ipſi dominio traderetur. Laxatus autem, plurimam guerram circa Brũſwigk à ſuis miniſterialibus eſt perpeſſus, epiſcopis Magdeburgenſi ac Halberſtadenſi partes eorum iuuantibus, nutu, vt dicitur, Imperatoris. Nam Brunſwicum tenuerat Henricus Romanorum rex, Friderici Imperatoris filius, emptum à ducibus Bauariæ, qui filias tenebant Henrici comitis Palatini, qui erat filius Leonis: ſed Otto non diu pòſt recuperauit.

*Imp. Friderꝰ papa excõmunicationem cõtemnit.*

CAP. 45. RACEBVRGENSIS tum eccleſia, mortuo Henrico, vacabat: & ſe ingerebat non electus à fratribus Lambertus quidam, Hamburgenſis & Bremenſis canonicus, qui eccleſiam alienigena à ſummo pontifice ad ſe nihil pertinentẽ impetrauit. Vide in quantum licentiæ tum proceſſit, poſt Imperatorum deſtitutionem Romana eccleſia, vt ſe inciperet intromittere de eccleſiis vacantibus. Solebant Imperatores de Romana aliquando diſponere eccleſia: peruẽtum eſt eò, vt de ſolis Germaniæ eccleſiis & abbatiis diſponerẽt, idq; extortum eſt manibus eorum tẽpore Henrici v. Imperatoris. tum eccleſiis, quæ nihil libera electio in eam quoq; papa manus iniecit per hæc tempora, & creuit illa facultas in immenſum, vt ſatis ſit per Germaniam res tolerabilis, ſed in Frãcia & Anglia immoderata. Fertur de hoc Lanberto, quod in aduentu ſuo, quum debuit intrare eccleſiam, quendam mirabilẽ & intolerabilem ſenſit ruborem in facie, tanquam ignis vehemẽter ardentis, quaſi intrãbitum in eccleſiam illi prohibentẽ: ſed breuis hoſpes erat, quia eodem anno defunctus eſt: quia alienigenã eccleſiæ ferre nõ potuit. Extant verſiculi malè tornati:

*Scilicet, licentia omnes ſæmua deteriora*

*Vt lupus intrauit, canonicè non vocitatus:*
*Paulo regnauit, morte præuentus erat.*

Regnare dicit epiſcopum, quum ſit ſeruus Deo ſeruientium. Vnam Miſſam die aſſumptionis beatæ Mariæ virginis ſolenniter peregit, & vnum cœmeterium dedicauit, nec plura peregit, ſolutus morte. Succeſſit illi Godſcalcus eiuſdem eccleſiæ præpoſitus, quem fratres canonica electione ſubuexerunt. Nihil tum opus erat Apoſtolica confirmatione, ſatis erat, electionem ab archiepiſcopo comprobari: nũc ad ſe omnia eccleſiarum iura traxit Romana eccleſia. Gregorius papa eo tempore veniens Aſſiſium, ibi canonizauit in conſpectu maximæ multitudinis, quæ de diuerſis regionibus confluxerat, beatum Franciſcum, ſic dicens omnibus conſpicua voce: Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei patris & filii & ſpiritus ſancti, & gloriоſæ virginis Mariæ, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, & ad honorem eccleſiæ Romanæ, beatiſſimum patrem Franciſcum, quem Dominus glorificauit in cœlis, venerantes in terris, de conſilio fratrum noſtrorum & aliorum prælatorum, in catalogum ſanctorum decreuimus annotandum, & feſtum in die obitus ſui celebrari. Statim cardinales, *Te Deum laudamus*, incipiunt: & populi voces, laudes Dei depromunt: papa de ſolio deſcendit, & cum cardinalibus ſanctum corpus de tumba leuauit, mira omnium alacritate.

*Ritus canonizandi.*

HAL-

HALBERSTADENSI ecclesiæ per hæc tempora pontifex præficitur Ludolphus, comes de Sladen, præfuitq; ecclesiæ annis octo. Per cuius tempora, vt tradunt nonnulli, Hierosolyma Imperatori Friderico, voluntate Soldani redditur, quam nudis pedibus in vigilia Paschæ est ingressus, & in templo Deum adorauit: & Nazareth & Bethlehem, cum aliis sacris locis in deditionem acceptis, in Siciliã reditum maturauit. Id verò quum diligentiores rerum scriptores non attingant, credideri præsenti Imperatori illum esse honorem delatũ, vt ingrederetur cum aliquantis deuotionis gratia: cæterùm vt teneret, & pro suo haberet, non facilè credo, quòd sit illi permissum. Nam Hierosolymam, post Saladini victoriam, semper manssisse in potestate Sarracenorum omnium est consona testificatio. Papa interim propter insolentiam Romanorum Imperatori fauentium, vrbe cedens, in Perusium se recepit. Tum etiam Albertus Liuonienſis episcopus vitam cum morte mutauit: & Bremenſis ecclesia iure suo vsa, magistrum Albertũ, Bremenſem scholasticum, insignem virum, in episcopum constituit: sed Rigenſes canonici aliũ Nicolaum elegerunt: diuq; fuit altrinsecus coram iudicibus delegatis à sede Apostolica litigatum: tandem papa Bremenſibus silentium imposuit, pro sua, vt dicitur voluntate. Postea idem Albertus anno MCCXLVI. à papa Innocentio IIII. apud Lugdunum ciuitatem Galliæ tunc morante, legatus in Prussiam & Liuoniam est transmissus: & sequenti tum anno, defuncto Ioanne Lubecenſi episcopo, residentiam obtinuit in sede Lubecenſi: demùm factus archiepiscopus post Nicolaum defunctum Rigenſis. CAP. 46. *Hierosolyma Friderico à Soldano redditur* 1246.

LVBECENSI ecclesiæ post Bartoldum præficitur Ioannes eiusdem ecclesiæ pridem decanus, qui mox post suam consecrationem dedicauit ecclesiam monasterii in Reinfelde ordinis Cistertienſiũ, quod extruere cœpit Adolphus III. priusquàm Holsatia pelleretur primùm à Leone, inde à rege Danorum. sed filius eius IIII. Adolphus tum præfuit, quum ecclesia eius consecraretur. Memorabilem instituit memoriam Dominicæ cœnæ, relinquens pecuniam pro vino, pane, & cereusia: præfuitq; ecclesiæ annis vigintiduob. Quo tempore archiepiscop⁹ Stedingorum (populi sunt palustres, ad ripas fluuiorum accolentes) insolẽtiam repressurus, die natalis Domini valido eos prælio aggreditur: ibiq; frater ei⁹ Hermãnus de Lippia, vir vtiq; sapiens, & bonus, ac nobilis solus occiditur. vnde subita confusione facta, totus ille bellicus apparatus dissoluitur. Tum erigit archiepiscopus arcẽ in Slutere ad eodemandum infrenem populum: sed illi protinùs euerterũt. Crescente autem contumacia & malitia eius gentis, crux contra eam tanquam infideles cœpit prædicari, & à multis suscipitur. Oriẽtalis Stedingia à peregrinis, occisis Stedingorum plurimis, deuastatur. Burchard⁹ comes de Aldenborgk, à Stedingis penè cum ducentis peregrinis prosternitur. Inde verò Henricus dux Brabãtiæ, & Florentius comes Hollandiæ, Bremam venientes, contra Stedingos perfidos viriliter se accinxerunt, tanquam contra manifestos ecclesiæ inimicos. Nam sicut probatum est liquidò contra eos, & per Mindenſem, Lubecenſem, Raceburgẽſem episcopos est auribus papæ intimatum, quòd ipsi, doctrina ecclesiæ penitus vilipensa, ipsius libertatem conculcarunt, nulli parcentes sexui vel ætati: quæsierũt responsa dæmonum, simulacra fecerunt cerea, consulentes etiam in suis spurcitiis erroneas pythonissas: & quod deterius est omnibus, viaticum salutis æternæ horribilius quam deceat exprimi, pertractantes: clericos etiam & religiosos impiè lacerantes, cruciabant omni genere tormentorum. nec propria eis suffecit perditio, sed omnes quos poterant, & maximè rusticos, in foueam suæ perfidiæ secum trahere nitebantur. Ita miseri & miserabiles Stedingi, ponentes sibi Deum contrarium, suis persuasionibus & malis exemplis grauiter infecerunt populum Christianum: ita vt infinita rusticorum multitudo tam in remotis quàm vicinis prouinciis cõstituta, verbotenus eos defenderet: & si se opportunitas obtulisset, prompto animo proteruiæ eorum auxilium attulisset. Sed Deus misericordiarum dominus, suis fidelib. inspirauit, vt ad prædicationem crucis se viriliter accingerẽt, ad exterminium tam reprobæ nationis, illa gaudentes indulgentia, illoq; priuilegio, quæ accedentibus in terram sanctam pro eius subsidio conceduntur. Itaq; Bremenſis archiepiscopus, dux CAP. 47. *Crux contra Stedingos prædicatur.*

memoratus & comes, peregrinorũq; non modica multitudo, v 1. Cal. Iulii, die sabbati, processerunt vnanimiter contra ipsos, tanquam diuinæ patientiæ abusores: parati occumbere, vel ipsos cum eorum nefandis operibus ad honorem & gloriã Iesu Christi penitus abolere. Illi è diuerso tanquam ferinis vberib. enutriti, etiam cruelius sçuiebant: & in suo Asmodet ponentes fiducią, non diffidebant se posse resistere potenti brachio Domini Sabaoth, & tantæ multitudini signatorum. Mira mi serandaq; pertinacia. Obstinati non cessabant claues ecclesiæ sceleratis verbis contaminare. Capitanei eorum Boleke & Bardenflete, Tammo de Huntorpe, Teduar dus de aggere, aliiq; horum similes, vt vitam & patriam defenderẽt, fortiter admonuere, dicẽtes: Quòd ipsos aut oporteret succumbere, aut velut canes rabidos insanire. Transierunt autem medio tempore Othmõdam fluuium peregrini, pontem de nauibus facientes: & cum transierant, sapienter suas acies ordinabant. Stedingi velut amentes furebant: & quadam insania ventilati, non timuerũt multitudinem cruce signatorum, nec spiritualis, nec materialis gladii potestatẽ: sed ordinata quidem acie, inordinato autem furore, tanquam furibundi canes processerunt obuiã peregrinis. Dux Brabantiæ & comes Hollandiæ primo congressu pestilentes illos, superagrum Oldenesche, vbi conuenerant, viriliter inuaserunt: ipsi se summo conamine defenderunt. Statim comes de Cliuia cum suis à latere irruens super illos ipsorum aciem dissipauit. Clerus, qui eminus adstans, rei exitum expectabat, *Media vita*, & alia misericordiæ implorandę carmina cum mœrore cecinit, & pro crucis victoria supplicabat. Nec mora, illi insipientes & maligni euanuerunt in cogitationibus suis, quia ab exercitu Domini opprimũtur. Hastis perfossi, gladiis percussi, equorum pedibus conculcati: & ita manus Domini inualuit super eos, vt breui temporis spatio sex millia ex illis interirent. Plurimi ex eis fugæ præsidium quærentes, in proximis foueis, inq; Wisera submersi perierunt: qui euaserãt, quatuor cœli ventis sunt dispersi. Sic pertinacia eorum facta est coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum. Henricus de Oldenburg comes ibi cecidit, & cum eo peregrini nouem: ita victorem exercitum Deus seruauit incolumem.

*Pertinacia obstinata exemplum.*

*Stedingi ad internecionem eduntur.*

CAP. 48. VERDENSI ecclesiæ per eadem tempora præfuit post Isonem, Luderus, vir deuotus, & magnæ humilitatis, ordine trigesimus secundus, inter huius loci pontifices: præfuitq; annis viginti. Contulit ecclesię decimam in Emelendorpe cum adiacentia, & prædia in paluribus & fluualib. locis, & Oldendorpe. Ordinauit scholaribus decimam in Nendorpe. Huius tempore capta est ciuitas Verdensis à comite de Welpa, & facta est eclipsis magna. Quo tempore Imperator duxit coniugem, sororem regis Angliæ: & medio Augusto, curiam Moguntiæ celebrauit. Ibi filium suum Henricum, cui ex quibusdam causis nimium infestus erat, regno priuauit, & eum in Calabriam detinendum misit. In ipsa curia dominus Otto, Brunswici & Luneborg dominus, se in gratiam Imperatoris contulit, & omnem hæreditatem suam Imperio resignauit. Imperator Brunswicense dominium in ducatum prouexit, & ducem de eo creauit eundem Ottonem. Dux ergò de Brunswico, circa festum Martini Bremam obsedit: & factis exactionibus & incendijs, rediit. Arcem Otterbech furtim quidam noctu cepere, ac Ottoni duci tradiderũt. Eodem tempore in die Pentecostes, soror regis Bohemiæ, domina Agnes, hortatu Minorum fratrum, se tradidit ordini pauperum dominarum de regula B. Francisci in Praga, spreto propter Christum Imperatore Friderico, qui eam antè contoralem postulauit. Bremensis archiepiscopus & dux de Brunswico, super querimonia de Brema sunt reconciliati, & promissa est perpetua pax inter ecclesiam & ducem: Duci autem quędam ab ecclesia feuda porrecta sunt. Otterbech & Horburgk arces item subuertuntur, vt non remaneret de illis quæstio. B. Elizabeth in Marburg canonizata extollitur, præsente Imperatore & multis principib⁹, anno Christi MCCXXXVI. Tanta ibi erat hominum multitudo, quantam se nemo vnquam meminerat vnà conspexisse. Oblatio auri & argenti sine fine, pro miraculis quæ crescebant circa dominam illam.

*Eclipsis.*

*Agnes vitam monasticã nuptiis imperialibus præfert.*

*B. Elizabeth in Marburg canonizata.*

1236.

CAP. 49. RACEBVRGENSI ecclesiæ post Godscalcum Petrus præficitur: sed neque Godscalco, neq; Petro diuturnus erat pontificatus. nã ambo vix annos quatuor impleuere.

pleuere. Per quæ tempora cùm arcem Vordenstein iterum principes Brunswicen
ses occupassent, præfuit eorum nomine vir militaris de Ottinghusen. Prævaluit in
eo oppido superstitio magna. Nam vir pastorius Otbertus, iniecit religionem ma-
gnam hominibus, quòd multorum oculis vanam sanctitatis imaginem præ se fere-
bat, ita vt putaretur sancta reddere quæcunq; tangere dignaretur. Augetur longè,
lateq; fama diffunditur: Esse hominem in terra, sanctitate venerabilem. Ingens stul
torum hominum concursus crescit, crebrescitq;: felicem se reputabat, quisquis Ot *Homines ad superstitionē proclives.*
berti audire murmura, aut contingere manus sineretur. Hanc superstitionem ru-
stici hominis aluit & tutabatur arcis præfectus, quod oblationis nomine multa cō-
10 gererent, qui accurrerūt. Hac occasione freti ministeriales archiepiscopi, cùm sci-
rent rem superstitiosam detestandamq; geri, magno numero adunati, speciem præ
se ferebant peregrinorum, petendi ac visendi hominis sanctissimi gratia venienti-
um: nihil veriti arcis custodes, quod ingens hominum concursus per singulos es-
set dies. Aditum fecere militibus archiepiscopi, aliena specie occultatis, negligen-
tius habita custodia. Ita arcem occupantes, eiiciunt ducales. Otbertum, hominem
ridiculum, à superstitione depellunt, & rusticis operibus se reddere cogunt: iuri- *Stratagema.*
busq; ecclesiæ arcem, quam hodie primam habet, restituūt. Incessit autem eo tem-
pore archiepiscopo grauis discordia aduersus Bremam ciuitatem suam. Arcem illi
erexit, quam Albam vocauit, super Weseram (Visurgum dixere veteres) vectigal
20 exigens ab vniuersis ascendentibus ac descendentibus per fluuium: æquum arbi-
tratus, non esse ciues suos melioris cōditionis, quàm Rhenum transeuntes, qui gra
uia & multa soluunt principibus vectigalia. Sed ciues refragantur. Capiūtur ergò
à terra transeūtes. Minùs hoc formidabatur: nec magnoperè mouit vrbicos, quòd
à mari maior illis esset quæstus, & crebrior transitio. Ita inuiū quoq; flumen archie
piscopus facere disponebat. Palos magni roboris defixit in profundum, catenam-
que in illis firmauit, ne vllus esset nauigio transitus. Bremenses expedita magna na
ui, quam ferro in proram durauerant, vsi valido vento, plenis velis adnauigant. dis
silit catena: quam ciues correptam, duxere in ciuitatem. Palos eodem modo naui-
bus applicatis, facili conatu extraxere de profundis. Videratpontifex à vicina ar-
30 ce, quæ gerebantur, omnia. Aderat miles de terra Lippiæ, consolatur pontificem:
medium se interponit componēdæ rei, magis vt marinam, vt ille appellauit, arcem
(nauim magnam dicebat) videret, quàm vt tranquillitati consuleret. Publica fide
interposita, suscipitur in nauim conspicuæ magnitudinis. Miratur homo mediter-
raneus, qui marinos labores non vidisset. vbi summo exceptus honore, vidit omnē
in naui velut domi supellectilem, non thalamos, non puluinos, non cameras, non
fenestras deesse, cœpit ex animo de pace agere. Conuenit inter partes, vt, alio in lo
co opportuniore exædificata arce, hanc faceret in potestatem ciuitatis. Extruitur
archiepiscopo impēsis ciuitatis arx in loco Languedel, demoliuntur hanc Albam
arcem, immunitas permittitur ciuibus.

40 PADERBVRNENSEM ecclesiam postquàm duo proximi deseruere ponti- CAP. 50.
fices, assumpti ad maiores (nam Oliuerius ad cardinalatum peruenit: nōdum erat,
quæ nunc valet, consuetudo, vt ecclesias multas cumularent cardinales: Wilbran-
dus ad Traiectēsem assumitur episcopatum, ambo intra annos quatuor translati)
successit in ecclesia Paderburnēsi Bernardus, eius nominis quartus, peruenitq; ad
annos octodecim suæ administrationis. Sub hoc pōtifice in ecclesia Paderburnen
si adhuc obseruantia regularis inter canonicos viguit: & sub eo commutatio facta
videtur de regulari obseruantia ad statum canonicorum secularium. Sed quæri-
mus, quid sit canonicus secularis. Nam interpretato nomine, si canon est regula, ca *Canonicus secularis.*
50 nonicus est regularis: ergo secularis canonic⁹, est regularis secularis: & expressius,
regularis sine regula, aut regularum irregulatio. Idem arbitror factitatum per cæ-
teras ecclesias: sed Præmonstratenses, præterquam in Magdeburg, suam regulam
tenuerunt, in Hauelberge, Brandenburg, Raceburg, & plerisq; aliis. Cumq; Fride-
ricus Imperator excommunicationis sententiam in eum latam leuipenderet, Gre
gorius papa concilium in vrbem congregauit. Legatos quos misit in prouincias,
reuocauit. Conuenerant Genuæ multi cardinales & prælati, ituri per mare Ro-

mam. nam Fridericus obseruabat itinera. Genuenses armauere classem suam, vt incolumes Romam perducerent. Pisani & Siculi Imperatori auscultantes, mare obseruabant. Adnauigant Genuenses armati, vt armatos euadant. Concurritur, prælia tur, vincuntur Genuenses, tres biremes mergũtur cum hominibus: tres cardinales capiuntur, multi prælati, quatuor millia ciuium Genuensium. Cardinales cum prælatis asseruantur in custodia, ciues dispertiuntur, vt ære se redimant. Imperator expugnauit Fauentiam, mox Bononiam obsessurus. Obsedit: sed vbi audiuit tantam suorum victoriam, intermisit. Rex Fracię vbi audiuit captos prælatos, scribit Imperatori. Ipse respondit, sic cõcludens: Cùm animalia omnia leonis vestigia pertimescant, non miretur regia celsitudo, quòd prælatos Franciæ in angustiis tenet Augustus, qui ad Cæsareas angustias conabantur. His etiam temporibus orientalis ecclesia à sede Apostolica se subtraxit. Dicitur, quòd illa ecclesia & merito, & numero præcelluerit ecclesiam occidentalem. Imperator collectis viribus, profectus est in Lombardiam, & papa Romam rediit, & pacem inter Romanos tumultuantes fecit. Suspectus erat pontifici Imperator, eò quòd erga Sarracenos, quibus tam in pace quam in bello se credidit, affectu nimio ducebatur. cum Soldano etiam multam amicitiam habuit: sed hæc omnia secretò, Sarracenos in Italia fouet in Nuceria.

*Genuensium cladet.*

CAP. 51. MINDENSI tum ecclesiæ præfuit dominus Wilhelmus, vir vndecunq; natus, ordine pontificum trigesimus. Vidit dura tempora laborãtis ecclesiæ sub atrocissimo hoste Friderico secundo, qui vires suas, quas de Italia & Germania maximas habuit, in afflictionem ecclesiæ consumpsit. Erant tempora, quando terra sancta iam denuò à Sarracenis occupata, erat recuperãda. In eam expeditionem multum hortabantur Romani pontifices, virum pacis & quietis impatientem, duplici lucro: vt & terræ sanctæ per vires eius, quas de Imperio & regnis suis habuit maximas, consuleretur: & ipsi interim fruerentur ocio & trãquillitate, molestia eius carentes. Sed ludificabat iste pontifices, & vanis promissionibus differebat: nec tum impleuit quod pollicitus est. Maluit vir malignus ecclesiam lacerare, quàm amplificare: maluit rodere viscera eius, quàm fidem Christi propagare. Malignitatem eius vel vna in re euidenter est videre. Fratrem regis Tunitii Sarracenum, baptizari, & sacris Christianis initiari properantem, auertit. Satis erat felix iste pontifex, si motum horum temporum non sensit. Sedit autem in põtificatu annis sex, & in die

*Prudens consilium, sed finis effectus.*

1242. Pancratii moriens emigrauit, anno MCCXLII.

CAP. 52. SVERINENSIS ecclesia post Brunwardum põtificem, habuit Fridericum, antiqui Guncelini comitis filium. Solis duobus annis permansit in põtificatu, cùm duo prædecessores eius penè centum annos continuarunt: sed non est in homine via eius. Eo tempore rex Danię Waldemarus, nuper bello superatus in Holsatia, vt Lubecẽses in suam ditionem reuocaret, super fluuium Trauenam, ad exitum siue ostium eius, firmat duo præsidia: sed facilè à ciuibus expugnata cesserunt, vt liber illis in mare & à mari maneret aditus. Imperator per Italiam contra hostes suos per totum tempus rebus bellicis insudauit: comes Holsatiæ Adolphus, cum vxore sua Liuoniam adiit, pugnaturus in hostes fidei Estones. Hoc etiam tempore sacerdos in Brema Marquardus nomine, domum episcopi noctu ingressus, res ibi repertas furripuit: & exiens, concremauit. Capitur, & post degradationem suspendio necatur. Tum quoq; papa Imperatorẽ, q̃ incorrigibilis videbatur, in cœna Domini excõmunicatis super eum candelis anathematizauit, ita dicens: Excõmunicamus & anathematizamus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & beatorum apostolorũ Petri & Pauli, & nostra, Fridericum dictum Imperatorem, pro eo quòd contra Romanam ecclesiam seditionem mouit in vrbe, per quod intendit pontificem & fratres à sua sede repellere: & cõtra priuilegia dignitatis & honoris Apostolicæ sedis, & libertatem ecclesiasticam, contra iuramentum, quo super hoc tenetur ecclesiæ, temerè veniendo: Item pro eo, q̃ venerabilem fratrem nostrum Præneſtinum episcopum, Apostolicæ sedis legatũ, ne in sua legatione procederet, quã in Albienſiũ partib. pro corroboratione Catholicæ fidei commisim⁹, per quosdam fideles suos impediri mandauit: Item pro eo, quòd non permittit quasdã cathedrales ecclesias,

*Sacrificuli sub tum laqueo punitur.*

*Excõmunicationis formula*

&

& alias vacantes in regno reparari. Et hac occasione periclitatur libertas ecclesiæ, perit fides: quia non est qui proponat verbum Dei, nec qui regat animas, deficiente pastore. Item, quod in regno eletici capiuntur, incarcerantur, proscribuntur, & occiduntur. Item, quòd in regno ecclesiæ Domino consecratæ, destruuntur & prophanantur. Item, quòd non permittit seranas ecclesias reparari. Item pro eo, quòd nepotem regis de Tunisi, venientem ad Romanam ecclesiam pro suscipiendo baptismate, detinet, nec venire permittit. Item pro eo, quòd Petrum Sarracenum, ciuem Romanum, ex parte regis Angliæ ad sedem Apostolicam venientem cepit, & detinet carceri mancipatum. Item pro eo, quòd terras ecclesiæ occupauit, contra iuramentū, quo super hoc tenetur ecclesiæ, temerè veniendo. Item pro eo, quòd terras quorundam nobilium de regno, quas ecclesia tenebat, ad manus suas occupauit, & deuastauit. Item pro eo, quòd quasdam ecclesias cathedrales ferè bonis omnibus spoliauit. Item pro eo, quòd multæ ecclesiæ cathedrales, & aliæ, ac monasteria de regno, pro iniqua inquisitione fuere penè bonis omnibus spoliata. Item pro eo, quòd Templarij in regno & Hospitalarij, mobilibus & immobilibus spoliati, non sunt iuxta tenorem pacis integrè restituti. Item pro eo, quòd exactiones contra pacis formā ab ecclesiis & monasteriis per ipsum extorquentur in regno. Item pro eo, quòd in regno prælati ecclesiarum & abbates Cistertiensis & aliorum ordinum: compelluntur dare certam summam pecuniæ per singulos menses, pro constructione nouorum castrorum. Item pro eo, quòd contra tenorem pacis, hi qui adhæserunt ecclesiæ, bonis omnibus spoliati, exulare coguntur, tanquam proscripti, vxoribus & liberis captiuatis. Item pro eo, quòd ipse impediuit negocium terræ sanctæ, & recuperationem Imperij Romani. Omnes autem, qui iuramento fidelitatis eidem tenentur adstricti, ab eiusmodi iuramenti obseruatione decreuimus absolutos, ne sibi fidelitatem obseruent, districtius inhibentes, quandiu fuerit vinculo excommunicationis adstrictus. Super oppressionibus verò & grauaminibus aliis nobilium, pauperum, orphanorum, viduarum, & aliorum de regno, pro quibus quidem idem Fridericus iurauit stare mandatis ecclesiæ, ipsum intendere, amouere: & in ipso negocio, dante Domino, procedemus, sicut fuerit procedendum. Porrò pro omnibus & singulis supradictis, super quibus dictus Fridericus à nobis fideliter fuerit admonitus, & frequenter, nec pacem curauit: eundem Fridericum excommunicationis & anathematis vinculo innodamus. Proindè quia idem Fridericus de tam multis suis factis, multis etiam fide dignis clamantibus per vniuersum quasi orbem, quòd de Catholica fide rectè non sentiat, est grauiter infamatus: nos, dante Domino, suo loco & tempore procedemus, secundum quod requisierit ordo iuris.

MAGDEBVRGENSI ecclesiæ post Burchardum, prouenit ad archiepiscopatum vir insignis, Wilbrandus, militari genere natus: præfuit annis octodecim per tempora, quibus Fridericus Imperator sub anathemate laborauit: quo eum papa propter incorrigibilem proteruiam percussit ex multis causis, quas suprà memorauimus. Imperator vbi intellexit, se publicè Romæ anathematizatum, indoluit, & cardinalibus rescripsit in hunc modum: Cap. 53.

FRIDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ rex, vniuersis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, dilectis amicis suis, salutem & sinceræ dilectionis affectum. Quum sit Christus caput ecclesiæ, & in Petri vocabulo suam fundauerit ecclesiam supra petram, vos Apostolorum statuit successores, vt, Petro pro omnibus ministrante, vos, qui estis candelabra ecclesiæ, supra montem, non sub modo constituta, reuerà omnibus qui sunt in domo, ex effectu bonorum operū luceatis. Non à publica mundi lingua & conscientia generali vos subtrahere intenditis, cùm ad singula, quæ præsidens sedi Petri proponit statuere, vel denuncianda decreuit, æqua participatio vos admittat: nisi præuisus religionis ecclesiasticæ status & zelus effluens, cuitandi scandali generalis vobis cautelā suggesserit ad futura. Quis enim non miretur & stupeat, quòd tot venerabilium patrum congregatione munita ecclesia generalis, sedens in solio, & vtinam iustus iudex, velit inconsultè procedere, ac suis motibus excan- *Friderici Imp. ad Cardinales literæ.*

descens in Romanum intendit principem, aduocatum ecclesiç, ad prędicationem euangelij stabilitum, ob fauorem Lombardorum rebellium exercere spiritalem gladium: si dicere liceat, minus iustè: quum aliàs, quicquid ex obiectis ecclesiarũ grauaminibus, quæ dicuntur obiecta, quantum vt species à genere per indiuidua deriuentur, vel emendationem receperunt, vel ex deliberata nostri prouisione cõ silij sit in proximo, prout iussio iam processit, debita & integra emendatio secutura. Nam ecce & patentes literas prælatorum damna passorum, quos Apostolicum mandatum præstitit monitores, euidens testimoniũ declaratur: & præcedens nostra constitutio super vocatione prælatorum damna passorum, & de prestanda integra satisfactione prælatis: cùm per literas, venerabili archiepiscopo Messano, vocato ad hoc assessori nostro transmissas, euidens exhibet testimonium veritati. Propter quod non indignè dolemus, si pater Apostolicus nos offendere tam grauiter intendat, vt in constantem virum tam vehemens cadat iniuria: & si patienter ferre velimus, immanitas negocij non permittit, quin ad vltiones, quibus Cæsares vti solent, facti violentia nos impellit. Veruntamen dum consideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus assessoris, si ex æquo liceret priuatas exercere vindictas, quas in hominem, per quem scandalum venit, & in sui participes sanguinis compensare possemus, vt in ipsum & in suos attenta nostræ sedis iniuria redundaret, tolerabilius duceremus. Sed quum nec ipse, nec tota sua propter hoc passura progenies tanti forent, vt culmen Imperij zelaret vltionem ipsorum: quumque sedis authoritas audaciæ sibi frena relaxet, & tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fouere pertinacia videatur: angit nos altiori mente turbatio, quòd dum nos intendamus à persequente defendere, oporteat nos grauiùs offendere resistentes, salua in omnibus ecclesiæ sanctitate, quam cultu sacro & debita reuerentia corde corporeque veneramur. Quapropter venerabilem cœtum vestrum affectuosius deprecamur, quatenus motus summi pontificis, quos ex causis euidentibus non tam iustos quàm voluntarios mundus agnoscit, deliberata modestia compescatis, generali statui, & præsertim quieti mentium, à scandalis prouidentes. Nam cum ad salutem & honorem omnium vestrũ fauorabiliter alligemur, ab iniuriarum offensa non poterimus æquanimiter abstinere. Quin etsi obstare principiis non possemus licitè, liceat iniurias, quas reuocare nõ possimus, iniuriis propulsare. Datum Paduæ.

Non minùs tamen Papa solicitauit archiepiscopos & episcopos, vt Imperatorem denunciarent excommunicatum: sed episcopi Teutoniæ, ne hoc fieret, supplicabant. Interim ille Lombardos fortiter impugnauit: & procedens vltrà, plurimas ciuitates ecclesiæ occupauit, vsque ad Viterbium.

# ALBERTI KRANTZII
## METROPOLIS, LIB. VIII.

CAP. I.

QVVM haberet infestam Fridericus Imperator Romanam ecclesiam, Saxoniæ ecclesiæ satis elongatæ ab Imperatore, neque consilij neque bellorum vllum habebant participium: quod sub Henricis duobus, quarto & quinto eius nominis, Imperatoribus, & sub Ottone quarto, qui in Saxonia plurimùm versabantur, euitare non poterant. Illi quidem Imperij iura, positis antipapis, reposcebant: recordantes illorum temporum, quo etiam de summis pontificibus Imperatores nostri ordinauerunt sub Carolo Magno, Ludouico atque Lothario, & sub Ottone primo, maximè verò sub Henrico tertio. Quartus verò Otto, potentis fœminæ Mathildis contribulis suæ patrimonium vendicabat, quod iam Romanæ ecclesiæ qualicunque donatione prouenit. Primus autem Fridericus & secundus, penè pares habuere causas, cùm Lombardos, ad ius Imperij à temporibus Magni Caroli pertinentes, reuocarent: qui etiam sub

sub Ottone primo ad eam sunt ditionem, victis Berengariis, reuocati. Deinde sub Henricis tribus, à secundo ad quartum, satis paruere. Sed quum eos summi pontifices tutari cœperunt, Alexander præsertim tertius, cum quo luctamen erat primo Friderico, erexêre in Imperatores cornua, & rebellarunt: inde illa crebra Mediolani obsidio, captio, deletio, cæterarumq; illi adhærentium, se in libertatem vendicantium, labor assiduus in Imperatores, vsq; ad hunc secundum Fridericũ. Sub quo nata est per eam occasionem, tartarea illa diuisio Guelforum & Gibellinorũ: quam pessimus dæmon seminauit, & cordibus Italorum ita implantauit, vt radices ageret, duraret ac cresceret in diem vsq; hodiernum, vt sint partes ecclesiæ & Imperij et omnes penè ciuitates Italiæ. Quanuis totæ vrbes ita, pulsis aduersę factionis partibus, sint Guelfi, vt Florentini: aliæ, pulsis aduersariis, sint totæ Gibellini, vt Pisani & Senenses: permanetq; semen infernæ maledictionis in Italia vsque hodie. quanuis nonnulli iam pertæsi veteris nominis, vocabulũ aboleuere, rem retinuere, pro Guelfis & Gibellinis, Albi nunc & Nigri vocitati. Quæ inferna odiorum semina, nescio quando abolebuntur. Inque illis gyrationibus & tumultuationibus Italiæ, totus effunditur Blondus, quasi in reliquo terrarum orbe nihil agatur. Summam ducunt prudentiam in illis luctaminibus, per ingenia, per summas fraudes diuersari. Sed miscuit nostris temporibus pontifex in eam gyrationem, qui eam disturbet, & extra gyrum aliquando per nouos eiiciat labores. Ea autem non est huius temporis narratio: ad ordinem nostrum reuertamur.

*Pontifices in Impp. erigunt cornua.*

*Guelforum & Gibellinorum factio.*

HILDESEMENSIS ecclesiæ per eadem tempora accepit pontificem venerabilem, Henricũ, ordine vigesimũ nonum, præfuitq; annis viginti. Quo tempore Adolphus comes de Holsatia ac Schowenborg, se tradidit fratribus Minoribus in Hamborg, die sancti Hippolyti, relinquens post se filios Ioannem, Gerardũ & Ludewm: quibus tutorem dedit generum suum Abel, ducem Sleswicensem. Cuius frater Ericus rex Daniæ, duxit vxorem, filiam Alberti ducis Saxoniæ. Eodẽ anno, ac die Dionysij, Hermannus filius sanctæ Elisabeth duxit Helenam, filiam Ottonis ducis de Brunswico. Interim verò Papa archiepiscopos & episcopos ad denũciationem Imperatoris solicitauit: sed non profecit, nisi in Francia & Dania. Archiepiscopi verò & episcopi Germanię rescripserunt pontifici, supplicãtes eidem, vt pro graui scandalo ecclesiæ vitando, de pace inter se & Imperium cogitaret. Papa tamen Imperatori omnes, quos potuit, aduersarios excitauit: crucem prædicari faciens super omnes, qui ecclesiam infestabant. Quo tempore Albertus Stadensis abbas (quem sequimur authorem in antiquitatibus huius regionis: scripsit enim temporum annales) cùm diu institisset reformationi sui monasterij, & pro ea re curiam adiisset Romanam, impetratis literis ad archiepiscopum Bremensem & decanum: postea tribus annis laborasset, nec profecisset, dimisso conuentu suo, tradidit se nouellæ plantationi ordinis Minorum in eodem oppido. Papa tum scripsit Electoribus de nouo Imperatore deligendo. Illi rescripserunt, non esse sui iuris aut arbitrij, Imperatori nolenti substituere, sed vacanti sedi Imperatorem constituere. Tum verò iustissimo Dei iudicio, quum inter se principes Christianismi digladiarentur, Tartari, gens Scythica, primùm auditi sunt se per Russiam Poloniamque, ac vicinas prouincias diffundere: exemplum sequentes præcedentium Vngarorũ, Hunorum, Alanorum, & quidquid gentium illa vasta Scythiæ solitudo per Europam diffuderat. Nam Gothi, Gepidæ, Wandali: Europæi, non Asiani, fuere: quod suis locis ostendimus.

CAP. 2.

*Adolphus comes Holsatia monachus se tradit.*

*Papa aduersus Imp. Fridericum II. odium.*

*Tartari.*

SVERINENSIS ecclesia tum quoque mortuo Friderico, nouum accepit pontificem, Theodoricum, pridem eius ecclesiæ præpositum. Missi ille in vrbem magistrum Eglerum Hamburgensem, & Sibodonem Suerinensem, canonicos: nescio quid impetratũ, quando ab archiepiscopis illa tempestate pendebat & confirmatio & consecratio. Illi qui missi fuere, cum huiusce modi literis redierunt. Libet enim inserere, vt illius temporis stylum agnoscamus:

CAP. 3.

GREGORIVS episcopus, seruus seruorũ Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Bremensi, & episcopo Verdensi, salutem & Apostolicã benedictionem. Ex parte dilectorũ filiorum decani & capituli Suerinensis, fuit præpositum coram

*Grego. Pontif. ad archiepisc. Bremẽs. et epis. Verdens. litera*

nobis, quòd eadem ecclesia pastoris solatio destituta, ipsi conuenientes in vnum, de futuri substitutione pontificis tractaturi, quasi diuinitus inspirati omnes, voto vnanimi, & voluntate concordi, in dilectum filium præpositum eiusdem ecclesiæ, virum (vt asserunt) scientia præditum, disciplinis ecclesiasticis eruditum, & morum honestate præclarum, per cuius industriam dicta ecclesia in medio prauæ ac peruersæ nationis posita, posse creditur à suis tribulationibus & angustiis respirare, sua desideria direxerunt, votis populi ac cleri concurrentibus in eundem: sed intellecto, quòd defectum in natalibus pateretur, vtpotè de quodam milite soluto genitus & soluta, ad electionem non processerunt ipsius, sed ad nos potius habuere recursum. Nobis tam per literas, quàm per dilectos filios magistrum Elegerum Hamburgensem, ac Sibodonem Suerinensem canonicos, nuncios suos, viros prouidos & discretos, qui apud nos super assumpti promotione negocij fideliter insteterunt, humiliter supplicantes, vt vtilitate ac necessitate ecclesiæ supradictæ pensatis, supplentes defectum eiusmodi, ipsum eis in patrem & pastorem animarum eorum concedere curaremus: vestris, & plurium aliorum tam prælatorum & capitulorum, quàm nobilium pro ipso supplicantium nobis literis præsentatis, qui eum super præmissis reddunt multipliciter commendatum. De vestra ergò circunspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de modo postulationis, studiis postulantium & postulati meritis, veritate solicitè inquisita, si postulationem ipsam aliàs ineueneritis de idonea persona canonicè celebratam, cum eo super huiusmodi defectu authoritate Apostolica dispensantes, præficiatis eum eidem ecclesiæ in episcopum & pastorem, ac faciatis ei à subditis Suerinensis ecclesiæ obedientiam & reuerentiam debitam exhiberi. Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione posita, compescendo: alioqui prouideri præfatæ ecclesiæ per canonicam electionem faciatis. Datum Laterani XVI. Cal. Iunij, anno pontificatus nostri XIIII.

Archiepiscopus Bremensis & Verdensis episcopus, receptis literis, in domo fratrum Minorum in Stadio, euocato ad hoc Lubicensi episcopo Ioanne, conueniũt: ibiq; idem præpositus vna & eadem die, scilicet quarto Calendas Augusti, legitimatur, examinatur, confirmatur, & in episcopum consecratur. Quam idcircò cantilenam libenter ex annalibus in hanc paginam transcripsi, vt illorum temporum stylus & obseruantia videatur.

CAP. 4. VERDENSI tum ecclesiæ præfuit vir insignis, Gerardus ordine trigesimus tertius, filius comitis de Hoia: seditque annis sedecim. Amator fuit cleri: vtilitatibus ecclesiæ vigilanter insistens, multa temporibus suis fecit, & ordinauit, quæ in priuilegiis super hoc editis lucidè declarantur. Monasterium interim diuæ Mariæ iuxta Stadium iam tunc in eum deuenerat modum, vt religionis obseruantiã haberet in postremis. Abbas cùm multa faciens nihil proficeret, Minorum induit habitum. Scripsit idem, quo instincta hoc egerit. Legerat in regula diui Benedicti, quam professus erat, animaduertitque eum articulum quo dicitur: *Qui eam seruare tenetur, & non seruauerit, sciat se à Deo damnari, quem irridet.* Romanam idcircò sedem adiit, anno Gregorij Papæ II. supplicãs, vt locum suum in Cistertiensem ordinem commutaret: vt sic fratres ibidem commorantes, sub obseruantia sanctæ regulæ, possent diem extremum & aduentum districti iudicis, sine grauissimo animarum suarum periculo expectare. Papa petitionem ipsius exaudiens, talem ei dedit epistolam:

*Gregorij Papæ ad archiepiscopum Bremensem epistola.*

GREGORIVS episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri Bremensi archiepiscopo, & dilectis filiis, decano, & Ioanni de Beuersack, canonicis, Apostolicam benedictionem. Desideria deuotorum, in quibus fructus æternæ vitæ contineri dinoscitur, eo promptioribus à nobis sunt ad effectum deducenda studiis, quo super talibus excipiendis nobis inesse debet diligentia specialis. Hinc est, quòd quum monasterium sanctæ Mariæ in Stadio ordinis sancti Benedicti, Bremensis diœcesis, sicut accepimus, sit peccatis exigentibus ita dispositũ, quòd euidenter ibidem, non absque offensa diuini nominis, salus negligitur animarum: ad

preces

preces abbatis eiusdem monasterij, super hoc salubriter prouidere volentis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs ipsum, si salubriter in suo non possit ordine reformari, de Cistertiensi ordine, Deum habendo præ oculis, reformare curetis: illos ex eiusdem monachis, qui fortè meliorationis huiusmodi consequi gratiam recusantes, noluerint habitum Cistertiensem assumere, in aliis locis sui ordinis collocando: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis. Quòd si non omnes his exequendis interesse poteritis, Tu frater archiepiscope, cum altero eorũ nihilominùs exequaris. Datum Viterbij, secunda Nonas Maij, pontificatus nostri anno XI.

HVIC negocio archiepiscopus prima fronte aderat, & abbas ad curiã de ipsius consensu & voluntate peruenit. Cui ctiã, ad eiusdem rei executionem, fidum consilium, & firmum auxilium repromisit. Die igitur Mariæ Magdalenæ, abbatem & totum conuentum in capellam suam Stadij conuocauit, cum collega in hac parte suo, Geruando decano, eisq; decretalem epistolã declarauit: hoc hortatus, quòd se studerent in suo ordine reformare: alioqui vellet circa ipsos mandatũ Apostolicum adimplere. Duo de Minoribus fratribus, & Ioannes monachus de Rastede, qui etiam se postea ad Minores fratres coniunxit, huic intererant actioni. Abbas executionis finem ab illa die in triennium longanimiter expectauit: & sæpiùs monens archiepiscopũ, sæpissimè decanum, videns quia nihil proficeret, sed in deterius res prolaberetur, & periculum immineret animarum, ab admonitione destitit: & propositum suum fieri posse desperauit. Ille se ad fratres Minores cõtulit: ibi vitam finiens, fratribus reliquit, vt Deo respondeant.

MIMIGARDE VORDENSEM ecclesiam, quæ est eadem Monasteriensis, tum regebat pontifex, post Ottonem, Theodoricus, ordine vigesimus septimus, natus sanguine comitum de Isenborg. Huius hoc est præclarum memoriale, quòd ædificandæ ecclesiæ nouæ sancti Pauli, primum posuit lapidem cum ingenti pecuniæ summa, ipso die Mariæ Magdalenæ, quem deinde solennem instituit. Deditque fratribus nouem ecclesias, deinceps ab ipso conferendas, sed quæ censum soluerent matrici & capitulo: & alia pleraque fecit memoratu digna, quæ tamen in fastos nõ sunt relata, ac ne anni quidẽ regiminis eius annotati. Gregorius Papa per hæc tempora insolentias Friderici Imperatoris metuens contra ecclesiã, principes Electores super alterius pro illo assumptione solicitauit: sed nihil profecit, quia quidam ei principes rescripserunt, non esse sui iuris, Imperatorem substituere, sed tantùm electum à principibus coronare. Hoc fuit responsum Colonienses ac Moguntini. Electio enim ad quosdam ex designatione tertij Ottonis, ad certos principes Germaniç pertinet: inter quos Treuirensis, Moguntinus, Colonienses archiepiscopi. Treuirensis enim, licet omnem suã ditionem in Galliis teneat, Elector tamen constituitur: quia illa tempestate omnis illa Germaniæ prouincia annumerabatur. Testatur hodie lingua, qua vtuntur, promiscua. Ferunt Treuerim, pro sua antiquitate venerabilem, quòd Nini Babyloniorum regis filius eam extruxerit temporibus Abrahæ, fugiens Semiramidis nouercæ incontinentiam. Cæterùm hoc indubitatum est, à tẽporibus Petri apostoli semper eam fuisse Christianam. Palatinus comes inter alios eligit, quia dapifer est: Dux Saxoniæ, quia marscallus: & Marggrauius, quia camerarius, regem Bohemiæ annumerãt in differentia cæterorum sex: tum ab initio annumeratus erat Teutonicis, quia in solo Germanico sedet, circunfusus Germanis: sed nunc quia nationem specialem fouet, & regnum eius in schismate est, ad electionem non vocatur. Ottonis quidem tertij tempore paruit Imperio: & quoniam quartus Carolus, qui eam rem ponebat in ordinem, dans auream desuper bullam super ordine, officiis, ministerio singulorum, rex erat Bohemiæ, non præteriuit Bohemiæ regem in hac designatione, licet filius eius Wenceslaus eum ordinem primus ruperit per ignauiam suam, etiam Romanorum regno destitutus, vt succederet Robertus Bauarus: & deinde frater eius Sigismundus, qui adeò reperit rem Bohemicam turbatam schismate, vt reparari non posset, inde est illa in electione omissio regis Bohemiæ: nec ille, credo, magni facit.

*Papa laborat de alio Imperatore Friderico substituendo.*

*De Electoribus Imperij.*

*Treuerensis ciuitatis antiquitas.*

*Bulla aurea Caroli IIII.*

CAP. 5.

CAP. 6. MINDENSEM ecclesiam post Wilhelmum regendam accepit vir præstans, Ioannes, ordine pontificum trigesimus primus, vndecunque natus: nam hoc annales non memorant. Huius temporibus nouissimis fundatum est monasterium Clotaw, ordinis Cistertiensis. Religiosi honestius illi nomen indiderunt, vt appellarent Vallem benedictionis. Fundator erat Henricus de Oldenborg comes, qui pleraq; tenuit hæreditaria in hac regione, ex successione legitima comitis de Lueca. Sed pro pietate & munificentia sua sortitus est nomen, vt passim diceretur ab omnibus, largus & pius donator. Senserunt hæredes hanc eius largitatem, sanctis egentes parentibus. Vocatæ sunt autem pro huius cœnobij institutione moniales de Leiden. Post paucos annos translatum est in locum Reme: nam in priore indigebant aqua, quæ in primis necessaria est monialibus, multùm ea vtentibus. Hic verò secundus locus superabundabat vsqueadeò, vt brumali & autumnali tempore omnia replerentur aquis: quod & ipsum magno fuit incommodo puellis. Tertiò translatum est monasterium in locum quem vsque hodiè tenet, sub veteri vocabulo Vallis benedictionis, in loco Valdorpe: cuius ecclesiam Ludouicus episcopus monasterio deputauit, & Gerhardus comes de Schowenborg, cum filiis suis Gerhardo, Henrico, Adolpho & Ottone, iuribus in ea villa in fauorem sanctæ religionis renunciauit. Habitauit hic Gerhardus in Holsatia, & tamen iura tenebat comitatus de Schowenborg, vbi de filiis suis deputauit nonnullos, qui regioni & ditioni præessent. Necdùm enim diuisum erat inter comites vtriusque ditionis, quia nondum lineageneris in longum processerat. Vbi verò nati sunt filiorum filij, cœpit cuique sua esse successio: & patruelium paulatim increuit obliuio, donec redirent ad successionem eius partis comites de Schowenborg, quam in Holsatia tenent ad Albim in præfecturis Pinnenberg, Barmstede & Hartesborg: nam tunc numeratis lineis, æquè ad successionem propinqui sunt inuenti, comites in Schowenborg & Holsatia ad hæreditatem nouissimi Adolphi in Wagria. Wedekindus quoque de Schowenborg memorato monasterio, pro sui ac suorũ memoria, contulit decimam in Vselen, non longè à monasterio. Sedit autem memoratus pontifex in ecclesia Mindensi annis decem, & mortuus est anno MCCLII. cùm adhuc 1252. ferueret controuersia cum Friderico & ecclesia, quæ cum vita eius terminata est: & successerunt turbida tempora, quum diu nesciretur propter diuersitatem Electorum, quis Romano præesset Imperio. Compleuit autem iste pontifex in ecclesia annos decem, & appositus est patribus suis.

*Aqua in primis necessaria monialibus.*

CAP. 7. OSNABVRGENSEM ecclesiam post Brunonem trigesimum accepit Wedekindus, ex comitibus de Waldegge: præfuitque cum eximia laude per tempora sua. Erat rebus gerendis idoneus, in rebus familiaribus ciuiliter tritus: agrum ex myrica redegit plurimum ad culturam, auxitque fruges, & in frugibus prouentus ecclesiæ plurimùm. Vnde factum est, vt albus panis triticeus ad abundantiam proueniret canonicis. Prædia quoque adauxit vt potuit, perpetuò ecclesiæ seruitura: pro quibus temporale præstitit beneficium, quod cum vita tenentis finiretur. Cuius temporibus Fridericus Imperator secundus, Imperio deponitur: & Conradus ecclesiæ Colonienſis archiepiscopus, natus ex comitibus de Honsten, plurimum inde laborem accepit, quum de mandato summorũ pontificum tribus post inuicem electis, primam impendit coronam in Aquisgrano: primùm Henrico cognomento Raspen, Thuringo, qui sanguinem trahebat diuæ Elisabeth, pro quo etiam se per arma obiectabat Conrado Friderici filio, quem collata manu vicit, & fugauit. Quumq; Henricus non diu superesset, electus est Wilhelmus comes Hollandiæ: qui & ipse accepta benedictione regali de manu Colonienſis, aliquandiu res administrabat Imperij, consumptus bello, quod illi erat in gentem Phrisiorum. Tertius, comes Cornubiæ Richardus, frater Anglorum regis, rex declaratur, & consecratur Aquisgrani, non cum magna laude Germaniæ, quasi non videretur habere illa principem Imperio dignum. Ita sumpsere alienigenam: sed neque ille prosperatus est, omissis regni rebus, cùm videret se principibus Germaniæ non esse probatum. Wedekindus autem pontifex cùm decennio rem ecclesiæ suæ laudabiliter procurasset, migrauit ad meliora, vt confidimus, regna.

*Wilhelmus comes Hollandiæ in regem vngitur.*

*Imperator delignigena.*

CAP.

RACEBVRGENSIS ecclesia per ea tempora pontificē habuit, insignem virum Ludolphum, cuius tam sunt eximiæ laudes, vt breui pagella compræhēdi non possint. Multum illi ac diuturnum luctamen erat pro ecclesiæ suæ libertate, stetit vt murus: qui licet tormentis & machinis quateretur, immobilis tamen permansit. Ponenda sunt ad fidem annalium verba: Ludolphus hic vir perfectus erat, & cunctis virtutibus adornatus: qui pro ecclesia sua in longa persecutione, martyriū fecit sub duce Saxoniæ Alberto, pro eo quòd vineam Naboth, hoc est, ecclesiam suā noluit dare in hortum olerum: hoc est, transferi ad vsus prophanos: & quòd domum Dei, curiam videlicet suam episcopalem Richaw, noluit fieri speluncam latronum, prout in passione eius plenius cōtinetur. In qua etiam legitur, quòd postquàm à nobili viro domino Magnopolensi Ioanne, in nouam suā ciuitatem Wismariam est susceptus, præbente sibi requiem & pacem in eadem, quam in reliqua diœcesi à facie persequentis non haberet, iam viribus totis destitutus, post varia tormentorum genera, diem expectans extremum, nocte precedente cœnam Domini duo ex fratribus ad eum venientes, poculum salutis ei dederunt: quo confortatus, viribus receptis, ipso die cœnæ officium suum deuotissimè peregit: &, vt piè creditur, duo illi fratres qui poculum tradiderunt, antecessores sui episcopi Euermodus & Godfridus fuere. nam vnde venerint, quò abierint, vidit nemo. Pastor hic bonus animam suam pro ouibus posuit, & pro suo grege mori dignatur. Huius temporibus tanta religiositas, sanctitas, & disciplinæ seueritas in Racesborg seruabatur, quòd monasterium hoc tam à clero quàm à populo carcer ordinis vocaretur. Hic pontifex monasterium in Rene, cultum Dei amplificando, sui ordinis, industria sua fundauit, & de mensa sua episcopali dotauit. Inter alia autem miracula, quæ Dominus per eum post eius mortem operari dignatur, hoc memoratur: Erat vir militari genere Hartuicus de Ritzerow, qui pilum sagittæ diu gestabat in capite, cui ligno effracto ferrum includeretur, vnde doloribus cruciabatur assiduis. Adhibuit chirurgū, qui telum extraheret. Ille benè sperare iussum, pollicitus est ab eo ferrum extrahere: conuentione facta de precio, locum aperuit vnde educeret. Et vbi magnis afflixit hominem cruciatibus, ferrum aliud quod attulerat in eam speciem qua extractum videretur, clàm adduxit, & instituta opera monstrauit, velut eductū. Credidit ille, & preciū persoluit: nam continuatus dolor, noui vulneris molitione factus credebatur. Post adductam cicatricem dolor renouatur, & ingraueſcit. Ibi se delusum sensit, & humana iam ope & consolatione destitutus, ad præsidium sanctorum confugit: orans, vt quoniam meritis sancti pontificis Ludolphi multa mirabilia narrarentur impleta, dignaretur illum Dominus interuentione sancti sui, dolore & cruciatibus liberare. Non multò pòst, ferrum vulneris loco propinquauit, adeoque eminuit, vt ipse sua manu educeret. Virautem iste gratias agens, ac benedicens Deum, qui tanto ipsum periculo & dolore per famulum suum liberasset, Deo ac beatę Virgini, ac sancto viro Ludolpho, solennem oblationem intulit, ornamentum missale preciosum, casulam & dalmaticam cum subtili de serico lasurio, cum omnibus attinentiis, albas cum stolis, manipulis, amictu: quæ singula auro, argento, margaritis preciosis decenter ornabantur, ad laudem & gloriā Dei & sanctissimę matris eius, ac gloriosi viri Ludolphi martyris atq; pontificis. quibus in hodiernum diem vtitur ecclesia. Exant versiculi tornati artifici manu, in laudem huius pontificis, quæ quoquo pacto legeris, siue per capita versuum deorsum, siue per directum, sonant idem:

*Gemmula pastorum, lux fulgens, regula legis,*
*Pastorum speculum, iuuenum dux, senis icona,*
*Lux iuuenum clara, reparator, gloria plebis,*
*Fulgens dux, reparator cleri, pacis amator,*
*Regula senis, gloria pacis, formula dulcis,*
*Legis icona, plebis amator, dulcis adesto.*

Eosdem reperies versus, si singulorū dictiones primas iunxeris, fit versus primus: inde si secundas singulorum iunxeris, fit versus secundus: & si tertias, tertius, vsque in finem ita deinceps.

CAP. 8.

*De Ludolphi episcopi virtutibus annalium verba.*

*Miraculum.*

*Hoccine miraculum?*

CAP. 9. HALBERSTADENSI tum ecclesiæ præfuit Meinerus, ordine vigesimus quartus in ea ecclesia, de genere ministerialiũ, qui cognominabãtur Kransfelder: præfuitq; annis quatuordecim, cum plurima laude, sepultus extra muros vrbis, ad sanctum Burchardũ. Huius temporibus increbuerunt horrendi de Tartaris rumores, qui per transeuntes innumerabili multitudine & manu valida, Russiam & Poloniam & alia regna subuerterunt: nulli parcentes, sed omnes quos attingere poterãt, cuiuscunq; essent professionis, sexus vel ætatis, crudelitate minia peremerunt. Peruenerunt in Vngariam inopinatissimo euentu: factaq́ue infinita hominum strage, regem, occiso fratre eius in prælio, de suo regno in Græciam expulerunt. Erat autem annus MCCXL. Imperator vbi intellexit Papam vocasse in vrbem concilium, omnes vias obsedit cum fautoribus & adiutoribus suis: omnes euntes ad vrbem si comprænhendit, detinuit, & carcere macerauit. Legatũ Angliæ Ottonem, & Franciæ Prænestinũ episcopũ, professione Cistertiensem, à Genua per mare Romã redire volentes, cum infinita pecunia cepit: & prospero euentu quatuor tum millia Genuensium, qui securitatem sunt polliciti euntibus, & tres galeas cum omnibus quæ inerant, cõfligens demersit. Cepit viginti duas galeas, prælatos & clericos in eis infinitos, & ambasiatores plures quàm centum. Tartari verò tum tanto timore omnium corda concusserunt, vt homines contra eos in diuersis prouinciis, authoritate episcoporum se crucis charactere insignirent. Tandem Papa ad instantiam regis Vngariæ, ducis Austriæ, & Carinthiæ, dedit generalem terræ Hierosolymitanæ indulgentiam contra eos, & diuina virtute repressi sunt.

*Tartarorum eruptio.*

1240.

10

20

CAP. 10. LVBECENSIS ecclesia per hæc tempora pastore viduata, insignem virũ Albertum archiepiscopum Rigensem, quem Bremensis consecrauit (sed Rigenses non receperunt, electo ex suis archiepiscopo) suscepit. Quumq́; ordinem teneret episcopalem, & ecclesia careret, vir magno loco dignus, consedit Lubeck, expectans ex Romana curia literas, & ex Liuonia responsa molliora. Dum præstolatur longanimiter, moritur Lubecensis episcopus. Placuit canonicis, Albertus assensit, papa approbauit, vt titulum retinens quem haberet ecclesię Rigensis, administraret Lubecensem, donec de Rigensi aliter cõsuleretur. Administrauit cum summa laude annos sex. Anno eius secundo cœpit discordia grauis inter eum & comites Holsatiæ, Ioannem & Gerardum, super decimis in terra Aldenborg. Nam comites asserebant, se magnam partem decimarum in feudum tenere ab ecclesia, & similiter vasallis suis decimas certas in eum modum contulerunt. Tandem post varios tractatus, compositione interueniente, publicè fatebantur, se per totam terrã Aldenborg nullas ab ecclesia decimas in feudum tenere, vel aliis concedere potuisse, exceptis duabus villis dictis Tom Brode, in quibus medietatem percipere consueuerunt. Insuper solenniter concordarunt, vt de singulis mansis cultis & incultis, & qui redigi ad culturam possunt, a palude quæ Dolge dicitur, ipsa palude inclusa, vsque ad mare, decimæ quatuor modiorum puræ siliginis maioris mensuræ exoluantur. Et dederunt comites ecclesiæ duos mansos in villa Susowe, cum omni iure & libertate, in quibus fecit episcopus granarium magnum erigi: & vt ad illam villam omnes homines in terra Aldenborg suas decimas singulis annis, propriis impensis, deducerent, comites districtè præcipiebant. Iste Albertus emit medietatem molendini in Zwartow pro centum marcis. Nam alia medietas iam fuit ecclesiæ, sed hodie totum est in iure ciuitatis per viam emptionis. Dedit etiam centum marcas domino Henrico Godowen militi, pro liberatione certarum villarum, in quibus de facto sibi ius esse dixit idem dominus Henricus. Albertus autem, post annos sex suæ administrationis, iam vacuata per mortem sede Rigensi, in eam suam transfertur: vir magnæ authoritatis in diebus suis, & qui Innocentio quarto, sui temporis summo pontifici, erat acceptissimus, qui illi permisit legationem omnes hyperboreas regiones.

30

40

50

CAP. 11. MAGDEBVRGENSI verò ecclesiæ post Wilbrandum Rodolphus, natus de Dingelstede, præerat, ordine vigesimus primus, præfuitque annis septem. Is ad ecclesiam prouexit comitatum de Aluensleue: ab Innocentio quarto suscepit pontificij muneris dignitatem. Cuius quidem temporibus Imperator Fridericus à suo

proposito

propositō non quieuit, sed pro sua parte omnes solicitauit, quos potuit: & plurimi pro eo, & multi contra eum, diuersis opinionibus senserunt, ita vt quidam eum nō solùm excommunicatū, sed etiam hæreticū appellarent. Quo tempore, anno quadragesimo quarto post mille ducentos, frater Adolphus olim comes Holsatiæ, sedem adiit Apostolicā pro dispensatione, quia sacros ordines ardentissimo desiderio flagitabat: & rediens, dispensationem largam tali forma reportauit: Vniuersis præsentes literas inspecturis, frater Reynardus & frater Gerhardus, domini Papæ pœnitentiarij, salutem in Domino. Noueritis, quòd nos audita confessione fratris Adolphi, ordinis Minorū fratrum, præsentiū exhibitoris, eidem super omnibus arti-culis pro quibus duxerat ad sedem Apostolicā laborandū, & de similibus siue minoribus, si quos in obliuionem deduxit, de speciali mandato venerabilis patris nostri Ottonis, S. Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis, cui dominus Papa plenariam super hoc concessit potestatem, beneficiū absolutionis impendimus, & vt ad omnes sacros ordines promoueri valeat, dispensauimus cum eodem, iniuncta sibi pœnitentia salutari. Datum Laterani decimo Cal. Maij, Pontificatus Innocentij Papæ quarti, anno primo. Idem frater Adolphus subdiaconus rediens, à Ioanne episcopo magistro ordinis Prædicatorum in diaconū, & à Ioanne Lubicensi episcopo in Aduentu Domini, XVI. Calen. Ianuarij est in presbyterum ordinatus: qui etiam in Dominica, Omnis terra, primam Missam in Zwentina loco valde solitario, & fratrū Minorum eremitario, & in Hamborg, cui comes præerat, in Quadragesima apud Minores fratres, die Gregorij celebrauit Missale officium. Circa festū Michaelis sequentis anni viderunt quidam intempesta noctis hora in Oriente, surgere lucem clarissimam quasi solem, & tandem euanescere per aerem, & in colorem rubrum, hominum permixta specie, commutatam. Quod prodigij loco habitum, quid portenderet, varij varia dixerunt.

*Dispensationis formula.*

*Albertus comes Holsatiæ monasterium ingreditur.*

*Prodigium.*

HILDESEMENSI deinde ecclesiæ præfuit per ea tempora insignis vir, vndecunque natus, Ioannes. nam nisi aut insigniter doctus, aut nobiliter natus, ad illum episcopatum peruenire non potuit. Præfuit autem solis annis quatuor. Quo tempore Innocentius Papa quartus, Lugdunum, quæ prima sedes est Galliarum, veniens, post festum Ioannis Baptistæ, ibidem concilium celebrauit: & quintam partem reddituum ab ecclesiis accepit. Ea fuit gemina decimatio vnius anni. Imperator pro se nuncios misit, inter quos erat quidam Thadæus, insignis legum doctor, qui pro eo elegantissimè allegauit, ita vt plurimorum sibi audientiā conquireret & fauorem. Nihilominùs Papa Imperatorem feria tertia in die Iacobi, quæ tertia fuit dies concilii, excommunicauit. Interim verò per totam Germaniam idē pontifex lugubrem epistolam principibus ecclesiasticis misit, conquerens fideliter, quòd à gente quadam Sarracena, quam Choresinorum populum appellauit, sepulcrum Domini esset enormiter violatum. Adiecere alii, quòd eodem tempore fuerint ab eisdem Sarracenis ad vndecim Christianorum millia in vrbe sancta oppressa, & in templo & circa sanctum sepulcrum etiam sex millia. Intellexere omnes qui audierunt eum summo mœrore, venerabile Christi sepulcrū funditus euersum, & locū sanctum in planitiem redactum: vnde solicitari iussit Papa fideles, vt se cruce signarent. Nihil tamen fructuosum inde prouenit: cognitumque est posteà, non tam penitus esse subuersum Dominicum sepulcrum, etsi enormiter esset læsum. Papa verò in iam dicto concilio contra Imperatorem excommunicationis sententiam renouauit, & eum ab Imperiali culmine authoritate sua depositit: & hanc depositionem per totam ecclesiam promulgauit, præcipiens sub interminatione excommunicationis, vt nullus eum decæterò Imperatorem vel haberet, vel nominaret. Qua sententia per multum volante, nonnulli principum cum aliis multis reclamabant, dicentes, Ad Papam non pertinere, Imperatorem eis vel instituere, vel destituere, sed electum à principibus, coronare. Intereà pontifex solicitari iussit principes Electores, & eos quos ad regendum Imperium credidit idoneos, vt aliquis eorum onus Imperij sumeret, & laborem: promittens eidem, quicunque subiret, consilium, auxilium, pariter & fauorem. Sed diu omnes recusarunt.

CAP. 12.

*Lugdunum prima Galliarum sedes.*

*Saraceni vastant vrbem sanctam.*

*Imperatorem instituere vel destituere, ad quos pertineat.*

CAP. 13. SVERINENSI interim per hæc tempora præficitur post Theodoricum præpositum olim, insignis vir Wilhelmus, etiam ille ex præpositio pontifex electus, dignus vita & episcopatu longiori: nam duobus solis annis præfuit. Quo tempore, depositio Friderico ab Imperio, non destitit pontifex Innocentius multis de assistentia pollicitationibus. Peruicit Henricum Landgrauium Thuringiæ, comitem de Swartzburg, cognomento Raspen, vt consentiret. Moguntinus & Colonensis archiepiscopi illum elegerunt, & iuxta Herbipolim de more inthronizarunt. Indixit ille principibus conuentum in Francofordia, sed ibi occurrit cum expedito exercitu Conradus rex, Friderici filius: qui commisso in eum prælio conuentum disturbauit, multis captis, plurimis etiam cæsis. Appellatus est deinde idem Henricus, rex ecclesiasticorum, à sequacibus Friderici. Papa tamen hortatur per literas, omnes Germaniæ principes, vt deserto Friderico contumace ac perfido, Henrico ad omnia legitimo regi pareant. Quo tempore dux Austriæ cæsus est ab Vngaris, manstúque terra sine principe. Vnde hi versus in quodam loco Austriæ in lapide sunt inuenti, cælatura veteri:

*Henricus Landgrauius contra Friderici nuncupatus imperium.*

*De Austriæ ducibus.*

*Anno milleno centeno terq́ triceno,*
*His quinquaginta si misces, tunc benè disces,*
*Austria quod tota sit principibus viduata,*
*Terraq́ cornuto discit seruire tributo.*

Sæpè nouauit ea terra principes suos, postquã cœpit habere eius tituli duces. Nam primus eum titulum gestabat Henricus, Conradi tertij Romanorum regis frater germanus, ante annos centum ex hoc tempore: qui sine prole masculà defunctus, iterum reliquit Imperatori, vt concederet in feudum, & nunc vacuatur morte ducis sui. Non longè autem post hæc tempora, iterum ad Rodolphum Imperatorem peruenit, qui suam ibi posteritatẽ reliquit ad nostra vsque tempora, cùm esset ipse non sublimior genere, quàm comes de Habspurg ad vicina Suitensium, olim Heluetiorum, gentis ad arma natæ, quod nostra etiam secula confitentur, magnis rebus per eam gestis. Iste verò Wilhelmus Suerinensis episcopus, cuius tempora signamus, cùm duobus annis præfuisset ecclesiæ suæ, decessit, ad annum Christi,

1249. MCCXLIX.

CAP. 14. MIMIGARDEVORDENSEM, hoc est, Monasterienscm, ecclesiam tum gubernabat Ludolphus, agnominatus de Holte, ministerialium ordine, qui nunc honoratiori vocabulo dici volunt militares: quod facilè fineremus, si non etiã per audaciam maiorem, se etiam nobiles præsumerent appellare quam appellationẽ baronibus, comitibus, & ducibus antiquitas tribuit: cùm summi pontifices nõ alia dignãtur appellatione nostri temporis duces, quos appellant nobiles viros. Veteres etiam dixere, nobile scortum, nobilem mimum. Sed ad Ludolphũ pontificem reuertamur, qui vir magnanimus in episcopatu multa dura perpessus, de inimicis suis & ecclesiæ vastatoribus glorioscè triumphauit. Extruxit, firmauitque arcem in Woldbecke: & familiam veterem militarium de Meinhoucle, qui diu graues incubuere ecclesiæ, prorsus exterminauit. Tradunt per ea tempora summum pontificem Innocentium quartum, tanto zelo in Fridericum eximperatorem prouectum, vt non modò Christianos principes illi opponeret, sed etiam misso nuncio ad Soldanum Ægypti, illum à familiaritate eius fit nisus auertere. Extat exemplar literarum Soldani, Græca lingua pontifici abillo remissarum, quod pro rei nouitate libet inserere, in hanc formam:

*Innocentij IIII. implacabilis in Fridericum Imp. animus.*

*Soldani ad Innocentiũ IIII. litera.*

Præsentiæ Papę, nobilis, magni, spiritualis, sancti, affectuosi, tertij decimi apostolorum: Vniuersalis loquela Christianorũ, manu tenentis adoratores crucis, iudicis populi Christiani, ductoris filiorũ baptismatis, summi pontificis Christianorum. Confirmet eum Deus, & det illi felicitatem. A Soldano potentissimo regnante super collationum, continente duas virtutes gladij & calami, possidente duo præcellentissima, scilicet doctrinã & iudicium, rege duorum mariũ, dominatore austri & septentrionis, rege regionis Ægypti, Syriæ & Mesopotamiæ, & Mediæ & Idumææ & Ophir, rege Fabelbefech aiob, filio Soldani Chamel heleſmenaphat, Mechmet filij Soldani regis Holdal Ioberir filij aiob, cuius regnum Deus diligit.

IN

IN nomine Dei misericordis & miseratoris, præsentatæ sunt scripturæ papæ magni, affectuosi, sancti, tertiidecimi apostolorũ, vniuersalis loquelæ Christianorum, manu tenẽtis adoratores crucis, iudicis Christianorũ, summi pontificis filiorum baptismatis. Faciat eum Deus de affectãtibus bonũ & facientibus illud, & affectantibus pacẽ & perseuerantibus in causis eius: & adiuuet eum Deus in his quę decẽtia sunt ad illos, qui sunt sui cultus siue ritus, & ad alios. Respeximus illas scripturas studiosè, & intelleximus capitula quæ eis inserta erant: & eorũ continentia nobis placuit, & delectatus est auditus noster in relatu eorum. Et nuncius venit ad nos quem misit sanctus papa, & ipsum præuenimus cũ honore & dilectione, cum deuotione & reuerentia. Ipsumq; vocauimus ad conspectum nostrũ, sibi inclinantes, intendimus autẽ verbis eius, & fidem adhibuimus ei nuncianti nobis de Christo, super quem sit laus: de quo Christo plus scimus, quàm vos sciatis, & magnificamus eum plus quàm vos magnificatis. Et de hoc, quòd dicitis vos desiderare tranquillitatem & quietem, & habere materiam conuocandi populos ad pacem: Similiter & nos desideramus, nec volumus contraire: & hoc semper voluimus, & desiderauimus. Sed papa, quem confirmet Deus, scit, quòd inter nos & Imperatorem iamdudũ fuit familiaritas & concordia perfecta, à tempore Soldani patris nostri, quem Deus ponat in claritate: & inter vos & Imperatorem vestrum, est, sicut vos scitis. Vnde non licet nobis aliqua componere cum Christianis, nisi prius habuerimus super his ipsius consilium & assensum. Et nos scripsimus nuncio nostro, qui est in curia Imperatoris, pro causis quas detulit nuncius papæ, nunciantes & capitula & proposita vestra. Ipse nuncius noster veniet ad præsentiam nostram, & loquetur nobis: & postquàm renunciauerit, faciemus iuxta tenorem responsi. Nec discrepabimus ab eo, quod vtile videbitur vniuersis. Ita quod possumus habere meritum à Deo, hæc vobis annunciamus, & bonũ ampliabitur, Deo dante, in posterum. Scriptum est hoc in septima die mensis Macharon, quę fuit lunatio Augusti iuxta gloss ellam. Laus Deo soli, & benedictio eius super dominum nostrũ Machometum, & super genus ipsius. Ipse sit pars nostra.

HANC igitur epistolam, cùm Græcè scripta fuerit, quidam Latinus Græcè peritus, transtulit de verbo ad verbum. Sed hæc hactenùs. Ludolphus episcopus, cuius tempora signamus, vbi cursum vitæ peregit, concessit ad manes, vtique superos, vt speratur.

PADERBVRNENSI ecclesiæ post quartum Bernardum, præficitur Simon, qui ei præfuit annis viginti tribus, vir insignis, frater nobilis domini de Lippia Bernardi. Adiutor hic erat septem annis Gerhardo archiepiscopo Bremensi, patruo suo. Circa hæc tempora Henricus Thuringię & Swartzeborg prouincialis comes, qui contra Fridericum assumpsit Imperium, rebus excessit humanis. Quumque hæredem masculum non relinqueret, dux Brabantiæ terram eius manu valida ingrediens, vt filiam suam in ea defenderet, quam Henricus habuit vxorem, & iam viduam reliquit. Is igitur possessiones arcium ingressus, se de omni dominio intromisit. Assumpserunt autem in locum eius principes Electores Wilhelmũ, Hollandiæ comitem, in armis validum, ætate & opibus florentem. In Nussia eum elcgere nonnulli. Aderat Ioannes Holsatiæ comes, qui inter multos, vt habet cõsuetudo, est ab illo, cingulo militari decoratus, vt exindè haberetur miles auratus. Fridericus interim eximperator, iam quatuor coniugibus post inuicem defunctis, de quinto matrimonio disponebat. Mittitur ei filia ducis Saxoniæ Alberti, quæ antè fuit desponsata Ottoni, filio Ottonis ducis Brunswicensis: sed ille priusquàm ad nuptias consummandas perueniret, mortem obiit. Nec tamen inuenio, si etiam ad has nuptias puella peruenerit. Nam Fridericus tum maximis rebus in Italia implicitus, incertum si vacauerit ad torum maritalem. Verisimilius est etiam hic fuisse frustratam. Nam idem Fridericus non multis pòst diebus excessit rebus humanis. Per hæc tempora, quod in Dania diximus, inter Daniæ regem & Abel fratrem eius, ducem Slesvvici, mirabiles fuere conflictationes. Nam fraternum odium ad necis insectationem peruenit, cùm esset tamen Ericus rex, vir multorum opinione sanctissimus, & qui miraculis coruscauerit. Christophorum aliũ fratrem regno

CAP. 15.

*Wilhelmus Hollandiæ comes in imp. eligitur.*

*Milites aurati quo ritu fiant.*

*Fridericus quintam ducturus vxorem, moritur.*

*Odium fraternum.*

eiecit. Canutum consanguineum fratrem, etiam captum tenuit in arce Stekenberg. Lubicenses adnauigauêre, & capta arce, Canutum vinculis exuerunt. Sed hæc per transitum attigisse contenti simus, vt temporum recordemur. Erat autem
1247. annus MCCXLVII.

CAP. 16. MINDENSEM ecclesiam per ea tempora gubernabat dominus Wedekindus de Hoia, à comitibus originem ducens, ordine pontificum trigesimus secundus. Cui quum controuersia esset cum vicinis principibus & nobilibus, arma pro sui iuris tuitione capere audebat in ducem Luneburgensem, & comitem de Wunstorpe. Augebant vires eius ciues Mindenses, quanto poterãt numero egressi post suum pontificem, militares ecclesiæ non deerant ministerio suo. Exeuntes, latè populati sunt ditiones hostiles. Congressi autem hostibus, vbi manus conseruerunt, victoriam reportarunt. Signa militaria quatuor, diu pòst visebantur in ecclesia Mindensi ab hostibus capta. Sed non erat huius pontificatus longæuus. Nam expletis in pontificatu annis octo, & paucis mensibus, dolore omnium plurimo, bo-
1261. nus pontifex emigrauit, anno Christi MCCLXI. in vigilia Matthæi: & introiuit, vt confiditurin gaudium Domini sui fidelis seruus & prudens.

*Wedekindus Mindensis episcopus in ducem Luneburgensem arma capit.*

CAP. 17. LVBICENSI ecclesiæ ademptus Albertus, in Liuoniam ad ecclesiam suã Rigensem, iam occupatore vacuatam, trãsfertur: & succedit illi in eadem Lubicensi frater Ioannes de Dest, ordine Minor, oriundus de Brabantia, ad petitionem Romanorum regis Wilhelmi, cuius fuit capellanus & consiliarius, per Innocentium quartum, à Sambiensi ecclesia, quam antè tenuerat, ad istam translatus. Magnus theologus, & prædicator crucis solennis: prudens nihilominùs pastor ecclesiæ. Hic reperit redditus mensæ episcopalis valde dissipatos & diminutos per comites Holsatiæ, Ioannem & Gerhardum: & propter penuriam cùm non haberet vnde se sustineret, cum familia cessit ad integrum annum. Et reuersus, consecrauit plures ecclesias in diœcesi & extrà, vt illis velut quotidianis procurationibus sustentarctur. Tandem considerans gentem grauem & asperam, redemit vexationes bonorum ecclesiæ DCCC. marcis, à comitibus & ministerialibus, vt pacem inueniret, relaxauit remisitq; comitibus ducentas marcas, & villam Flemingdorpe resignauit, & villam Lankem commutauit, vt liberaret colonos ecclesiæ vniuersos à præstatione collectæ, quæ dicitur Greuenstaht. Et aduocatiã in Vthin emit à Wolrado de Iapide, & mansionem principalem aduocati sexcentis marcis. Instaurauit quoq; in ecclesia Lubicensi nouam dignitatem cantoriam: statuens, vt certis festiuitatibus, cum argenteo baculo, cum socio similiter gerente baculum eiusdem formæ, incedat, assignando ei certos redditus. Oppidum quoq; mansionis suæ Vthin iuri subdidit Lubicensi, quæ magna censetur liberatio, vt causas appellationum deuoluant ad iudicium, quod habent velut Imperiale, in vrbem Lubicensem. Fecit etiam plures milites & militares suæ diœcesis pro suis excessibus nudatos, in processione reconciliari. Multa vtilia priuilegia pro ecclesia impetrauit. Tandem rediens ad Romanorum regem, obiit circa partes Rheni in Essendia, & sepultus est in Nussia. Præfuit autem suæ Lubicensi per annos solos sex.

CAP. 18. RACEBVRGENSI ecclesiæ post Ludolphum præficitur Fridericus, magni decessoris locum accipiens, in quo nisi magnum sedere virum oportuit. Vnde, etsi annales sobriè de hoc viro scribant, insignem tamen fuisse virum, & loci tum celebris religio, & magni præcessoris exemplũ persuadent. Cuius temporibus Guntzelinus comes Suerinensis, ius patronatus ecclesiæ parochialis in Wittenborg, conuentui monialium in Tzertin donauit: quam donationem episcopus confirmauit: sed fortè post obitum comitum Suerinensium, per dominos Magnopolenses, ad quos principatus eorum peruenerat, suprædicta donatio est cassata & irritata. Viuebat per hęc tempora Fridericus, Imperio licet destitutus, cùm per occasionem eius mirabiles & miserabiles hæreses pullularent. Nam quidã circuncelliones, pulsatis campanis, & conuocatis baronibus terrarũ, in Hallis Sueuiæ sic ferunturprædicasse in publica statione, quòd Papa esset hæreticus, omnes episcopi & prælati Simoniaci & hæretici, inferiores quoq; prælati cum sacerdotibus, quia in vitiis & peccatis mortalibus non haberent authoritatem ac potestatẽ ligandi & soluendi

*In Hallis Sueuiæ obreligionem motus excitantur.*

soluendi,omnes essent hominum seductores. Item, quòd sacerdotes in mortalib. constituti,non possent conficere altaris sacramentum. Item, quòd nullus viuens, neq; papa,neq; episcopi,neq; alii possent interdicere diuina: & qui prohiberent,essent hæretici & seductores.& permittebant in ciuitatibus interdicto suppositis,diuina peragere,vt sacramenta ecclesiastica liberè perciperent, quia ipsis perceptis, mundificarentur à peccatis. Item,quòd fratres Prædicatores & Minores peruerterent ecclesiam falsis prædicationibus: & quòd omnes illi fratres vnà cum Cisterciensibus,& aliis,prauam vitam ducerent & iniustam. Item,quòd nullus esset qui ve ritatem diceret,& qui fidem iustam opere seruarēt,nisi ipsi & eorum socii: &,si ipsi non venissent,priusquàm Deus fidem suam periclitari sineret,de lapidibus excitaf set alios,qui ecclesiam Dei vera prædicatione illustrassent. Prædicauerunt, inquiunt,ad hoc tempus prædicatores nostri, & sepelierunt veritatem, & promulgarūt falsitatem. Nos contrà veritatem prędicamus,& sepelimus falsitatem. & in fine, Indulgentiam quam damus vobis,non damus fictam vel compositam ab Apostolico vel episcopis,sed de solo Deo & ordine nostro. Adiecerunt, Nihil opus est habere mentionem de papa, quia ita peruersè viuit, & tam mali exempli homo est, quòd tacere & in obliuionem oportet illum adducere. Et blasphemādo adiecit perfidus concionator: Orate,inquit,pro domino Friderico Imperatore & Conrado filio eius,qui perfecti & iusti sunt. Audebant dicere, quòd Papa neq; haberet authoritatem soluendi & ligandi,quia non habet vitam Apostolicam: & hoc probare instituerunt per quandam glossulam, ridiculum nimirum caput & Hippocratis vinculis alligandū. Istos hæreticos fouit & defendit Conradus rex, filius Friderici quondam Imperatoris,arbitratus se ac patrem per ea figmenta cunctis conciliandū: sed res futilis facilè euanuit. quia vbi Catholici prædicatores his monstris valde restiterunt, ministeriales à Conrado rege recesserunt, ita vt contra exul & profugus de Sueuia,in Bauariam tectus transiret.

OSNABVRGENSI autem ecclesiæ per ea tempora,moriente Wedekindo, CAP.19. tricesimoprimo loco præfuit Balduinus de Rusle,vir insignis,episcopatu dignus: qui inceptum prædecessoris sui Brunonis de ecclesia collegiata in Widenbrugge consummauit, præbendas auxit, præposituram pro canonico maioris ecclesiæ reseruauit,datis desuper literis in perpetuam rei memoriam quæ extant. Ita cuius religionis aucto per eius tempora, posteaquàm decem annis cum omni laude præfuit,transiuit ad meliora. Eius tempora cernebant vacare Romanum Imperium, post Fridericum secūdum depositum,cùm ex surrogatis nemo prosperaretur: iam in eam vilitatem rebus defluentibus,vt etiam Anglicus primam coronam acciperet Aquisgrani. Crediderim principes Germaniæ non adspirasse ad Imperium, quòd tam erat labefactatum.

BREMENSI metropoli post Gerhardum, qui præfuit annis vno minùs qua- CAP.20. draginta,præficitur eidem Hildeboldus,quem alii dixere Hildebrādum,antè Bremensis canonicus,Rustringiæ archidiaconus (nunc vocant præpositum) filius comitis de Brochusen,vt alii de Wustorpe,à maiore parte capituli electus. Quamuis alii vota dirigerent in Gerhardum de Lippia, maiorem ecclesiæ præpositum, defuncti archiepiscopi ex fratre nepotem: cui parti adhæsit capitulum sancti Willehadi, prætendens se ius in electione possidere. Missusq; est in vrbem Godescalcus, sancti Willehadi decanus. Tum verò Simon Paderburnensis episcopus, quem diximus pro Gerhardo administrasse arcem Langwedel, acceptis quadringētis marcis,custodibusq; corruptis,Hildeboldū in eam admisit. Similis exitus in arce Vorden.nam & illam data pecunia redemit Hildeboldus. Simon administrator, cùm adhuc electi de suo iure contenderent,ad Stedingos versus (nam rebellionem parauerant)armauit exercitum: exiuitq; cum expedito exercitu, contendens in Wildeshusen. Præuenientes autem comites de Aldenburg,qui iam pro Stedingis arma susceperant,cùm obuiā irent,fuderunt agmen Simonis. Crediderim iam non, vt priùs causam agi fidei Christianæ & religionis, sed alterius ciuilis debiti: aliquin comites memorati,qui semper stabant aduersus perfidiam, non illos fuissent tutati. Simon administrator, agminis ductor, vix ipse elabitur, monachali te-

ctus habitu. Ferunt, hunc Simonem postulatum ab Hamburgensibus canonicis, pro suo iure contendisse, cui plurimùm inclinabant comites Holsatiæ: sed causam eius nemine prosequente in vrbe, protinùs euanuit. Interea Hildeboldus ipse Romam petit cum Godescalco decano, qui Cœlesti causam susceperit. Clam loquitur, literas eius accepit, magna pollicitus, & ius in ecclesiam perinde cumulauit. Obtenta in vrbe confirmatione, regreditur, lætusq; excipitur Bremæ. Prima illi contentio fuit de arce Bersflete, quam firmauit consilio suorum, renitente plurimùm ciuitate Brema, quæ controuersia diu durauit. Multa incendia, prædæ, homicidia, multæ vicissim crudelitates, &, qualia solent in bello, immania plurima. Phrisonũ aliquanta millia in ea controuersia perierũt. Post multum temporis res pacata est. Phrisonibus ab episcopo persoluta est pecunia: exilis tamen ad æquiparationem damnorum, & in prælio cæsorum. Sed de his aliquanto pòst.

*Bell. incommoda.*

CAP. 21. SVERINENSI deinde ecclesiæ post Wilhelmum præficitur Rodolphus, vir insignis, præfuitq; ecclesiæ annis duodecim. Solẽne tum fuit ecclesiis eligere præpositos, vt perinde gradum illi facerent ad episcopatum: quod hodie, quia sedes Apostolica primas dignitates sibi reseruauit, fieri nequit. Vnde & iste Rodulphus ex præpositura contendit pontificatum. Quo tempore rex Franciæ Hierosolymam petens, forti expeditione in Ægyptum concessit, cepitq; Damiatam: sed non stetit Christianis diuturna victoria. inundans enim Nilus, renisus est illis. Wilhelmus interim Romanorum rex, Aquisgrani coronatus, circa Rhenum aliquãdiu commoratus, quum expensas regi congruas non haberet, in Hollandiam est regressus: iterumq; post interualla ad vrbes Imperii cis Rhenum est reuersus. Iam certior ex Ægypto nuncius venit, captum Francię regem, Damiatam denuò redditam Sarracenis, omniaq; esse Christianis improspera. Tum quoq; Ioannes comes Holsatię, auxilio Bremensis archiepiscopi & auunculi Simonis electi Paderburnensis, expeditionem fecit in Daniam, sororio suo Abel duci ferẽs in regem auxilia. Arcem Reinoldesburg; quam rex firmauerat, forti impositio præsidio, oppugnauit. Interea circa diem Laurentii de Erico rege rumores aduersi succreuerant, quum quidam captum, alii mortuum prædicarent: & innotuit res vera, quòd nihil mali veritus, quũ fidem integratam putaret ad Germanum, sit captus, in nauim absportatus, & in lacu Slyæ capite truncatus, alligatoq; saxo demersus. Sed non diu pòst inuentum cadauer, tumulatur religiosè in ecclesia Slesuicensi. inde tamen post aliquantos annos extrahitur, & in Daniam transfertur, proq; sanctis reliquiis excolitur. Sed nec Abeli fratri, quum rex post illum crearetur, melior exitus erat. nam vix duobus in regno peractis annis, quum exercitũ duceret in Frisiam, illam Aquilonarẽ, Nordstrant vocant, concursu habitatorum opprimitur: mole sua periit cum exercitu in terra palustri, idq; propter grauem armaturam.

*Suprà, lib. 7. cap. 40.*

*Frici Daniæ regis cæsi.*

*Frisonum contra regem Daniæ victoria.*

CAP. 22. HALBERSTADENSI ecclesiæ per ea tempora post Meinerum præficitur nobilis, sed ætate iuuenis, Ludolphus comes de Sladem, ordine à primo trigesimo, qui magis administrationem, quam pontificium gerebat, vt arbitror: idq; ab ætate coniecto, & breui tempore quo præfuit. Faciunt locum coniecturæ annales, tam breuiter rem annotantes, vt nihil satis explicent. Quia ergò iuuenis accessit, & post biennium desiit, arbitror, quod ætate nostra vidimus plerunq;, fuisse temporaneũ administratorem, nõ perpetuum pontificem. Quo tempore quũ Fridericus quondam Imperator mortem obiisset, ad annum quinquagesimum primum, & ab archiepiscopo Panormitano ante mortem absolutus, & in Sicilia in ecclesia Panormitana tumulatus, Wilhelmus Romanorum rex duxit coniugem Elizabeth, filiã Ottonis ducis Brunswicensis: & in ipsa nuptiali nocte, quæ fuit Conuersionis Pauli, palatium in quo quieuerũt sponsus & sponsa in Brunswigk iuxta Iconem, penitus orto incendio conflagrauit, ex candelarum & straminis incuria. Corona regis consumitur, & multæ res pretiosæ: Duo sartores qui in opere suo totam noctem laborari addiderant, in ea camera qua se incluserant, sunt exusti. rex & regina vix euaserunt, regina regem educente, quòd penetralia domus illi essent notiora. Otto puellæ pater, anno proximo cùm esset in procinctu vt iret in curiam indictam Francofordiæ, quam Wilhelmus principibus constituerat ad diem Ioannis, & ad summũ

*Incendium.*

Iacobi,

Iacobi, diem suum obiit. Albertus interim filius eius Harburgk restaurat, patris violans iuramentum. Comitissa Flandriæ bellum gerebat in regem Romanorum: copiosamq; militiam nauibus impositam, nauigare iussit in Hollandiam. Sed rex occurrens victoria potitur, cùm multos perderet, plurimos caperet, & multam inde prædam locupletatus abduxit. Deinde cùm in Nussia controuersia oriretur inter Romanorum regem & archiepiscopum Colonienſem, propè erat vt applicato igni à Colonienſis militib. ad ædem in qua rex manebat, cum legato Romani pontificis ambo cremarentur: sed illi vix euasere periculum. Tum quoq; primùm erigitur forticalicium illud, nõ tam muris & mœnibus quàm inuiis paludibus inuictũ, Honeborgk super Luriuum in fundo Hersueldenſi. Sextus erat post quinquagesimum annus, cùm Wilhelmus Romanorum rex, congressus Frisonibus, opprimitur prope Hollandiam, in loco incognito, clàm ab eis magis obrutus, quàm tumultuatus. Sed ad nostra redeamus.

*Comitissa Flandriæ cum imp. bellum gerit, sed infeliciter.*

*Wilhelmus Rõ manorum rex à Frisonib. opprimitur.*

MAGDEBVRGENSIS autem metropolis post Wilbrandum accepit pontificem Rupertum, comitem de Monsfelde, æquè præstantem virum, qui antè in eadem ecclesia cum summa laude administrabat decanatum. Sorbitium adiecit diœcesi, quod nunc, vt accipio, subest Saxoniæ superioris ducibus: nisi sit aut arx, aut oppidum aliud eius nominis. Præfuit autem vir iste ecclesiæ annis octo. Profectus est ipse in vrbem Romam vt confirmaretur, consecraretur, & pallium acciperet. Reuersus autem, quum ingentem impendissetpecuniam, Iudæosq; cerneret per Magdeburgum & Hallenſem ciuitatem opibus florescere ex vsuris & iniquita te, inuenta causa, quæ illi ad canes illos deesse non potuit, omnes captos insigni ære mulctauit centũ millia feruntur intulisse ærario eius, absq; auro & argẽto, quod in vestibus & poculis erat, quod etiam spoliantium violentiæ subiacuit. Hallenses sepro Iudæis oppositore pontifici, vt quos illi securos esse iussissent, non paterentur in sua ciuitate spoliari. Obsedit eam vrbem, & malis adegit, vt cogerentur illi Iudæos permittere: data etiam pro contumacia & rebellione sua non mediocri pecunia. Ita de iniquo Iudæorum mammona locupletatur, vt impleatur verbum Euangelicum, *Habenti fidem dabitur: non habenti, quod habet, auferetur.* Expedit enim, malignos publica egestate laborare, vt sit quod de illa gente præcinuit Dauid: *Ne occidas eos: circumeant ciuitatem huius mundi, vt canes:* si verò non fuerint saturati opibus, auro & argento (vt est genus auarum) murmurabunt, & Christianis per angulos suos blasphemias & imprecationes multiplicabunt. Sed nil ad rem pertinet proiectorum blasphemia. Si conuertantur ad vesperum mundi, fratres habebuntur: nũc sunt canes, genus viperarum, & homicidæ, super quos venit omnis sanguis iustus, iuxta verbum Saluatoris.

CAP. 23.

*Iudei malè mulctantur.*

LVBECENSIS ecclesiæ pontifices per ea tempora breues gerebant episcopatus. Nam Ioanni religioso Minorum fratri, post annos sex, succesſit Ioannes Trauelowe, scholasticus antè eiusdem ecclesiæ. Præfuit autem annis sexdecim, confirmatus est in Stadio per archiepiscopum Bremenſem. Nondum enim ea potestas tota, vt nunc, translata est Romam. Nam quod proximè de Magdeburgenſi legitur, ex aliis fieri potuit causis, vt Romam proficiscereturNostri tamen suis contra uersiis amplificaruut supra se Romanæ sedis potestatem. Hildeboldus autem archiepiscopus nihil moratus, confirmationem & consecrationẽ illi impendit, quo tempore tum ciuitas Bremenſis incendio graui penè tota conflagrasset. Sed instantia archiepiscopi & ciuitas & ecclesia satis profecit in temporalibus. Nam oppidũ Wildeshusen eius opera accesſit ecclesiæ, quum persoluceretur pro eo pecunia comitibus de Oldenburg: quam illi ipsi ciues, quorum de capitibus ius comparabatur, facta collecta, eam mox archiepiscopo renumerarent. Iste quoq; Bremenſis archiepiscopus, accepta à rege Daniæ pecunia, ciuitatem Sleswicenſem obsedit, primus nostrorum pontificum, qui venalem produceret exercitum. Nam alli pro iure & libertate ecclesiæ, aut amplificanda ditione, aut amicorum iure tuendo arma sumebant. Sæpè amicos sunt tutati, nunquã stipendia meruerunt. Albertus & Ioannes duces Brunswicenses, filii Ottonis, quem primũ in ea ditione creauit ducẽ Fridericus II. Imperator, cùm alios duos Germanos in vicinis episcopatib. Hildesc-

CAP. 24.

*Brunswicenſis primus dux.*

menſi Ottonem, Verdenſi Conradum collocaſſent, arma mouerunt in Hildeboldum archiepiſcopum Bremẽſem: incertum, quibus ex cauſis. Veterem fortè quæſtionem de Stadenſi comitatu, aut ſimile aliquid prætendentes: vt ſolent nonnunquam principes cauſas ex cineribus excitare. Archiepiſcopus autem, vir prudens, omnia priùs, quàm arma, ſtatuit experiri. Non imparatus tamen, vbi opus videretur, præmiſit ex ſuis, qui rem, ſi fieri poſſet, tractatibus interciperent: promiſſáq; pecunia, pacem emit, redemitq; plurimum cum ſanguine laborem. Cuius etiam temporibus memorabile hoc factum in vrbe Brema, vt Artiſani, qui manu victũ quæritant, quum pridem concilio publico ciuitatis per omnia parerent, plurimum tamen gubernantibus laborem crearent, nouis ſemper perplexitatibus rem intricãtes: tum extorquerent, vt illis permitteretur ſuis frui iudiciis in emendandis erroribus & exceſſibus, citra ſanguinem puniendis: ita tamen, vt magiſtri per annos ſingulos renouati, iuramenta præſtarent, viris conſularibus rempublicam gubernantibus, nunquam ſe aduerſaturos. Rursus eſt enim pars, quæ toti corpori non congruit. Archiepiſcopus autem cum per annos quindecim eccleſiam gubernaſſet locupletaſſetq; plurimùm, in pace Chriſti quieuit, anno poſt datam mundo ſalutem milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimotertio, tumulatus in eccleſia ſua Bremenſi cum prædeceſſoribus. Sed ad Ioannem Lubecenſem reuertamur. Vno die ordinatus eſt in presbyterũ, in armario ſuperiori eccleſiæ Lubecenſis: & ſequenti die conſecratus eſt epiſcopus apud fratres Minores, quia comites Holſatiæ ſe diuinis volebant ingerere, quum eſſent excommunicati. Ædificauit hic põtifex magnam domum lapideã in Vthin magnis ſuis ſumptibus, & impẽſa, vt cerni poteſt, plurima. Occaſione cuius, magnum contraxit æs alienum, per ſucceſſorem poſtea exoluendum. Emit ab Ottone de Plone iudicia villarum Malente & certarum aliarum, expromptis ducẽtis viginti quinq; marcis. Sedit, vt diximus, annis ſexdecim, & tranſlatus eſt ad meliora.

*Principũ ingenium.*

*Ottonis Hildeſemenſis epiſcopi prudens factum.*

CAP. 25. HILDESEMENSI eccleſiæ, poſt Ioannem præfuit nobilis & inſignis vir Otto, frater ducum de Brunſwico, patre natus Ottone, qui primus poſt Henricũ Leonem ducatus titulum recuperauit: ſed de generali Saxoniæ, peruenit ad partialem Brunſwici, appellationem. Benè commutauere principes. Dux Saxoniæ poſt Henricum Leonem, magnum tenet titulum, & tenuem ditionẽ: è diuerſo duces Brunſwici, partialem Saxoniæ ſumpſere titulum, ſed lõgè maiorem ditionem, ſi omnem recenſeas principatum. Huius quoq; hoc eſt memoriale, quòd arcem Woldenberge addidit ditioni. Peine quoq; dominatum, eccleſiæ illi fecit pacificum. Nam quũ comites eius nominis tales ſe gererent, vt à ducibus Brunſwici & Ioãne huius prædeceſſore in epiſcopatu, coniunctis armis oppugnarentur, facta fuerit etiam arcis Peine obſidio per illos comites, quum perceniſſent ſui ſtatus conditionem, quòd legitimos hæredes neuter haberet, volentes animarum ſuarum ſaluti proſpicere, præparareq; longi itineris poſt mortem viaticum, vocato clàm Ioanne pontifice, votum quod conceperant, exponunt: arcem & omnem dominatum offerunt diuæ Mariæ, vt poſt illos habeat eccleſia in perpetuum. Viderit nunc pontifex, ne eccleſiæ ſuæ arcem ſinat obrui & interire. Ille vbi accepit, atq; approbauit donationem, loquitur cum ducibus: conteſtatus, melius eſſe vt omiſſa oppugnatione arcis & obſidione, quæ diuturna videretur futura, alia via incedant ad comites permolliendos, quam ſecum ſe iam reperiſſe dicebat. Quid multa? ſuadet, & perſuadet Alberto duci magno, vt ſoluat obſidionem. Poſteaquàm abduxere arma, innotuit Alberto duci conuentio inter epiſcopum & comites. quodq; colluſiſſent ſe ignorante, voluit oppugnationem renouare: ſed placatus eſt, data illi ſpe ad ſucceſſionẽ fratris ſui Ottonis in eccleſiam: quod ita prouenit. Otto autem poſteaquàm eccleſiæ per annos nouem & decem præfuit, conceſſit è terris.

CAP. 26. HALBERSTADENSI quoq; eccleſiæ tum nouus prouenit pontifex, Volradus, ex miniſterialium genere de Kranesfelde: præfuitq; eccleſiæ per annos nouem. Eius temporibus Imperium Romanum miſerè iactabatur, quum eſſet venale, & ſenſatis principibus non valdè optabile: ita laceratum in Italia, vt inde penè nihil illi remaneret: in Germania, vt nemo penè illi pareret. Igitur principes Elec-

ctores ipsum penè in ludibrium verterunt, quum archiepiscopus Moguntinus ab Alberto duce Brunswicensi captus, suam liberationem paciscereturad dandā vocem suam Richardo Anglico: Treuerensis autem iam Alphonsum Hispanum constituisset cum adhærentibus: sed prior & modestior Alphonsus cessit, præsertim instinctus a summo pontifice. Richardus diutius in opinione regni permansit. Ad eadem tempora inuentus est homo perditæ audaciæ, qui se fingeret esse Fridericum Romanorum Imperatorem, non mortuum, sed clam suis elapsum, qui peractæ gestorum perperàm pœnitentia, nunc se redderet principibus. Fecit fidem aliquantis per corporis lineamenta non abhorrentia, per multa quæ nouerat eius secreta: quippe seruierat diu Imperatori, & penitiora quædam intellexit. Sed vbi detecta est eius falsitas, clàm perditur, nemine sciēte quò euaserit imaginarius Imperator. Multa eius generis figmenta leguntur in historia. Magna est hominum audacia, in sublime tendentium per friuolas adinuentiones: sed fucus inanis facilè dissoluitur. Comites de Dassel, agnominati ruris comites, Rugreuē, incompertum vnde, tum graues imminebant vrbi ditionis suę Eimbecke. Vbi se aliter euadere non posse videbant, subdidere se Alberto duci Brunswicensi, & permansere in ditione vsque in diem hunc, cedentes partitioni fratrum & fratruelium ex vna domo Brunswicensi: de qua plenius in Saxonia diximus. Sed nunc pontificum successiones scribimus, non principum secularium. *Fridericum se mentitus eld perditur.*

MINDENSEM ecclesiam tum gubernabat Cono, vndecunq; natus (nam hoc annales non præferunt) ordine pontificum in ea ecclesia trigesimus tertius. Cuius tempora satis fuerunt turbida, quum Romanum Imperium sine certo capite fluctuaret. Nam Friderici atrocia facta impulerunt pontificem summum, vt stimularet principes Electores, depositio Friderico alium sufficere: sed nimium valuit inter eos controuersia. Nam quidam elegerunt Hollandię comitem Wilhelmum, virum strenuum, & ad arma natum, qui videbatur Imperii iura posse tueri. Sed quid facies sine nerue belli? Peragrabat ille Rhenum, & vectigalia colligebat, Imperii patrimonium: sed rebus gerendis nō satisfaciens. Interim Electores alii Alfonsum regem Castellæ, extra nationem Germaniæ delegere regem. Quid non suadet pecunia? Volitabat ille per Germaniam, auro implens marsupia fautorum: & impetrauit, vt rex Romanorum deligeretur. Quumq; illi principes Germaniæ non parerent, propensiores in Wilhelmum, suę nationis hominem, nihil potuit magnum intentare: sed fastidio rerum victus, quum nihil se cerneret profecturum, cessit iuri suo, & transtulit in Wilhelmum. Sed neque ille satis prosperè egit. Nam principes Germaniæ iam diu assueti libertati, quòd ex multo tempore ab Imperatoribus negligerentur, ipsi quoque Imperii contemptum inducrunt, minoris faciētes quę ad publicam Imperii curam pertinerent. Quæ res ad perniciem eiusdem Imperii durauit in hodiernum, & durabit, donec consurgat Leo, qui ingenio magis quam viribus contendat sparsum Imperii corpus adunare. Potens est Deus talem terris donare: sed necdum apparent media, quibus ille in eam gloriam consurgat. Dudum elanguit Imperium. Italici ferunt emortuum, nos magni nominis vmbram possumus appellare: nam res dudum euanuit. Germania viribus non caret, si bono ordine cuncta gererentur. Pulsat claustra nostra hostis atrocissimus Turcus, sed non euigilamus, penè ad nos penetrauit, vastans Romani Imperii prouincias: sed ea res non mouet. Quid tandem mouebit, nisi extrema aduentent pericula, quæ diu auertat miseratus Deus. Hic autem pontifex breuem pontificatum in solum annum quintum, non plenum, produxit, moriens die Cathedræ Petri, anno MCCLXV. 1265. *Dignitas sim opibus. Imperii contemptus vnde.*

OSNABVRGENSEM ecclesiam post Baldewinum excepit vir nobilis, ortus comitibus de Retberge, Conradus, ordine pontificū trigesimus secundus. Cuius memorabile factum per sua tempora translatio collegii de Quakenbrugge in Brameschе, cōsentiente venerabili capitulo eius, quòd is locus commodior videretur rebus ad ecclesiam pertinentibus: seruato tamē cuiq; iure suo illibato, vt parerat. Hic arcē in Tekeneburg cum pertinētiis suis data pecunia accepit in pignus, cùm capitulum & ciuitas non paruas summas in eam rem impenderent, præstita Cap. 27. Cap. 28.

cautione de indemnitate rerum sub certis pœnis. Hic etiam contulit capitulo suo piscaturam, quæ illi fuit ad molendinum in vrbe, Molenkolck dixere locum. Tum etiam initia fuere obseruationum laudabilium, quòd iudicia feudi seruarentur in ciuitate. Ita vt quoties esset de inuestitura tam marium quàm fœminarum controuersia, causæ discuterentur inibi, coram iudicibus ad hoc deputatis, vt cessaret stre pitus & fatigatio de talibus rebus ad sublimiora tribunalia. Quo tempore in eccle sia Monasterienſi præfuit Euerhardus de Dest, cuius fiet mentio suo loco. Hic au tem pontifex, per annos viginti octo quum præfuisset ecclesiæ, viam ingreditur v niuersæ carnis, longum sui desiderium relinquens. Scriptum est enim, *In memoria æterna erit iustus.*

CAP. 29. RACEBVRGENSI ecclesiæ per eadem tempora præfuit vir insignis, de genere ministerialium de Blucher. Multæ eius virtutes leguntur: pauperum erat con solator egregius, in eleemosynis largus, misericordiæ operibus singulariter dedi tus. Fertur de ipso, quòd granarium suum plenum farina & frumento totum in ma nus pauperum exhausit, ita vt nihil sibi ac familiæ reseruaret. Superuenere paupe res, qui eleemosynam efflagitarent. vocato procuratore, iussit vt pauperibus con suleret, dans quicquid superesset: erat enim annonæ caritas insignis, & fames vali da super terram. Procurator sciens granarium euacuatum, respondit nihil superes se, quo pauperes consolaretur, sed omnia in similes vsus dispensa. Fiducia plenus dixit illi episcopus: Vade, & vide, si fortè vel modicum supersit, vt non vacui disce dant pauperes: Vade in nomine Domini, & da eis. fortè arbitratus, quòd dispensa tor timidiùs consuleret futuro tempori, cùm reuerà nihil superesset. Mira res, & ve

*Miraculum.* terum miraculis méritò comparanda. Granarium aperuit, & frumento aq; farina plenum reperit, & pauperibus abundanter elargitur. Vbi innotuit res gesta pontifi ci, resolutus in lachrymas, Deo omnium largitori largas gratias persoluit. In arce Schonenberge lapideam domum cum cellario à fundamentis extruxit, præfuitq; ecclesiæ suæ cum plurima laude. Circa hæc tempora, quum Manfredus Friderici Imperatoris ex concubina filius, regnum Siciliæ post fratrem teneret, nec Roma næ ecclesiæ iura seruaret illibata: quumq; monitus à pontifice non resipisceret, sed magis magisq; insolesceret, Sarracenis in militiam conductis: Romanus pontifex Vrbanus quartus, aduersus eum vocauit è Galliis Carolum, Ludouici Francorum regis, quem inter sanctos retulerunt, fratrem, in regnum: isq; colluctatus Manfre do & Corradino successoribus Friderici, ius primus peperit Gallis, quod ætate no stra multis laboribus vendicare cõtendunt, pulso iam sanguine Aragonum, vt suo tempore in mentionem adducemus.

CAP. 30. SVERINENSI autem ecclesiæ post Rodolphum præficitur Hermannus, vir sine hæsitatione insignis: quem nisi virtus extulisset, in id culminis non peruenis set. Præfuit autem ecclesiæ suæ annis triginta vno. Romani tum pontifices benè consuluere ecclesiæ Romanę. Nam memores, quantum malorum à duobus Fride ricis pertulissent, præsertim à nouissimo qui Siciliam tenuit, Manfredũ malignan tem & Sarracenis vtentem militibus, non alia ratione compescendum duxerunt,

*At sub Henrico pontifice sub regib. inuestiebãtur. lib. 4. cap. 31.* quàm vt illi ex Gallico sanguine opponerẽt principem. Itaq; per cardinales in eam rem missos, conditiones sumendi regni proponũt, vt annua millia duodequinqua ginta pendat Romanæ ecclesiæ tributi nomine, etsi ad Romanum imperiũ se nun quàm patiatur assumi. Veritus est enim pontifex, ne, si Romanorum Imperator fie ret, cum illo quoq; esset de iure veteri Imperii contendendum. Hoc voluit præue nire, præsertim propter statum præsentem rerum, quòd inter duos electos fluctua ret. Germani principes videbantur non difficulter in hunc Carolum Gallum con sensisse, qui Gallorum viribus iunxisset Siciliæ opes, quando alii in Anglum, alii in Hispanũ iam consensere. Miser tum status Germaniæ, quandò non est in ea reper tus, qui regno dignus crederetur. Inuidebatur, vt credo, Saxonibus duobus Alber tis, alteri Saxoniæ, alteri Brunswici ducibus. Res autem tum pondere suo in manibus videbatur pontificum electorum. Et is videbatur status regni, vt sensati princi pes indignum ducerent archiepiscopis Rheni pro eo eblandiri. Vnde factum est, vt ad alienigenas transiret. Poterant sperare pontifices illi, quòd regnum inte stinis

malis

malis exhaustum, opibus alienigenarum repararetur: sed spes euanuit, quum nemo illis pareret, & ab vltimis finibus terræ gubernare prouincias longinquas difficilimum videbatur.

MIMIGARDEVORDENSI autem ecclesię per ea tempora post Ludolphũ præfuit Otto de Lippia, nobilis, eius nominis secundus. Huius præclarum opus est & memorabile sempiternum, quòd ditionem ecclesiæ auxit, comparato dominatu de Vechta, non mediocri, vt liquidò sciri potest, impensa in eam rem pecunia. Vixit per ea tempora Albertus, Magnus cognomento, natione Sueuus, ex oppido Laugingen ad ripam Danubii. Hic quum esset in gymnasio Parisiensi doctor omnium celeberrimus, ordinem Prædicatorum profitetur: inq; eo scripsit, quæ hodie illi nomen conseruant, vt meritò Magnus cognominetur. Vbi fama nominis eius percrebuit in patria, vocatus est in episcopatum Ratisbonensem: eumq; assequutus, aliquandiu gessit laudabiliter. Sed quid faciet assuetus literis in vmbra, inter tumultus seculares? Ob amorem doctrinæ & religionis relicto episcopatu, Coloniæ per multos annos publicè philosophiam ac theologiam docuit. Qui & omnia Aristotelis opera commentatus est, & Christianam theologiam insigniter aperuit, in libro Sententiarum. In Euangelia & epistolas Pauli doctissimè scripsit: & alia, laude & admiratione digna, multa conscripsit. Ad octuagesimum septimum peruehiens annum, Coloniæ manens in conuentu fratrum suorum, spiritum Deo reddidit, translatus ad meliora. Bonauentura deinde Cardinalis, nunc etiam inter sanctos relatus, eadem illa tempora & loca gymnasij illustrauit: natione Tuscus, ordine Minor, qui septimo ingressus sui ad ordinem anno, cathedram magistralem in theologia accepit. Elegantissimè in Sententias scripsit. Generalis minister assumitur: deinde cardinalis Albanensis, nunc à Sixto quarto inter sanctos relatus. Magistrum habuit excellentissimum virum, Alexandrum de Ales, qui parem in florentissimo Palladio non haberet. Hunc fratres Christo & ordini psicati sunt, hoc modo: Constituerat in animo Alexander, nihil se quicquam negaturum, qui precibus suis interponeret diuam Mariam. Viderunt fratres excellentissimum virũ, & in vrbe nominatissimum: & incidit animo alicuius ex ipsis, vt virum de religione pertentaret: Obsecro, inquit, excellentissime magister, vt paucis me audias pauperem fratrem. Quumque ille auscultaret: Innotuilti, inquit, mundo clarissimè, magnum habes vbique nomen: sed vide si hæc via sit ad æternitatem. Vides ordinem pauperũ fratrum Minorum, in quo multi simplices & boni fratres, sed pauci docti: quantum in eo fructificares, obsecro te per diuam Mariam, vt nobis accedas. Missum à Deo credidit hominem. Aderat inspirator castorum votorum, recordatur, quia per nomen Mariæ admonetur: mox consensit, & sequitur fratres, ordinem ingressus Minorum. Eadem quoque tempora, aut propinqua, illustrauit clarissimum ecclesiæ iubar diuus Thomas de Aquino, ex comitibus regni Siciliæ natus, ordinis Prædicatorum: de cuius meritis pauca dicere, detrahit magnitudini eius. Sed ad pontifices reuertamur.

CAP. 31.

*Albertus Magnus.*

*Thomas de Aquino.*

PADERBVRNENSI autem ecclesiæ post Simonem surrogatur pontifex Otto, natus de Retberge ex comitibus, præfuitq; ecclesiæ annis triginta. Hic multas cum ciuibus exercuit controuersias, quæ in apertum bellum exierunt. Ciues quũ ex episcopo poscerent vt negaretur, sibiq; debitum arbitrarentur, armantur in dominum suum: & arcem, quam nouam dixerunt, iniecto igne concremarunt. Quũque ad complananda fossata pertinaciter instarent, superueniens cum armatura pontifex, cinxit operi instantes, & intentis in eos armis, ad internecionem penè deleuit. Quingenti cæsi sunt gladio, capti nonnulli, pauci elapsi. Cæsorũ cadauera plaustris in vrbem reuecta, communi tumulo obruuntur. Interuenere qui rem conuentis placitis componerent. Polliciti sunt ciues, idque iuramento firmarunt, immunitates ecclesiæ se seruaturos, excommunicatos vitaturos, in familiam canonicorum nullam exercere iurisdictionem, coram suis iudicibus reos persequendos. Erat & contentio super iudicio seculari, quod ciues defenderant suum esse supra omnium memoriam. Episcopus ab ecclesia pendere dicebat. Post multam disquisitionem, inuẽtum est, hoc ipsum esse feudũ ecclesiæ, & ab ea recognoscendũ.

CAP. 32.

*Ecclesiasticorum & secularium perpetua contentio.*

Ea est perpetua ecclesiasticorum & secularium contentio super iurisdictione, & facilè in vrbibus, vbi pontificalis dignitas exuperat secularem potestatem, obtinet ecclesia ius suum: in aliis verò, vbi potentia secularis excreuit, nonnunquam leges & plebiscita imminēt ecclesiis. Sed Otto annis triginta in episcopatu peractis, non sine labore & controuersia, concessit è vita, locum faciens successori.

*De Iudæo historia.*

CAP. 33. MAGDEBVRGENSEM ecclesiam post Rupertum regendam accepit insignis vir, Conradus, natus familia comitum de Sterneberge, qui prædecessoris sui cancellariam cum laude gubernabat: præfuitq; ecclesiæ per annos decem. Ferunt virum religione feruentem, Iudæis satis infestum. Iudæus die Sabbati incidisse fertur latrinam, vnde se nō posset eximere. Implorat miserabiliter opem sociorū. Accurrerant, & querula voce testati esse sabbatum, non licere illis opere manuū exerceri, seruaret patientiam in diem posterum, quam primum liceret operari, educendum. Innotuit res pontifici, quòd pertinaces Iudæi in sabbato suo obseruando fratrem latrina non educerent. Mandauit sub pœna capitis, vt qui sabbatum suū pertinaciter obseruarent, sabbatum quoq; Christianorum, diem proximam, eadem celebritate seruarent. Quid facerent? Imminebat pœna capitis, parendum fuit, sedebat interim Iudæus in pedore & periculo duobus diebus ac noctibus, vt pertinaciam suam agnoscerent improbi homines, qui occidentem literam sequuntur, & illi pertinaciter inhærent, non ferentes de facie Mosi tolli velamen, vt, quid subtus sit, inspiciāt. Quum hoc tempore iaceret Romanum Imperium, effulsit ecclesia in nouis religionibus, viros clarissimos vel enutriens, vel accipiens: qui per sua tempora, & vsq; modò, & in finem luxerunt, lucent & lucebunt in ecclesia. Alternatio est ista seculorum, vt cum splendore rerum secularium non currat profectus spiritualium: attamen initio nascentis ecclesiæ erant in vtroque genere præclara lumina. Nam Apostolis & Apostolicis viris in ecclesia benè respondet atin seculo magnorum ducum & Imperatorum præstantia, insuper oratorum & poëtarum insignis excellentia. Sed nos, in quos fines seculorum deuenerunt, quid (oro) magnum præferimus?

*Liber in rupe scissa per Iudæi in Hispania inuentus.*

CAP. 34. HALBERSTADĒNSI quoq; ecclesiæ tum successit in pontificatu Herman nus, ex comitibus de Blanckenborch: præfuitq; ecclesiæ suæ per annos vndecim. Cuius temporibus facta est prima partitio ditionis Brunswicensis. Nam Albertus Ioanni fratri permisit Luneburgensem, quæ nunc est, ditionem: ipse sibi meliores partes seruauit, Brunswicensem & Gottingensem dominatum, qui & ipse postea diuisus est multipliciter. Hoc tempore quidam Iudæus in Hispania cùm scinderet rupem vineæ suæ imminentem, vt amplificaret vineam, & solem admitteret, fertur in concauitate rupis reperisse librum: cùm tamen nullum antè scissionis in rupe signum inuenisset, sed solidam scidisset, Erat liber nō ex membranis aut linteo, vt olim, sed velut ligneis tabulis compaginatus, qui tribus linguis, Græca, Hebræa & Latina scripturam haberet, qui magnitudinem æquaret psalterii: & loquebatur de triplici mundo, ab Adam ad Antichristum. Proprietates verò & conditiones hominum de vnoquoque mundo discreuit. Principium tertii mundi sic orsus est: Filius Dei nascetur ex Maria virgine, pro salute hominum patietur. Quod quum legisset Iudæus, cum omni domo sua baptizatus est. Erat quoque scriptum in eodem libro, quòd tempore Ferdinandi regis liber ille inueniendus, prodiret in publicum. Simile aliquid legitur in Romana historia, quum reperiretur tabula huius inscriptionis, Nascetur Christus ex Maria virgine, credo in eum. O sol, sub Irene Imperatrice iterum me videbis. Sed hæc ego inter neutra deputo, quib. fidem nec addo, nec detraho.

CAP. 35. BREMENSI ecclesiæ per ea tempora præficitur nobilis Giselbertus de Brūckhorst, propinquus genere præcessori suo, electus concorditer per capitulum, & eos qui interesse debuerunt. Ipse profectus in Franciam, Gregorium papam decimum reperit Lugduni in concilio, tractantem cum prælatis de recuperatione terræ sanctæ, quum decima ecclesiis in sex annos persoluenda imponeretur: ibique Giselbertus electus, presbyterii ordinem cum confirmatione Apostolica impetrauit. Feliciter reuersus in sua, regalia accepit ab Rodulpho, nunc Romanorū rege,

antè

antè comite de Habspurgk, quia assecutus Austriæ ducatum, primus in eam domũ imperatoriam dignitatem inferebat. Prima archiepiscopo fuit controuersia in Kedingos, populum Albis fluminis accolam, & pro consuetudine omnium palustrium, contumacem: sed archiepiscopus dissimulata indignatione, ad hastiludium suos ac finitimos conuocauit in Stadium. Conuenerunt frequentes ex omni conuicinio. Cœpta res est in ludo, sed finiit in serio. Nam vbi conuenere armati, mox mouit in Kedingos, nihil minùs quàm bellum formidantes. Ibi rebelles cæsi sunt, aliquot capti: & rebus in suum modum compositis, deinceps imperata fecere. Ciuibus suis perbenignus erat hic archiepiscopus, amauitq; plurimum cœtus hominum & conuentus, ita vt à ministerialibus suis ciuium archiepiscopus diceretur, profeceruntq; plurimum sub eius ditione. Sed hic tantus in ciues amor & indulgentia, eos, vt fieri solet, fecit insolescere, ita vt obliuiscerẽtur se bono subesse pontifici. Ille in cœna Dominica cõsecrato chrismate, domi suæ mansitabat. Quũ quidam ex eius familia aurifabrum quendam, cum quo in rixam inciderat, vulnerasset, vulneratus terribili clamore ciues cõuocat. Armati domum archiepiscopi circumsident, vociferantes, semel se tandem seruitutem exuentes, in libertatem reditu ros. Tempus erat, vt arbitror, tumultibus & armis idoneum in populo Christiano. Sic meruit archiepiscopus ille ab amato suo populo turbam in sanctissima solẽnitate. Irrumpunt domum, corripiunt familiam: quamuis archiepiscopus multa obtestaretur, facturum & curaturum se, vt omnia pro dignitate æquarentur, nõ auditur, diripitur supellex, domus incendio conflagrauit. Sic rependunt beneuolentiam, hoc vulgus, pelagus, indeclinabile virus. Archiepiscopus egreditur indignatione iusta plenus, vertit amorem in iustam persecutionem. Res ministerialib. non displicuit, cæduntur, capiuntur, opprimuntur ciues vndiq;, agnoscunt reatum suũ de pœna. Ita submissis mediatoribus, obuiam pergunt pontifici venienti viri & fœminæ nudis pedibus, gratiam reposcunt: & veniam oratorum facilè impetrant: redit prisca in homines benignitas. Nam durante auersione, Frisones sæpè inuecti na uibus, sæpe aliis rebus ciues spoliarunt, quum nõ auderent Bremenses erumpere: vt experimento discerẽt, quanti sit habere propitium ac fauentem terræ dominũ: quia & à Frisonibus damnificatio & incursio eum reconciliatione finem habuit. Lustrata est iterum Brema purgatorio igne per dies illos, parui tamen ducebant ciues detrimentum. Erat enim per eam tempestatem plenis nauigãs velis ciuitas Bremensis, quum liquor ibi in potum decoctus, cereuisiam nostri vocãt, vndiq; vel solus in precio esset. Victualia vili mercabãtur, nullo ferè precio: incredibile memoratu, quàm vili agnus, quanti bos etiam crassus, & quàm parui emeretur. Ex adipe & pelle, carnes lucrificiebant. Sed de his postea.

*Stratagema.*

*Indulgentia.*

*Quippe, ira fu ror breuis est.*

*Annona vilitas.*

VERDENSIS autem ecclesia tum pontificem meruit ex ducibus Brunswici, Conradum, germanum fratrem Ottonis Hildesemẽsis, & Alberti atq; Ioannis ducum. Sedit in episcopatu annis triginta tribus. Quum primùm ad ecclesiam venisset, rerum ecclesiasticarũ insolens, aliquanto se videbatur immodestius, quàm par erat, gerere: sed posteà ad cor rediens, glorioſè rexit ecclesiam. Cantoriam, nouam in ecclesia sua dignitatem instituit. Hoc infelicitatis expertus est in suo episcopatu, quod quum bellum illi esset cum archiepiscopo Bremensi, ecclesia hostili igne cremata est, anno octuagesimo primo, & prouenit irrecuperabile damnum, qualia solent in bello multa etiam inuitis principibus contingere. Hic pontifex contulit fratribus duos coros salis in salina Luneburgensi, & adiecit ecclesiæ bona, quæ dicuntur Vriban, & præfecturas quas vocant Gogreuescop, in Verda, in Doruerden, in Zueuerdinge, Schislo, & Visselhouede. Posuitq; primum lapidem huius nouæ basilicæ, anno MCCXC. in quo etiam decessit XVIII. Cal. Octob. Per huius pontificis tempora Bremensis archiepiscopus Giselbertus, post bellum quod illi cum Verdensib. erat compositum, summa tranquillitate viuebat ad vicinos. Erat enim is archiepiscopus in amicos humilis, in hostes animosus, suis plurimum beneficus. Comites Holsatiæ multis vicib. defendit, à regib. Danorum laborantes, ecclesiã in omni bonitate regebat. Vnũ gloriæ eius crimẽ inscribitur, tantum implicitus diceb atur curis secularibus, vt ecclesiastica ministeria penè negligeret. Multum profe

*C AP. 36.*

*Belli incommodi.*

*1290.*

*Quàm cũ multis illi commune trimen.*

cit ecclesia in temporalibus sub illo. A fundamentis erexit arcem Tedinghusen, Ottersberge demolitam instaurauit: turrim solidam ex cocto lapide in Vorde, lateritiam, similemq; Bremæ domum extruxit. In Languedel quoq; mansionem erexit, & ornauit. Nouum oppidum iuxta monasterium virginum Buytehude, quòd à monasterio nomẽ sortiretur, communiuit. quod hodie visitur magis olim, quàm nunc, floruisse. Præiudicium inde monasterio natum, interuentu episcopi Verden sis, magnificè compensauit, datis pecuniis ac literis de nouo collatis super omni iure monasterii. Perennauit hic pontifex in ecclesia memoriam suam cõstitutis redditibus, vt etiam suorum inde prædecessorum mentio in precibus haberetur. Extruxit autem altare in ecclesia ad monumentum & busstum prædecessorum. Per-

*Senectus per se grauis.*

uenit ad senectam vberem: sed in ea, vt fieri solet, etiamsi morbi, quod rarũ est, non accedant, ipsa sibi senecta est pro morbo. Nam & calculo vexabatur, vt eques incedere nõ posset, sed vectationibus circumferebatur. Quæres Kedingis contemptũ eius nutrire videbatur. Accesserant in eam sententiã cum Kedingis nõnulli Transalbiani: nec vllare ualuit proteruiẽtes ad sanam reducere mentem, quũ hoc multis viis, antequam arma corriperet, pertentasset. Nouissimè autem auxilio ducum Saxoniæ & de Brunswico, comitum Holsatiæ & de Oldenburg, adunatis ministerialibus ecclesiæ, de omni terra exercitum copiosum immisit cõtumacibus Kedingis: & facta multa strage, malis suis perdomiti eesserunt. Indoluit tamen archiepiscopus vehementer, quòd sine cæde & sanguine plurimo res fieri non potuit. Angebat ea res decrepitum pontificem, ita vt morbus inde cresceret, & ad capulũ res perduceretur. Nouissima decumbentis verba pœnitudinem effusi sanguinis indicabant. Bonus enim pastor non sanguinem corporum, sed lucra quærere debuit animarum. Sed quid fiet, quando ad sanam mentem pertinaces aliter reduci nõ possunt: Quicuit in pace Christi, postquam annis triginta tribus præfuit ecclesiæ, cùm

*Omnia verbis quàm armis prius sapientem decet experiri.*

1296. post Christum natum MCCXCVI. decurrisset. Tumulatus in ecclesia sua, quãnon mediocriter extulit opibus, vtinam & moribus prouexisset.

CAP. 37. LVBICENSI tum ecclesiæ longæuus senex Burchardus, agnomento de Sarken, anteà cantor in ea ecclesia, octuagenari⁹, ad episcopatum adiumitur: & quum nõ putaretur quinq; aut sex superuicturus annis, peruenit in ecclesia ad annũ quadragesimum primum: quod monstri simile est, & in terris rarum, tam viuacem esse senem, vt perueniat ad annos centum & viginti. Nec erat illi ocium, sed labor pluri mus primo anno sui pontificatus, propter debita per suum contracta prædecessorem. Abiit in Franciam vt parceret impẽsis, & perinde absens ex prouentibus multum æs alienum soluit. Villam quoq; Eggerdistorpe CCCCXXX. marcis comparauit, & tertiam partem iudicii supremi in villis ad mensam episcopalem spectantib.

*Senectus longæua.*

Surrexere graues controuersiæ capituli & fratrum: quibus adeò se immiscuere ciues, vt capitulum cedere cogeretur de loco, formidine maioris mali. Erat annus in episcopatu quartus, hoc est millesimus ducentesimus octuagesimus, quum occasione causæ fratrum cederent. Altera vice anno pontificatus vigesimotertio, hoc est, Christi nonagesimo tertio quum omni Lubicenses conatu contra ecclesiam agerent, super iure molarum aquatilium, non longè ab ecclesia: tum pontifex ipse in persona curiam adiit Romanam, ibique per annos quatuor constitit, pro ecclesia sua viriliter decertans: glorioſè tum, licet sumptuoſè & laborioſè, triumphauit in causa. Nouum in ecclesia ministerium instituit, cellarium faciens, qui canonicis panes præbẽdales singulis quartis feriis & sabbatis ministraret: pro qua assignauit singulis annis sexaginta mensas siliginis ex decimis mensæ episcopalis. vnde factũ est, vt successores eius in hodiernum soluant capitulo sexaginta marcas. Ædificauit idem capellam cohærentem magnæ domui lapideæ in Vthin, quę tamen hodie diruta est: & maior capella & solennior per quendam ex successoribus eius Euerhardum est exornata. Fundauit quoq; perpetuum beneficiũ in ecclesia Lubicensi ad altare sancti Habundi, hodie tamen ad aliud altare est translatum. Huius authoritate ecclesia pridem parochialis in Vthin, est in collegiatam erecta, licet sit per alios sic dotata. Nec enim omnia possumus omnes. Maior pars rei, principium est, &, vt Horatius, *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.*

Ordi-

Ordinauit etiam careeres tenendos per decanum Lubicensem, certos redditus assignando, ne clerus esset laicis ludibrio. Peruenit viuendo ad annum Christi millesimum trecentesimum decimum septimum, in episcopatu XLI. & quicuit.

MAGDEBVRGENSIS ecclesia post Conradum passa est diuisionem grauem, quę in apertum bellum processit. Nam diuisis in electione votis, quidam prępositum maioris ecclesię Ericum, de Brandenburg marchionem: alii ex canonicis Bussonem de Querquorde comitem, assumendum per electionem putauerunt. Dum inde bellum enasceretur, multa leuia prælia, damna, incendia, cædes. Res deinde cōponitur, data pecunia electis, vt cederent: & assumitur tertius, dominus Gotherus, de Sualenberg comes. Marchiones tamen pacta violarunt, renouantes bellum pro fratre in Guntherum. Ille vbi persensit multorum in se perfidiam (nam magni se principes immiscuere bello, duces ac comites) tranquillitati suæ consulens, quum non annum integrum impleuisset, cessit Bernardo de Welp comiti: nec illi quies erat, marchionibus ad cuncta tumultuantibus pro fratre suo Erico. Diuisi tamen erant altrinsecus: nam erat ex marchionibus, qui huic episcopo auxiliaretur in patrueles. Episcopus quoq; Hildesemensis inter auxilia erat Bernardi, nihil veritus, quòd frater eius Albertus dux Brunswicensis, staret in altera parte. Multa incommoda vicissim intulere partes: nec requies erat, donec nonnulli turbatores pacis de medio fierent. Iste verò Bernardus solis duobus annis in magno labore præfuit, ita vt triennio multi in ea ecclesia episcopatū ambirent: duo susciperent, Gotherus & Bernardus: quorum postremus concessit in fata, locum faciēs successori.

CAP. 38.

*Ex votis in electione diuisis grauis oritur bellum.*

HILDESEMENSIS ecclesia post Ottonem meruit pontificem Sifridum, natum comitibus de Querquorde. Arcem Rute hic à fundamentis erexit, restauraitque Leuenburg priùs demolitam: præfuitq; ecclesiæ per annos triginta. Quum initio pontificatus eius, marchiones de archiepiscopatu Magdeburgensi laborarent, non potuit immunis esse, quo minùs Bernardo propinquo suo assisteret, quod ei bellum velut hæreditarium ex antecessore prouenit: illo verò pacato, reliquū tempus ad finem in tranquillitate peregit. Præfuit Romano Imperio per eius tempora Rodolphus, pridē comes de Habspurg: qui initio Imperii sui de ecclesia benè meretur. Rodolphus comes de Habspurg imp.

CAP. 39.

CAP. 40.

rendum putauit, restituens illi Bononiam cum Romandiola, quam prædecessores eius, præsertim Fridericus II. per Gibellinos suos sibi conciliauit. Magno ille bello conflixit cum rege Bohemiæ, qui illum indignaretur agnoscere Imperatorem, quem pridem habuit suæ curiæ magistrum, & perinde suum ministrum. Sed hæc in Saxonia diximus pleniùs. Floruit illa ætate, relicta ducis Poloniæ, Hedwigis, fœmina mira sanctitate. Paternum illi genus fuit ex Bartoldo marchione Badensi, duce; Moraviæ, in oppido Kitzing literis edocta: nupsit Henrico duci Slesiæ, qui q barbatus semper incederet, inde mutuatus est cognomen: genuitq; illi filios tres, quorum maior natu bello Tartarico periit. Erexit monasterium virginū in Trebnitze iuxta Vratislauiā, in quo cælibem vitam duxit. Filia eius Gertrudis inibi centum virginibus præfuit. Mater autem ita vixit, vt & viuens & moriens clareret miraculis: quibus adductus Clemens papa, eam in sanctorum retulit catalogum. Per idem tempus quum in Traiecto iuuenes, puellæ, viri, fœminæ choreas ducerent in ponte frequentes, venerabile Christi sacramentum deferebatur, nec illi pternuntur, intenti vanitatibus, mox ponte desidente, ducenti propè mortales perierunt. Discite non temnere diuos.

*Casus miserabilis.*

HALBERSTADENSI autem ecclesiæ prope eadem tempora præfuit Albertus, vir insignis, ex comitibus de Ancholt, qui ecclesiam illam annis quadraginta quatuor feliciter gubernabat. Quo tempore Rodulphus Imperator cancellariū suum, hominem Genuensem, in Italiam misit, præsertim in Hetruriam: omnes qui pecuniam attribuerūt, in libertate dimissos, Imperii fideles pronunciauit. Per quā occasionem Lucenses duodecim millibus aureorum datis, libertate donati sunt: & Florentini ad quietem perducti, nouam inchoarūt reipublicæ gerēdæ formam, in qua vsq; hodie permanserunt. Hic nostrorum Imperatorum primus Italiam pro deserta videtur habuisse, quamuis nonnulli ex successorib. sint illis colluctati: nullus tamen ante hunc ciuitatibus vendidit libertatem. Fecit, quod solent, qui rebus

*Libertas Italiæ ciuitatib. venditur.*

melioribus desperatis, non quod volunt, sed quod velle cogũtur, faciunt: aliquanto tamen melius erat, si nihil ille armorum pro recuperandis Imperii iuribus intentare voluit, causam ipsam integram seruasse successoribus. Interim res floruerunt in Sicilia sub Carolo secundo primi filio, qui ex filia regis Vngariæ multam prolem reliquit, è quibus Robertus patri & auo successit in regnum: Carolus filius, mater-
*Regis Fil. ordinem amplexatur Minorum.* no genere, ad Vngarię regnum peruenit: Ludouicus filius, ordinem Minorum amplexatur, ita in eo viuens, vt inter sanctos sit relatus. Ob cuius viri mentionem, patris eius memoriam fecimus, in hac religionis sacræ & ecclesiasticarum rerum prosecutione.

CAP. 41. MAGDEBVRGENSIS ecclesiæ tum crebriùs innouatur archiepiscopus. nam Bernardo vita functo, capitulum cum militaribus finem bello cupientes, Ericum quondam præpositum suum, marchionem de Brandenburg elegerũt: virum pontificatu dignum, sed qui ciuibus eius vrbis, propter grauia incommoda diutur no bello illata, displiceret: eductum in vrbem, tumultuantes circumsederunt. Vix
*Odium in summam versum beneuolentiã.* elabitur magno suo periculo de manibus eorum: sed ita deinceps vixit, vt ciuibus suis esset acceptissimus, intantùm, vt quum bello postea captus, neque a fratribus, neq; a ministerialibus ecclesiæ suæ redimi ære curaretur, ciues enumeratis pro illo quingentis argenti marcis, à sua captiuitate eorum beneficio laxaretur. Denique quum bellum esset in diebus eius aduersus marchionem vnum (plures enim tum fuere) archiepiscopus tum educto exercitu cum fratre, qui illi auxilia miserat, obsedit arcem cum oppido Nouumgaterslеue. Trahebatur in longum obsidio: & ipsi principes, recreandi animi gratia, relictis ad obsidionem suis, abierunt in arcẽ Calue. Collocuti inuicem ministeriales ecclesiæ, dum abessent principes, bene geren dæ rei occasionem prætermittere noluerunt: itaq; adunati ad hostes exierunt è castris, illos pellicientes ad prælium. Illi quoq; impigri exierunt euocati: & mixto inuicem prælio, multi de castris archiepiscopi capti sunt, & in arcem abducti. Reuersi principes, quum quid actum esset intelligerent, soluerunt obsidionem. vt capti laxarentur, dedit archiepiscopus in pignus pro accepta inde pecunia, Lusatiam, suæ partis ditionem. Marchio frater eam rem animo voluens acerbius, quum postea versaretur in Magdeburg, videretq; obuersantem oculis suis militẽ, eius præ-
*Diruus & cæcus dele factum.* lii authorem, iussit eum in ecclesia sancti Pauli cædi, cæsumq; ecclesia per capillos extrahi. Ita violentia principum, fas atque nefas sæpè confunditur.

CAP. 42. MINDENSIS ecclesiæ tum præpositus erat pontifex Otto, eius nominis primus, ordine pontificum trigesimus quartus, frater ordinis Prædicatorum: quod vnum inter mirabilia numerabimus, quòd viri militaris generis, qui eam ecclesiam tenuerunt, vt modò tenent, admiserint fratrem de ordine mendicantium. Hoc nisi factum sit per contentionem partium, vt nec mihi, nec tibi sit, aut per specialem prouisionem Apostolicam, prorsus non intelligo: nam ob religionem & eius amorem, assumptum virum, aliàs optimum, non facilè crediderim. Facit hoc morũ nimis magna diuersitas, & contemptus quidam in viris militaribus sacræ religionis. Vtcunq; fuerit, iste ad pontificatum peruenit, negociis ciuilibus & armis inuetus: cogebatur tamen se rebus & tempori coaptare. Defendisse iura ecclesiæ suæ fertur, ne quid caperet detrimenti. Sedit annis non totis septem, & in vigilia sanctæ
1275. Elisabeth, anno Christi MCCLXXV. emigrauit de turbine in requiem: vt experiretur, quantum interfit inter monasticam quietem, & perturbatissimam negociorum seculi inquietudinem.

CAP. 43. SVERINENSI ecclesiæ per ea tempora præfuit vir insignis, Gotfridus, genere ministerialium de Bulowe, seditq; in ecclesia annis viginti duobus. Vidit tempo rum mirabiles mutationes. Nam Imperator Rodulphus, ex comite non magno
*Rodulphi Imper. incommoda.* magnificus Imperator, Bohemorum domitor, regnum Germaniæ antè sparsum laboriosè adunauit, contumaciam & rebellionem in maioribus atq; minoribus ultam abire non permisit. Erphordiæ in ciuitate populosa, grauis erat ciuium tumultus. Insurrexit vulgus his qui rempublicam administrabant, & pro sua libidine omnia perturbauit. Cæsar velut oĩa dissimulãs, cogitauit quomodo vindicaret. Indixit principib. regni conuentũ in eam vrbẽ. Magno apparatu ciues rẽ gerunt, vt hospitia

hospitia parent venturis principibus. Aderant cum Imperatore Saltzburgenſis, Magdeburgenſis, Moguntinus, archiepiſcopi: Bambergenſis, Halberſtadenſis, Hildeſemenſis, epiſcopi: Saxoniæ, Brunſwici, Luneburgenſes duces: marchiones & comites multi. iuſſit quoque ciues bonos in ſuo ordine non imparatos eſſe. Inde vbi iam omnia ex ſententia conſtiterant, euocauit noxios priſtini tumultus authores, vt cauſam dicerent in conſpectu principum. Conuicti autem de pertinaci ac irrationabili tumultu, iuſſit omnes noxios in medio foro mox gladio cædi: reddiditque ciuitatem in ordinem ſuum, quum ſenatui & patribus authoritatem ſuam in populo reddidiſſet. Magnæ enim vrbes, niſi in eis regnet iuſtitia, quid ſunt niſi ſpeluncæ latronum, vbi habens ſociam multitudinem, impunè peccat? Nec facilè audita ſunt maiora iniuriæ exempla, quam in vrbibus malè ordinatis. Rodulphus Cæſar tamen benè conſuluit Erphordiæ, quam ex Babylone, hoc eſt, magna confuſione, reddidit in faciem legitimæ ciuitatis.

*Sedition ſeuerè punita.*

*Iuſtitia.*

RACEBVRGENSI autem eccleſiæ per eadem tempora præfuit Conradus, vir ætate prouectus, qui multùm ſuæ aſſumptioni reniteretur: præualuitque ſententia in eo beati Ambroſij, qui quum ad extremum laboraret, exiturus de hoc mundo, audiuit circa lectulum muſſitantes fratres, quem tanto pontifici ſurrogarent. Erat inter eos qui nominaret Simplicianum. Hoc quum audiſſet Ambroſius, non creditus exaudire, reſpondit: ſenex, ſed bonus. Id de Conrado tum ſenſere fratres ſui, quòd ſenectam eius virtus animi fulciret. Præfuit eccleſiæ non paucis annis: quumque à familiari quodam ex fratribus interrogaretur, Quid eſt, pater? pene contra voluntatem aſſumpſimus vos ad epiſcopatū, nunc quid tentiris? eſſent fortaſſe, ſi cedere liberet, qui onus à vobis acciperent. Ille interroganti nil reſpondit: vt facilè intelligeretur, ſuſceptum onus non eſſe tam facile deponere, quam aſſumere. ſimul fortè & illud perpendit, eſſe rem non boni exempli, per ambitionem alios conſcendere, alios detrudi. Igitur permanſit in pontificatu ad finem vſque vitæ. Erant ea tempeſtate mirabiles & miſerabiles gyrationes in vrbibus Brunſwico atque Magdeburg. Communitas Brunſwicenſis adunata, per contubernales, Gildas vocant, creauerunt ex ſuo numero duodecim viros, qui rem omnem geſſerunt pro arbitrio. Conſilium publicum nullius erat precij, nulla in eo authoritas, omnia ad duodecim viros referebantur. Quum interea mortuo Wilhelmo domini Brunſwici fratres de ſucceſſione diſſentirent, commune Henrico, maiores Alberto fauebant. Ingreditur Henricus, & à communi ſalutatur pro principe. Albertus poſteà ab amicis immiſſus, fratrem expulit, & de duodecim tyrannis iuſtitiam fecit. In Magdeburg non minor rerum perturbatio, ſed nō idem exitus ad vindictam malorum. Omnem in ſe authoritatem coniurationis principes conuerterant, publicum conſilium pro nihilo fuit, moderabantur rem pro arbitrio: ſed in fine, vis magna conſilij expers, mole ruit ſua, vt ait Satyricus: ita in magno populo magna ruina, vbi rem non ex certa prudentia geruntur adminiſtrantes. Exempla cernimus quotidiana.

CAP. 44.

*Senectus in fulcra.*

*Inter fratres de ſucceſſione bellum.*

*Res magna absque conſilio non geruntur.*

MIMIGARDEVORDENSIS eccleſia, quæ eſt Monaſterienſis, tum pontificem habuit poſt Ottonem, Wilhelmum, ex ordine miniſterialium de Holte, ordine inter eius eccleſiæ pontifices trigeſimum: qui hoc tantùm reliquit in eccleſia memoriale, quia dedit fratribus in eccleſia ſua diui Lamberti, & in Bilrebeke, prouentus. Iam tum Romanum Imperium poſt Rudolphum Sueuum, Adolphus de Naſſow, electione principum accepit, defenditq; vt potuit: & erant Germaniæ res ſub eo aliquandiu quietæ. Italia iam Imperatoribus noſtris valefecit, ſuis vrens legibus, ſed res Chriſtiana in Aſia miris gradibus retrocеſſit: dudum amiſſa eſt Hieroſolyma, poſteà etiam Antiochia. Tripolis ciuitas potentiſſima hoc tempore expugnatur à Soldano, magna & miſerabili multorum capitum interitu. nam captam vrbem cum vniuerſis quæ ſupererant, victor incendit, & ferro excidit, in tumulum redegit ciuium ſuorum. Tyrus, Sidon, Barutum, eodem victoriæ curſu abillo ſunt in deditionem accepta. Reſtabat ſola Chriſtianis Ptolemais. Ei cum ſummus pontifex immiſiſſet ſine duce præſidium militum, maior ibi tumultus, quàm ciuitas portare poterat, erat: tenuere tamen eam vrbem aliquandiu poſt

CAP. 45.

*Adolphus de Naſſow electus in Imp.*

*Soldani in Aſia geſta circa hæc tempora.*

hæc tempora Christiani, sed concessit etiam illa in fine victori Sarraceno. Miserabile est memoratu, quo labore defendentium, qua calamitate obsessorum, infelix ciuitas in ius concessit obsidentis. Legat, qui volet, ex his qui rem scripsêre: nobis alia professio est, contentis tempora magnarum rerum designare.

CAP. 46. BREMENSI ecclesiæ post Giselbertum præficitur insignis vir, Henricus, cognomento Goltorm, eiusdem decanus ecclesiæ: vir prouectæ & penè decrepitæ ætatis, sed omnium vnanimi electus voto: natus honesto genere ex militaribus ec-
*Militares.* clesiæ, qui nunc honestiori vocabulo militares, etiam nobiles dici volunt: sed ea appellatio ab assentatoribus ex superiori Germania ad nos descendit: modestiores tamen eam non recipiunt. Hic ergo electus, missō ad summum pontificem ecclesiæ cantore, confirmationem cum pallio postulauit, impetrauitque. Descendens autem hic nuncius, in itinere defecit. Pontifex autem Romanus tum erat Benedictus vndecimus, qui per omnes gradus sui ordinis ita profecit, vt cardinalis fieret Hostiensis, vnde illi proximus erat ad pontificatum ascensus. Memorabile dictu, quum humili genere natus esset, ad summa prouectus, non erubuit paupertatis suæ primordia. Mater eius dum adhuc in minoribus ageret, fratribus vestimenta abluit. Iam pontifex factus, illam voluit in vrbe videre, iussitque adesse. Vbi venit, matronæ illam, vt pontificis matrem, summis honoribus extulerunt, vestibus exornantes pro magnificentia summi principatus in fi-
*Memorabile factum.* lio, productam in cōspectum pontificis, pontifex agnoscere dissimulauit: Ego, inquiens, matrem in illo ornamento non agnosco, non eam talem reliqui: auersusq; fecit cunctos qui honoris illam gratia deduxerant, erubescere. Exeuntes autem, pannosas exuuias mulieri reddidêre, & ita reduxerunt. Tum amplexatus genitricem, In illo, inquit, vestium apparatu matrem reliqui, sic recipio: meum nunc fuerit, genitricem cohonestare. Sed non diu superfuit. Hic est ille, qui Perusij sibi sedē destinauit, quum ecclesiam fratrum suorum in sublime extulisset, meditatus palatium pontificale desuper construere. Diis aliter visum. Expleto vix anno, & paucis diebus, concessit in fata, defunctus ac tumulatus in eodem loco, in conuentu fratrum suorum Prædicatorum Perusij. Fecit aliquot in pontificatu declarationes fratribus suis fauorosas. Sed ad nostrum electum reuertamur. Quum nuncius cōfirmationis ab vrbe allatæ, in ipso itinere, vt diximus, defecisset, alij literas exceptas perduxere Bremam. Venientes autem, inueniunt iam tumulatum electum suum, cui confirmationem attulere. Nam itinere in Stadium à Brema instituto, media via febre corripitur, & in Vordis arce collocatus, non diu spiritum retinuit, vir pro virtute longiore dignus vita, tumulatur cum prædecessoribus.

CAP. 47. PADERBVRNENSIS ecclesia quum morte Ottonis esset viduata, scinduntur eligentium vota in duo: nam alij eligunt dominum Guntherū de Sualenberg comitem, qui ecclesiam Magdeburgensem bellis implicitam dudum reliquit: alij Theodoricum de Ictere præferendum putarunt: & præualuit sententia eorum, Gunthero per modestiam quiescente, vt qui maiorem contempsisset ecclesiam, hanc quoque posthabere pro minimo duceret. Præfuit autem Theodoricus huic ecclesiæ annis duodecim. Cœpere tum florescere nouæ per Christianismum religionis, contra summorum decreta pontificum: sed tamen procedunt suo more. Ex
*Cœlestinorum ordo.* Cælestino summo pontifice, qui cessit octauo Bonifacio, nomen sumpsit ordo Cælestinorum sub regula Benedicti: hoc tempore initium, & mirum sumpsit incrementum, eò quòd sanctissimo viro in carcere defuncto, (custodiri enim illum curauit Bonifacius, ne, quod intenderat, rediret in eremum) propter eius crebra miracula multi nobiles & docti viri, spretis seculi bonis, & pompis inanibus, ordinem nouum ingressi, citò & virorum numero, & cœnobiorum constructione mirabiliter eum ordinem prouexere. Ordo quoque Seruorum virginis Mariæ tum habuit initium, authore Philippo, viro religiosissimo: qui primus institutor fuit, non longè ab vrbe Florentia. Hanc autem religionem sub diui patris Augustini regula excitauit: atque ipsam verbo & exemplo, additis nonnullis constitutionibus, in formam redegit. Quem ordinem à multis improbatum, Benedictus vndecimus, Vrbanus sextus, priuilegiis & exemptionibus munierunt, & inter mendicantes collo-

collocarunt: qui ordo viris clarissimis, & in declamatione ad populum feruentissimis, multo apud plurimos habetur in precio. Sed quando erit finis multiplicandarum religionum, in vno magno ecclesiæ monasterio sub abbate Christo: cuius regulam per euangelia digestam si strenuè obseruaremus, nihil esset opus repertiis illis & nouis religionibus. Sistendus est hîc stylus: quia si exaudierint, multi cõsurgent in prælium: paratiores contendere, quàm animum ad obseruantiam diuinæ legis intendere. *Sed an ideo tegenda veritas?*

MAGDEBVRGENSI metropoli, ad annum Christi millesimũ ducentesimũ nonagesimum quintum præcipitur insignis vir, Burchardus, ex comitibus de Blanckenburg, gratus ciuibus & bonis omnibus: sed non omninò approbatus ministerialibus suis, qui quod voluerunt ad nutum ab eo non impetrauere: conspirantes autem in eum, irrepsere noctu per Albim, vt caperent eum in ecclesia: sed aduolantibus ciuibus in eius defensionem, nihil perfecerunt. Annuit ille ciuibus, vt armati exeuntes, fortalicium Randowe, vnde multæ fiebant excursiones, subuerterẽt, frementibus & summa indignatione consternatis eiusdem ministerialibus. Quo tempore magna erat conuersio orbis Christiani, quum summi eius principes summum principatũ aut vi, aut dolo sunt assecuti. Per idem enim fermè tempus, & Albertus Rodolphi Imperatoris filius, Adolphum de Nassaw Romanorũ regem prælio oppressit, & regnum Romanorũ, volentibus nolentibusq; Electoribus tenuit: sed tamen accessere ei volentes penè omnes, quia non est visus alius qui dignitatẽ eius posset melius tueri. Summũ autem pontificatũ quum teneret Cælestinus, vir simplex, & eremo paratior quàm throno, occultis modis suasit illi Benedictus Caietanus cardinalis, vir doctissimus, experientissimus pariter & magnanimus, vt dimisso pontificatu, cuius oneri esset impar, rediret ad vitam priuatam: alioqui de magno animæ suæ periculo ageretur, qui se passus esset in eum locum cõstitui, cui nulla posset ex parte satisfacere. Suasit, ac persuasit. Cessitq; Cælestinus, ac successit Benedictus, vocatus octauus Bonifacius. Hic quum legatos misisset in Franciã, duriùs agentes ad mandatũ pontificis, rex illos iussit in libera custodia haberi: Papa mox sacris interdixit, regnoq; regem destituit, quòd ius gentium violasset: nec antè Imperialem infulam Alberto annuit, quàm ille suscipere et titulum regni Franciæ: pollicereturq;, armis se regnũ vendicaturum. sed irrita venti vota tulere. Bonifacius centesimũ annum nactus in pontificatu, renouauit iubileum, instituens eum centesimo quoque anno venerandum: sed posteriores pontifices tempus mutârunt. Archiepiscopus interim Magdeburgensis anno nono defecit. *Albertus Habspurgẽsis Adolphum de Nassaw Wimp. opprimit.* *Cælestinus Pontificatu cedit.* Cap. 48.

BREMENSI ecclesiæ post Henricum, qui ne viuens confirmationem suam cum pallio expectauit, quum prouidendũ esset, scissa sunt eligentium vota in duo: nam alij Florentium de Brunckhorst scholasticum elegerunt, nepotem Giselberti, quem ille sibi successorem animo destinauit: alij verò Bernardum de Welpa comitem, eiusdem ecclesiæ maiorem præpositum maluerunt. Erant in capitulo sanioris consilij viri, qui discordiam execrantes, quum ad concordiam qui dissidebant, reduci non possent, neutralitatem elegerunt, scientes, quantum mali soleat ecclesiis discors electio importare. Scinditur & populus in studiis suis: nam Burgenses præposito, ministeriales inhærere scholastico, tribuentes multum memoriæ patrui illius. Mittit pars quæq; nuncios in vrbem, ius suũ prosecuturos: imò ipsi electi, aceruatis vndecunq; pecuniis, vadunt sedem Apostolicã inuisuri: sibi quisq; studet omni conatu conciliare fauorem. Res in longum ducta est, quòd Clemens quintus illorum temporũ pontifex, Franciam magis quàm Italiam honoraret, primus sibi sedem faciens in Auinione, execratus Romanorũ tumultus, quos illi magis ac magis intentabant: elongauit ergò Clemens cum sua sede, & Auinione moritur. Ibi disputatum est diu super iure electionis Bremensis: ad aliquot annos res protrahitur. Bernardus præpositus, tædio rerum affectus, renunciauit iuri suo: vt alij dicunt, finem viuendi in lite fecit. Ita Florentius confirmationem Apostolicã obtinuit. Reuersus autem ad ecclesiam, nihil magnum aut memorabile fecit: peruenitq; ad annũ millesimũ trecentesimum septimum. Quumq; Giselbertus XCVI. defecisset, successor eius annũ non impleuisset, decem anni Florentio adscribũtur, *Discordia etiam res maximè diuinas turbat.* Cap. 49.

quorum partem maiorem consumpsit in lite, quam inchoauit sub octauo Bonifacio, & peruenit ad Clementem quintum: cuius sub nomine publicatæ sunt constitutiones, quæ vocantur Clementinæ. Florentius ergò solis quatuor annis ecclesię suæ præfuit, reliquos sex impendit iuri suo exequendo: & sub Clemente quinto in pace quieuit. Hoc habet memoria eius præcipuum, quod primus vidit celebrari iubileum in Romana ecclesia, institutum per Bonifacium octauum. Ergò Christianismus MCCC. annis iubileum nescivit, sed posteris seruauit, vt solent boni parentes reponere thesauros suos ad vsum seræ & longinquæ posteritatis.

*Clementinæ constitutiones.*

*Annus iubilæus.*

CAP. 50. VERDENSI quoque ecclesiæ post Conradum præficitur vir insignis, Fridericus, quietus, prudens, staturæ elegantis, supra hominum communem procerita- 10
tem, simplex & rectus: pro qua re multas molestias intulere improbi ecclesiæ, quũ esse videretur pontifex qui vindicaret. Subornati videbantur ex vicinis, & vt erat suspicio multorum, ab archiepiscopo Bremensi, qui arcem Rodenburg in solo, vt ferunt, Bremensi sitam, occuparent clàm noctu. & propè erat vt proficerent: sed erant in ecclesiæ Verdensis ministerialibus, qui pro sua fide vigilarent. Ergò insidiatores extracti de latibulis, cæduntur, vulnerãtur, capiuntur, & venisse nollent: ita remittuntur, qui fugam inierunt. Quum ergò hostiles in eum animos sic prodidisset Bremensis archiepiscopus: non est visum ex suo more ministerialibus rem 20
sinere inultam. Igitur inuocato armorum præsidio à Duce Luneburgensi, expedito agmine inuadunt Bremensem ditionem, ferro & igni cuncta vastantes penè ad suburbia ciuitatis: magnaq; aucti præda, reuertuntur. Alia quoque vice quum equites incursarent prædia ecclesiæ, abacturi pro sua consuetudine iumenta, episcopus clàm armat suos quos habuit promptissimos, & egressus, manum conseruit cum prædatoribus. Fit pugnando superior, capit ex eo numero triginta, & victor in sua regreditur. Quòd in se, erat vir pacificus. Si temporum illi tranquillitas extitisset, ecclesiam suam locupletasset: sed non sinebat inquietudo proximorum. Præfuit autem ecclesiæ suę in annum vsque vndecimum, appositus ad patres suos, sepultus in senectute bona.

CAP. 51. MINDENSI ecclesiæ per ea præfuit tempora Volquinus, ordine pontificum trigesimus quintus, vir vndecunque natus, virtute cõspicuus: qui tempora meruit videre tranquilla, quum in Imperio esset Rodulphus comes de Habspurg, cui vacabat ducatus Austriæ, quem assumpsit & transtulit in domũ suam: vnde etiã nati sunt comites Austriæ nostrorum temporum: qui redacti sunt in solum dominum Maximilianum Romanorum regem, & filium ac nepotes eius. Huius pontificis tempore migrauit ad Dominum vir sanctissimus, Thomas Aquinas: cuius transitus domino Alberto, quondam Ratisponensi episcopo, sed à turbine rerum seculariũ ad tranquillitatem monasterij redeunti, reuelatus est, quum maneret in conuentu fratrum suorum Colonienſi: Ille in lachrymas resolutus, testatus est multis fratribus, filium suum in Domino charissimum, Thomam, emigrasse. Post cuius obitum idem D. Albertus, vix quinque annis supererat, vir natu grandæuus, & qui Thomam quinquagesimo anno ætatis excedentem, multis annis præcesserat. Albertus autem anno Christi millesimo ducentesimo octuagesimo quinto excessit, teste inscriptione marmoris, illi in memorati conuentus choro superpositi. Dictũ verò D. Albertum morientem, pro vitæ sanctimonia & doctrinæ eminentia luxit omnis prouincia. Aderant eius funeri D. archiepiscopus Colonienſis Sifridus, aderant maioris & omnium collegiorum canonici, aderant deforis ex nobilibus plurimi, tota ciuitatis multitudo pompam funeris ornabat. Quæ testimonia sunt insignis & incomparabilis virtutis in viro memorabili: cuius exequias nemo qui adesse poterat, neglexit. Extraxere fratres ętate nostra reliquias eius, & in medio choro, extructo tumulo, supra pauimentum collocauere, admittentes viros graues vt 50
cernerent integrum corpus, nulla deformatione, nisi quòd mandibula parum videretur collapsa: siue balsami beneficio, siue Dei miraculo, Deus nouit, ducentos annos durauit in sarcophago. Quę oculis conspexi, hac scriptura contestor. Sed ad Mindensem redeo pontificem Volquinum, qui ex hoc mundo transiuit ante D. Albertum triennio: hoc est, anno Christi millesimo ducentesimo octuagesimo secundo,

*Austriæ ducatus.*

cundo,in die D. Godehardi,Hildesemensis quondam episcopi, cùm annos non totos octo complêsset in episcopatu.

OSNABVRGENSEM ecclesiam post Conradum de Retberge, excepit Ludouicus,natus comitibus de Rauensberge,ordine pontificum trigesimus tertius, vir magni animi, qui ecclesiâ laboriosè rexit, quum multa illi orirentur aduersa. Simon de Lippia tenebat arcem Engeren,veterem sedem principũ antiquæ Saxoniæ Wedekindi & filiorũ eius: vndè nomen Anglis Saxonibus, quod olim intulerunt Britanniæ,vt ex illis diceretur Anglia, quod nomen seruat in hodiernũ: seruatura, vt creditur,in finem. Ex hoc loco Simon comes multas iniurias ecclesiæ & eius subditis irrogabat. Non tulit episcopus Ludouicus,sed obseruato tẽpore,quũ in armis esset Simon memoratus,abstulisseréq; pecora ecclesiæ,armatur & ille cum suis:& egressus, occurrit per compendia agmini hostium,& facta congressione de more militari,quum infesti inuicem concurrissent,multo labore exantlato, capitur comes,& in ciuitatem captus abducitur,sex annis retentus in vinculis, donec consentiret vt redderet arcem, nouum oppidũ stirpitus euerteret,iuraretq; in reliquum se abstinere iniuriis ecclesiæ. Fideiussores interuenêre comites de Tekeneburg, Benthem, Sualenberg: Balduinus de Steenforde,& Otto de Ahus barones: Burchardus de Stroberge, Bernardus de Beuern milites, cum nonnullis aliis. Bellum ibi deinde oritur in Ottonem de Monte, occupatorem ecclesiæ Monasteriẽsis, quum illi inhæreret comes de Marca. Non dubitauit Ludouicus occurrere hostibus: facta congressione, fortiter pugnatur:& longa interueniente cõfictatione, superatur comes de Marca, qui antè tulit candidũ episcopi habitum, quem armis superinduit paludamenti loco: quumque capto superemineret iacenti episcopus, aduolans quidã ex agmine episcopi, quum crederet episcopum premi sub comite, quasi comiti vulnus inflixit lethale, ignorans dominũ esse suum. Victoriã quum reportasset, tertia pòst die ex vulnere mortuus est: quum præfuisset ecclesiæ annis duodecim, plura quoq; iura ecclesiæ suo tempore recuperauit. *Anglię nomen vnde.* CAP. 52.

MAGDEBVRGENSI metropoli post Burchardum præficitur Henricus, ex comitibus de Anholt. Ipse profectus in vrbem, vt pallium cum confirmatione acciperet, res in longum ducta est: diu deliberatur de eius confirmatione. Vix enim primas literas attigerat, penè laicus: sed tamen assequitur quod volebat, reuersus in pace ad ecclesiam suam. Vir erat ingenio acri, etsi literarum esset expers. Tacitus multa machinatur: expediuit exercitum, equites peditesq; habuit promptissimos. Plaustra inania iussit velari quasi intus fruges veherentur: collocauit intus armatos,& ex latere curruum agnos & aucas appenderat, quasi tranfeturis ad forũ rerum venalium. Propinquabat oppido Schonenbeke, cui erat iustis causis infestus. In media porta; ex composito rota egreditur ab axe: ruit plaustrum, exiliunt armati. Non erat longè cum agmine ductor, occupatur oppidum,& ad nutum diripitur. Omnibus ibi ex cõstituto ordinatis, eodem agmine Magdeburg ingreditur. posticę claues à portario capiuntur, maiori, vt putabatur, agmini immittendo. Vbi res innotuit ciuibus, fit concursus. Propè erat vt in tumultu archiepiscopus cum agmine cæderetur: sed pacata res est bonis conditionibus, vt non vltrà procederet tumultuatio. Seruauere ciues furorem suum in tempora successoris eius, in quem plenè, quod dicemus, debacchati, effuderunt quicquid à multis annis odiorum collegerunt in ecclesiasticos. Henricus autem ad annum pontificatus sui tertium emigrauit, translatus, vt confiditur, ad superos. *Stratagema.* CAP. 53.

RACEBVRGENSI autem ecclesiæ post grandæuum Conradum surrogatur & præficitur ex fratribus Hermannus, germanus frater Vlrici episcopi, ante illum secundi. Ferũt, quum Vlricus optimus ægrotaret, magno sui desiderio adstitere fratres:& vbi de illo actum esse cernebant, interrogauit quidam familiarius, si illum de medio faceret Dominus, quid videretur de illius germano Hermanno, ellẽne ecclesiæ præficiendus? Ille, ne sanctuariũ Domini hæreditario iure traderetur, fertur auertisse fratres, ne germanum assumerent. Igitur consilium secuti, prima vice fratrem præterierunt: sed nunc voto suo satisfacientes, eundem elegerunt. Fratricelli de opinione deprensi, tum iussi sunt, Papa Bonifacio præcipiente, extermi- CAP. 54.

nari. Vetus malũ,& quod in vrbe Roma ante Christũ deprænsum & punitũ scribit Liuius in tertia decade,toties renouatum,necdum exterminatum ferunt. Iussit pontifex corpus authoris, cui Hermanno nomen erat, apud Ferrariam extumulatum,post annos viginti à morte sua, concremari. Nicolaitarum secta est de publicandis mulierculis,& promiscuo complexu. Noctu conueniunt in abditis locis,sacra execranda faciunt, lucent vndique luminaribus tenebrosa. Vbi concrepuit maior in cœtu,candelæ in vnum extinguuntur,ruunt in amplexus vt quisque proximus erat fœminæ. Initiantur terribilibus modis,ne se prodant. Pertinax hominum genus,sæpè deprensum. Legat, qui volet, in memorato loco Liuium, his de rebus vetera recensentem. Nõ minore tum odio Romani, quàm nunc Christiani, improbam sunt sectam insectati. Iudæi quoque, per hæc tempora inuenti malignari in Christianos, miseris modis exuruntur flammis, viri, fœminæ sine discrimine, paruuli ad baptismum reseruantur.

*Nicolaitarum hæresis.*

CAP. 55. MIMIGARDEVORDENSI ecclesiæ,quæ est eadem Monasterienſis, post Wilhelmum præficitur Gerardus, natus ex comitibus de Marca, olim dicebatur de Allena, vir illo sacerdotio etiam maiore dignus, qui religionis erat amator & propagator. Nam ad multiplicandum Dei cultum per ecclesiam, fundauit & dotauit collegium in Borkem: adeptusq; est dominiũ in Horstnow, non exilii in eam rem impensa pecunia: multaque alia contulit ecclesiæ suæ, in augmentum & splendorem diuini cultus. Floruerunt tum illa lumina iuris per Italiam, Dynus Muxellanus, Iacobus de Arena, Petrus de Bellapertica, qui iuris obscuritatem illuminarunt,& perplexitatem resoluerunt:& in diuina sapientia, Ioannes Scotus, ordine Minor:& Renerius Pisanus, Prædicator. Alanus quoque, insignis vir, tum floruit, qui acumine ingenij & promptitudine disputandi, in omni materia non habuisse fertur secundum. In monasterio Cistertij monstratur eius tumulus marmoreus, cum hac inscriptione:

*Scriptores alij quot celebres.*

*Quem vides Alanum, breuis hora breui tumulauit,*
*Quibduo, qui septem, omne quid scibile nouit.*

Clara quoque, Eremitarum ordinis virgo deuotissima, in monte Falcone agri Spoletani per hæc tempora claruit: quæ sanctissima virgo tantis fuit ornata meritis, vt sanctorum catalogo piè ascripta debeat haberi. De cuius sanctitatis præconio hoc vnum referimus testimonium, quod apertis oculis hodie conspici potest, quodq; de nullo sanctorum aliàs lectum est. Nam in corde eius imago crucifixi Domini concreuit: aperteque cerni potuit ex illo die, quo extractum corpori cor, apertè cerneretur. Tres quoque ibi lapilli sunt reperti, eiusdem ponderis. Mirabilem Dominum in sanctis prædicamus, quia ita per exempla cernimus de Ignatio primitiuo episcopo, qui semper in ore habuit, AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST. Simile aliquid reperitur, quòd in corde eius nomen Iesu aureis literis fuerit repertum post mortem: bestiis enim consumptis, cor inuentum, stuporem fecit Christi fidelibus.

*Crucifixi imago in pulle demortuæ cordeimpressa.*

CAP. 56. BREMENSI ecclesiæ post Florentinum præficitur, prouisione summi pontificis, Ioannes, pridem archiepiscopus Lundensis: sed qui regi illius temporis non consentiret, nec moribus aut vita congrueret. Natus militari & honesto inter suos genere. Nam mater etiam regium sanguinem ducebat. Primùm erat præpositus Roschildensis, inde archiepiscopus Lundensis: nouissimè ecclesiam accepit Bremensem, transferente eum Clemente quinto, pontifice Maximo, iuxta ordinem rerum à nobis infrà memorandarũ. Imperitia linguæ Danicæ fecit, vt apud nonnullos iste Ionas diceretur: nam ea lingua, sicut & Hebraica, Ioãnem solet Ion breuiando vocare: nam & Bariona dictus est Petrus, filius Ioannis. Poterat Bremensis excitare spes veteris iuris recuperandi per illum in regnis Aquilonis, sed nihil inde prouenit. Vir erat doctissimus,& iuris inter suos peritissimus: qui cùm archiepiscopatum Lundensem administraret, regi volenti quippiam per leges illicitum, restitit viriliter, etiam impendere sanguinem paratus, vt ecclesiæ libertatem tueretur. Quæ res tantam excitauit regiam indignationem, vt loco cedere cogeretur. Romam petiit,& apud Bonifacium octauum causam egit ecclesiæ suæ. Misit quoque

*Lingua Danica.*

rex

rex Daniæ post illum, suum oratorem, Martinum, virum vt tum habebatur, præcipuum, qui insigne in illa gente non habebat, quòd grammaticolis metaphysica proponeret perdiscenda, miseretq; inaniter longissimè distantia, inuento ridiculo opere modorum significandi: in quo vsque hodie magnis boatibus tonant muti grammaticelli, quasi rotati vertigine, quum nunquam ad elocutionem perueniãt: inde gloriam auspicantes, vnde rideri meruerunt homines inepti. Sed nihil tum profuit Martino instantia sua. Victor Ioannes Lundensis archiepiscopus, interdictum ecclesiasticum per omne regnum obtinuit collocari: in quo quum aliquandiu terra omnis iacuisset, iterum rex misso oratore, compositionem impetrauit, vt Ioannes damnorum & interesse nominibus, quadraginta millium aureorũ nummûm ab rege acciperet. Suasus à pontifice ecclesiam dimittere, quam securus tenere non poterat, non cessit. Ifernus interea quidam ex vicinis episcopis, illam administrauit. Vacabat interea sedes Rigensis, quæ huic est oblata Ioanni. Susceptam aliquandiu tenuit absens: nam Parisiis habitabat, coemptis multis redditibus per aurum à rege Daniæ in vim concordiæ acceptum, præsertim vt dimitteret ecclesiam suam Lundensem: sed quum eam primam sponsam nollet dimittere, caruit etiam secunda Rigensi, quam prius illi contulit Benedictus Bonifacij successor. Quumq; etiã illo per mortem subtracto succederet Clemens quintus, vacabat interim morte Florentij sedes Bremensis, quam suadente summo pontifice suscepit, dimissa tamen primùm Lundensi: descenditq; ad ecclesiã iam suam, Bremensem. Vnde venio in suspicionem, vt credam Florentium in lite apud sedem Apostolicã defunctum: alioqui quomodo priuassetpontifex Bremenses canonica electione, nondum in eam potestatem prouectis summis pontificibus: vt, quomodo nunc, quibus vellent, prouiderent, si non obstarent per Germaniam principum sub Nicolao quinto concordata. Ioannes autem in suã prouinciã veniens, primùm in monasterio Hude excipitur, ibiq; à prælatis & totius terræ ministerialibus perducitur in ecclesiam suã cum honore debito: iuramenta fidelitatis expoſcit & accipit, clamante populo, Benedictus qui venit in nomine Domini, in laudem bonorũ, pœnam verò reproborum. Profectus in Stadium, clerum Hamburgensem euocauit pro charitatiuo, vt vocant, subsidio, quod iam annuerat præstare clerus Bremensis. Hamburgensis præpositus rem ingrauabat, quòd se neglectũ diceret cum suo capitulo in iure & honore ab antiquo ad ecclesiam pertinente: conuocandũ etiã clerum suum asserebat in causa præstandi subsidij. Qua in re quia contemptus videbatur, recusabat annuere. Minatur archiepiscopus censuras: ille appellat sedem Apostolicam. fit multa desuper contentio. Ex quo die fuit crebra inter ecclesias Hamburgensem & Bremensem super iuribus & honore concertatio: quæ durauit per annos multos, quum Hamburgensis antiquum suum honorem recordaretur, quòd matrix & sola Metropolis haberetur: Bremẽsis nouis rebus, & maximè præsentibus insistens, antiquitatem contempsit. Arcem Vorde tenuit Henricus de Borg ministerialis, contemptor superûm, oppressor (vt ferebant) pauperum, qui neque ordini, neq; sexui, neq; ætati parceret, paribus grauis, subditis intolerabilis, immitis, crudelis, atrox, qui sine discrimine captos in carcere macerauit multos, & extinxit: ab archiepiscopo monitus, arcem reddere contempsit, censuras nihili pendit: armis circunsessus, loco cedebat. Postea tamẽ pœnituisse videbatur, quòd cesserit, nulla re mitior in omnes quàm prius. Archiepiscopus duci Luneburgensi ac episcopo Verdensi conciliatus, à quibus diu dissenserat, noxiam arcem diœcesis Hornborg obsedit: Henricum memoratum incentorem cepit, in carcerem coniecit, quod ille multis immerentibus antè fecit, inde tranquillitas redditur terræ, malo germine euulso.

INTEREA vocatur archiepiscopus in vrbem Romam, vt causam tractet inter archiepiscopum Rigensem, ac ordinem dominorum Teutonicorum, quod antè pollicitus videbatur. Quum ille accingeretur itineri, & iam paratus esset, superuenere aliæ literæ, quæ illi peregrinationem remisere, lætantibus cunctis, quòd pastorem suum retinerẽt in prouincia. Eà tempestate ciues Bremenses erexere murum in vallo ciuitatis, è diuerso ab ecclesia. Quam rem suspectã ducens archiepi- CAP. 57.

scopus, nisus est impedire: sed quum armis & viribus posset difficulter, iure cœpit agere, constitutis pro se vicariis in ecclesia, qui pro absente administrarent, domino Burchardo Grelle præposito Rustringiæ, & Ioanne Paruulo iurisconsulto. Ipse profectus Viennam Galliæ, vbi tum summus pontifex curiam habebat, causam egit aduersus ciuitatem: sed quum parum ibi proficeret, vicariisq; rem omnem pro ecclesia diligentissimè curarent, vt moribus & religione cuncta apud ecclesiã reformarentur, parum absens pontifex desiderabatur. Reuersus tamen, inuenit nõnullos militares proteruientes, quorum ductor quidam, quem ferebant non sano capite: sed multis ille fretus amicitiis, multa faciebat. Militares archiepiscopi ex eius præcepto arma in illum fumentes, dissimulanter agebant, ne militare genus supplantaretur ab alienigena pontifice, quæ res multorum initia laborum dabat. Ea res, nonnullis causis accedentibus, omnem ministerialium ordinem archiepiscopo faciebat suspectum, vt non se illi crederet. Ciuitatem ergo ingressus, ibi moram trahebat, dominum Martinum de Hude militem, terræ præfecit gubernatorem. Quem in Languedel commorantem, iussit infestare vicina loca comitis de Hoia, quòd ille arcem Tedinghusen tulisset ab ecclesia: quem etiam citari eo nomine ad sedem Apostolicam procurauit. Sed quum in vrbe Brema moraretur, omnia quæ foris gererentur, illi aduersa fuere. quæ res ita illum turbabat, vt etiam inquietum illi faceret locum mansionis. Nam sacerdotem in ipsa vrbe vinciri iussit, ac in Languedel perduci, quæ res capitulum atque populum ciuitatis æquè turbauit. Dominum doctorem Burchardum, & Ioannem, pridem vicarios suos, viros præstantissimos, pontifex capitulo eiicere tentauit. Ciues plurimos, quòd sacerdotem occidissent, proscripsit, nec idoneam satisfactionem exhibitam susceperit. Ioanni de Delmenhorst comiti, grandem debebat pecuniam, pro qua ille auenam ex decima prouenientem accepit: quam etiam rem archiepiscopus censuris est prosequutus. Multos ex prælatis & ministerialibus varia occasione censuris innodauit pro visitationis impendio, quæ turbatio multiplicata, omnes in eum erexit, vt appellationibus & protestationibus vndique insurgerent in archiepiscopũ. Cumulabant vniuersi tot in eum appellationes, vt sex tabelliones per dies atque noctes scribendo fatigarentur. Arcem Languedel impignoratam tradidit pro accepta pecunia: centum conduxit armigeros. sed ante expletum mensem, & donatiua & commeatus defecerunt. Ventum est ad arbitros in controuersiis: nihil illi diffinierunt quod placeret, omnes traditores esse suos inclamitabat. Thietmarsiã ingreditur, sperans ibi laborum suorum inuenire requiem, sed quum illi omnia deessent ad sumptus, facilè illum populus, alioqui inciuilis & contumax, contempsit. Transiuit in Norden Frisiæ: ibi contumelias expertus est à muliere. Venit in Wildeshusen, ibi vinctus est & cæsus. Iam eum omnes iuxta contempserant, nihil formidantes censuras, aut reuerentes pontificium. Ita generale odium hominem consectatur. Redibat in Frisiam suæ ditionis: dum ibi desidet, capitulum cernens ecclesiam gubernatoris solatio destitutã, nobilem virum, Ioannem de Luneburg ducem, ecclesiæ scholasticũ, generalem fecit ecclesiæ administratorem. Ille communem omniũ hostem Henricum de Borg carcere laxat, ac ministerialem suum facit: quod iuxta omnes detestati sunt, memores atrocissimarum iniuriarum, quas ille cunctis ordinibus irrogabat. Contempsit episcopi censuras. Nam Marcellum quendam, pontificis mandatũ circunferentem, capit, & in carcere extinxit, quam atrocem iniuriam nulla vindicta plectebat.

*Sua, vt apparet, culpa.*

CAP. 58. ARCHIEPISCOPVS Romam petens, scholasticum euocauit, & omnes sibi aduersantes traxit in causam. Nonnulli in personis, alij per syndicos & procuratores comparuerunt. Ioannes scholasticus præsens se tuebatur. Ventum est ad arbitros in vrbe, pronunciatum est in causis, euulgatum est à partibus laudũ. Redibat archiepiscopus in prouinciam, sperans super omnibus iam esse conuentum. Sed parùm implebatur ex his quæ sunt per arbitros diffinita. Ioãnes dux scholasticus, breui excedens rebus humanis, ecclesiam in perturbatione plurima reliquit. Archiepiscopus iterum abiens, vicariũ pro se dedit, Nicolaum episcopũ Verdensem. Ille vastabat prouinciam, malis & improbis vsus ministerialibus, publicã pacem

cem disturbauit, dissimulauitq; violari. Archiepiscopus illum absens per literas accusabat, mutabat vicarios per singulos menses. ita vnius pontificis moto ac pertur- Quicquid delirant reges, plectuntur Anglibato capite, totius ecclesiæ status fluctuabat. Multa aureorum millia impendebantur litibus, multa guerris: ecclesia miserè inter manus lacerabatur. Iamdudum de hospitali (quod primi pontifices ornatissimè, ditissimè, diligentissimè curarunt) nulla mentio, pauperum respectus euanuit. Erat hic archiepiscopus vir eruditione præcipua, & eloquentia singulari, ita vt Ioannes summus pontifex, coram se loquentem commendaret. Iustitiæ quoque tenax erat. nam mercator quidam pontem transiens, plaustrum cum mercibus suis casu subuertit. Præfectus defert rem pontifici, quasi naufragium: merces tetigisse terram, & ideò cecidisse in commissum, vt confiscarentur. Recusabat archiepiscopus, increpãs præfectum, quòd malis pontibus iter publicum sterneretur: nihil peccasse hominem, qui culpa præfecti calamitatem incidisset: sed etsi quid peccasset, non perinde mox amississet sua. Iubebat reddi omnia eius bona. Vir erat seueræ industriæ, & qui nihil reliquit impunitum. Dixit enim, quum omnes illi aduersarentur, persequar inimicos meos, & non conuertar donec deficiant. Quum Ioannes, quem diximus, dux Luneburgensis Auinionem, vbi curia confederat, peteret, reginam Franciæ interpellabat, vt apud pontificem pro eo interueniret. Illa, vt erat duci cognata, pontificem adiit in persona. Motus Papa dignitate reginæ, archiepiscopum euocabat, inter alia allegans, Adstitit regina a dextris nostris in vestitu deaurato. Excandescens archiepiscopus, verba Papæ intercipit, clamans: Ô diabole, quæ comparatio Christi ad Belial? Cui Papa: Visne frater archiepiscope bibere sanguinem regum? Ad quam vocem moderatior factus, causas omnes, quod diximus, apud arbitros peregit. His moribus asperrimis, cunctis se fecit pontifex intolerabilẽ, finiuitq; in Parisio, quum anni viginti transiissent ex eo tempore, quo ecclesiam Bremensem accepit. Iussit factum.

MINDENSEM ecclesiã per ea tempora regebat Conradus, eius nominis II. ordine pontificum trigesimus sextus. Tranquilla satis vidit tempora: nam pax iam erat ecclesiæ ab Imperatoribus, pax ab execrationibus, quæ superioribus fulminabãtur ab vrbe Roma. Rediit ecclesia in possessionem libertatis suæ, vt iuxta prima tempora vacantibus ecclesiis prouiderent per electionem capitula: sed eam libertatem coangustarunt Romani pontifices per multas reseruationes, per confirmationes quas sibi solis attraxerant, quum antè permitterentur Metropolitanis, cuiq; in sua prouincia. Pium est credere, diuina dispensatione sic rem geri, quando caro & sanguis nimium imperitabat in archiepiscopis. Sed hæc non sunt nostræ disputationis. Mindensis autem iste pontifex nihil habet memorabile, nisi quòd in diebus eius fratres Minores impetrarunt locum in oppido Hannouer: quod ipsum rebus illius est impertinens, solum tamen in annali commemoratum. Excessit autem iste pontifex rebus humanis quarto Calend. Iunij, anno Christi nonagesimo quinto, in die Marcellini & Petri, quum annos tredecim habuisset in Pontificio. Cap. 59.

# ALBERTI KRANTZII
## METROPOLIS, LIB. IX.

SVMMORVM catalogum pontificum, ad Gregorium vsque septimum productum, nunc prosequamur, quia pertinet nõ mediocriter ad sacræ religionis, quam potissimum in hoc opere exequimur, illustrationem. Seponimus autem hanc commemorationem, quia factu protinus impossibile est, nostrorum pontificum in hac prouincia annos & tempora aptare Romanorum pontificum temporibus, agente nostrorum annalium semipleno, imò nulla ex parte plena rerum commemoratione. Non tempora, non res gestas commemorant: solis nominibus & origine natalium commemorata, sepe- Cap. I. historiæ prima lex.

liunt cætera. Difficile est in ea scribere materia, quando diuinare non licet, & lex prima historiæ sit veritas.

166. VICTOR tertius, antè vocatus Desiderius, abbas Cassinensis, pontifex substituitur Gregorio septimo, difficili vtriq; tẽpore, sub Henrico Imperatore quarto. Gregorij successor, Gregorij partes defendit in antipapam: sed nõ erat diuturnus eius pontificatus. nam anno secundo, non sine suspicione dati veneni moritur. alij dysenteria periisse testantur, quod ipsum non est alienum à suspicione dati veneni.

167. VRBANVS secundus, ex monacho cardinalis Hostiensis, inde Papa creatur. Exagitatus factione Henrici Imperatoris in vrbe, primùm Melphim se contulit, concilium habiturus: sed quoniam non omnia ibi tuta videbantur, Placentiam concessit, ibiq; multa reformauit. Inde in Gallias Claromontem venit. Ibi omniũ rem maximam aggressus in concilio, animauit ingentem principum, nobilium, militum, populi multitudinem, ad recuperationem terræ sanctæ. Moritur anno duodecimo pontificatus, in domo Petri Leonis.

168. PASCHALIS secundus, natione Italus, ex monacho presbyter cardinalis sancti Clementis, ab Vrbano creatur: ibiq; latitans, nihil minùs cogitans, rapitur ad pontificatũ à clero. pontifex factus, ab Henrico quinto malè tractatur. Concilio tamẽ congregato, reparat per metum malè gesta: diuq; luctatus cum antipapis & cum hostibus ecclesiæ, triũphauit. octauodecimo pontificij anno, cõcessit ad superos.

169. GELASIVS secundus, monachus & ipse anteà, cardinalis creatur, nobili genere, virtute meliore. qui in ea perturbatione pontifex creatur, quum Cintius Romanus ciuis, ex suis cardinalibus pontificẽ vellet. Capitur, in carcerem truditur: sed Romanus populus non tulit iniuriam: mox ereptũ iubet consecrari. Ille profectus in Gallias, Cluniacũ venit: ibiq; moriens, anno primo necdum exacto, tumulatur.

170. CALIXTVS secundus, natione Burgundus, nobili genere, regum Angliæ Franciæq; sanguinem, & nonnullorum Germaniæ principum tangebat. Cluniaci à cardinalibus qui aderant eligitur: nec tamen ante sumpsit habitum pontificium, quàm ab aliis in vrbe & Italia electio probaretur. Pacem composuit cum Henrico quinto. Concilium celebrauit, in quo multa constituit salutaria. Annos quinq; in pontificatu egit: febre sublatus ex labore itineris, Romæ moritur.

171. HONORIVS secundus, Imolensi agro, non magno genere natus, sed magna virtute prædituS, cardinalis erat Hostiensis. Leo Frangepanis, cuius potentissimus cum populo, Saxonem cardinalem efflagitarunt S. Stephani. Perniciem exempli fugientes patres, ne ex sententia potentum crearent pontificem, virum potentem, sanctæ Anastasiæ cardinalem præ se tulerunt. Hoc ne fieret, Leo inclinauit ad Honorium, qui annis quinq; in pontificatu peractis, Romæ moritur.

172. INNOCENTIVS secundus, patria Romanus, vir magni animi, post quã pontificatum iniit, nihil duxit antiquius, quàm Rogerium Siculũ ex Normannis, qui se regem Italiæ diceret, reprimere. Eduxit exercitum, profligauit hostem: sed à superueniente cum exercitu filio capitur, à patre laxatur. Omnia præter regni titulũ impetrauit. Interim Petri Leonis filius papatum inuadit, spoliat ecclesiam, Rogerium coronat. Innocentius in Franciam concedit, ab Lothario Imperatore reducitur, concilium celebrat. Moritur decimo quarto anno.

173. CÆLESTINVS secundus, natione Tuscus, sancti Marci presbyter cardinalis, pontifex sine controuersia creatur: nec sensit in breui pontificatu vllam turbationem: nam quum vbique peste per omnem Italiam laboraretur, ipse pontificatus sui mense quinto moritur, ac in Lateranensi ecclesia sepelitur.

174. LVCIVS secundus, patria Bononiensis, cardinalis sanctæ Crucis in Hierusalem, pontifex creatur post Innocentium, cuius tempore nuncius venit laborantis reipublicæ in Asia. Pontifex ergò nulla interposita mora, expeditionem nouam solicitat, & supplementa exercituum: inq; eo dum solicitè immoratur, pontificatus sui mense vndecimo, finem viuendi fecit.

175. EVGENIVS tertius, Pisanus origine, monachus pridem sancti Bernardi, sancti Anastasij abbas, maiori sanctitatis amore, quàm rerum gerendarum peritia, patribus allectus: ita tamen gerebat, vt nemo quereretur. Quum intelligeret Romanos

nos poſcere quod non daret, clàm abit: reuerſus, quum nihil timeret, ſenſit malignari: delabitur Tyberi, petitus armis, venit Piſas, inde in Franciam, cum Bernardo ſuo loquitur: ambo armant regem Franciæ. Reuertitur Romam: & multis benè compoſitis, moritur pontificatus anno octauo.

ANASTASIVS quartus, patria Romanus, ex abbate ſancti Ruffi cardinalis, in- 176.
de factus pontifex, ædes pulcherrimas in vrbe ad Pantheon extruxit: plura in vrbe Roma moliturus præclara, ſi longior illi vita fuiſſet. Nam pontificatus ſui anno ſecundo, vitam cum morte commutauit.

HADRIANVS quartus, natione Anglicus, Albanus cardinalis epiſcopus, à 177.
præceſſore in Norwagiam mittitur, vt ibi rem eccleſiaſticam componeret. Reuerſus, pontifex creatur. Vrgent Romani, vt conſules authorizet, renititur, cardinalis armis impetitur. Roma ſupponitur interdicto. Propinquabat Paſcha, populus paret pontifici, conſecratur: Paſcha celebrat, conſul abrogat poteſtatem. Coguntur ad omnia parere, pulſis tumultuantibus. Anno quarto bene geſti pontificatus, Romæ moritur.

ALEXANDER tertius, patria Senenſis (alij ferunt Mediolanenſem) maiori 178.
parte cardinalium pontifex creatur. Octauianus quidam à minori parte electus, ſuffragia quærit Imperatoris Friderici primi, qui velut obedienti inhæret, oppoſitus Alexandro. Continuato ſchiſmate, tres poſt inuicem creat antipapas, Romam educit exercitum. Fugit papa Venetias clam: ibi agnitus, honoratur, rependit vicem, ibi pax componitur. Pontifex regreditur, concilium agens. Vigeſimo primo anno pontificatus moritur Romæ.

LVCIVS tertius, Lucenſis, poſt Alexandrum papa eligitur. Laborat conſuli- 179.
bus, qui per Alexandri turbata tempora in oleuerant, deſtituendis: illi vrbe pellunt pontificem. Conceſſit Veronam, ibi concilium habiturus ad ſuccurrendum terræ ſanctæ laboranti. Patriæ conſuluit obtentu Friderici, cum quo illi pax erat, vt Heturia non alia quàm Lucenſi moneta vteretur. Dum nuncij pro concilio eunt & redeunt, ille moritur, anno pontificatus quarto, Veronæ ſepultus.

VRBANVS tertius, Mediolanenſis, pontifex creatur, eodem feruore inſiſtens, 180.
vt rebus Aſiaticis ſuccurreretur. Quumq; principes Chriſtianos diſſidentes videret, de pace reformanda egit, vt expeditio in Aſiam procederet. Audit in dies res fieri deteriores, Saladino vbiq; triumphante. Audiuit iterum captam Hieroſolymam: & erat in itinere ad Venetias. In Francia ad dolorem corporis acceſſit angor animi. Ibiq; moritur anno primo, necdum expleto.

GREGORIVS octauus, patria Beneuentanus, nihil cedens prædeceſſori- 181.
bus animi feruore, ad recuperandam Hieroſolymam eò contenderat cunctis viribus, vt expeditio acceleraretur. Qua de re Piſas proficiſcitur, inter ciues illos & Genuenſes grauiſſimè diſſidentes, pacem reformaturus, vt vno animo nauigarent in Sarracenos. Dum hæc molitur, nondum expletis duobus in pontificatu menſibus, moritur.

CLEMENS tertius, patria Romanus, nihil ſegnior cæteris, principes anima- 182.
uit ad expeditionem. Signari ſe paſſi ſunt Fridericus Imperator, Philippus Franciæ, Richardus Angliæ reges, Odo dux Burgundiæ. Magnis agminibus cò conten derunt. Sed Fridericus Imperator terram ſanctam non tetigit, merſus in Armenia. Ex Dania & Flandria multi acceſſere, ſed nihil magnum peregerunt. Clemens ædificato ſancti Laurentij foris monaſterio, & reparatis ædibus Lateranis, moritur Romæ, pontificatus anno tertio.

CÆLESTINVS tertius, patria Romanus, Hyacinthus antè dictus, vir annis & 183.
moribus grauis, nihil omiſit quod ad ſuccurrendum rei Chriſtianæ in Aſia perti-
neret, Henricum Friderici filium coronauit. Ædes pulcherrimas, & in Laterano, & apud ſanctum Petrũ, pro recipiendis pontificibus extruxit, & exornauit. Viterbio eccleſiam dedit cathedralem. moritur Romæ anno ſui pontificatus ſexto, magno ſui deſiderio apud bonos omnes relicto.

INNOCENTIVS tertius, natione Campanus, Anagninus ex comitibus, pon 184.
tificatum iniit. Dum audit rem Chriſtianam in Aſia attenuari, Sarracenorum cre-

scere, Concilium maximum congregauit Lateranum. Ibi multa constituta, quæ hodie extant in corpore iuris. Hospitale in Saxia constr uxit, quòd quartus Sixtus renouauit. Turrim ad forum Neruæ comitum erexit. Laudabilia multa scripsit, multa constituit. Ottonem quartum defendit in Imperio. Anno decimo octauo moritur Romæ, cum luctu multorum.

185. HONORIVS tertius, patria Romanus, inito pontificatu Perusij, quum Cardinales inclusi celerarentur subtractione ciborum, honestissima vi, accelerare electionem, Romam proficiscitur, quoad potuit, Asianæ rei consuluit. Fridericum secundum contra Ottonem coronauit. Ordines Minorum & Prædicatorum confirmauit. Ioannem de Columna cardinalem legatum rebus Asianis præfecit. Imperatorem Constantinopolitanum in basilica Laurentij cum coniuge coronauit. Moritur pontificatus sui anno decimo.

186. GREGORIVS nonus, Innocentij tertij nepos, Anagninus ex comitibus, cum Friderico secundo luctamen habuit: monuitq; vt in terram sanctam, quod pollicitus erat, properaret. Instituit, edixit, nauigrauit: sed statim iter reflexit: tergiuersan tem excommunicauit, anathematizauit, deposuit. Franciscum & Dominicum in sanctos retulit. Opus Decretalium publicauit. Et multa cõstituens, reparans, ædificans, decimo quarto pontificatus sui anno, Romæ diem suum obiit.

*Decretalium opus.*

187. CÆLESTINVS quartus, Mediolanensis, ex nobili genere, vir senex, pontificatum iniit, quum Fridericus secundus omnia turbaret, obseruatis itineribus terra mariq; euntes Romam cardinales, archiepiscopos, prælatos teneret, & vinciret in carcere. Sed vir grandæuus tantis molestiis non diu suffecit, intra primum mensem Romæ diem obiit. Vacauit sedes, ob multorum cardinalium in carcere agentium absentiam, penè annos duos, quum eligi non paterentur.

188. INNOCENTIVS quartus, patria Genuensis, nobilis ex comitibus Lauaniæ creatur, Friderico non gaudente, quum sciret viri acrimoniam: quum diceret, ex amico cardinale factum acerrimum in pontificatu hostem. Conatur pacem reformare, comperit insidias, nauigat Genuam, elapsus, contendit in Gallias. Lugduni concilium agit: ibi multa scribit, nouem annis moratus. Excecratur Fridericum, reuertitur Romam, & anno vndecimo pontificatus finem viuendi facit.

189. ALEXANDER quartus, Campanus, ex cardinali Hostiensi, Neapoli (vbi Innocentius moritur, & sepelitur à cardinalibus, expeditionem pontificis in Manfredum Friderici filium secutis) creatur pontifex. Excommunicauit Manfredum. Damnat libros contra paupertatem. Claram inter sanctos refert. Pacem inter Venetos & Genuenses Viterbij componere annisus, ita vexatur, vt ibi finem viuendi fecerit: ibi tumulatus, anno pontificatus sui septimo.

190. VRBANVS quartus, natione Gallicus, Trecensis, patriarcha Hierosolymitanus, humili genere, quod exprobranti cuidam respondit: Magnos viros non nasci, sed virtute fieri. Festum corporis Christi instituit. Regem Franciæ armauit in terram sanctam: cumq; omnia circunspiceret, quæ Christianæ reipublicæ conducerent, in ipso magnarum rerum conatu, anno pontificatus sui tertio, moritur Perusij, & in maiori ecclesia ibidem sepelitur.

*Verè & laudabiliter dictum.*

191. CLEMENS quartus, natione Gallicus, Guido Fulcodij, aduocatus consistorialis in Francia, ex vxore duas filias sustulit: inde Narbonẽsis archiepiscopus, postea Sabinensis cardinalis, inde pontifex creatur. Filiarum alteram in monasteriũ collocauit, triginta libras paruorum Turonensium dedit: alteram maritauit, dos erat CCC. libræ Turonensium. Ne quid vltrà expectaret, constituit. nepotem ex tribus Præbendis vnam, quam solam retineret, eligere curauit: addens, non sanguini, sed virtuti studendum. Anno quarto moritur. Viterbij sepelitur.

192. GREGORIVS decimus, patria Placentinus, à vicecomitum familia tum Mediolano pulsa. Laudensis archidiaconus tum egit in Asia, & absens creatur Viterbij pontifex, fratrum discordia. Venit, pontificatum iniit, pacem componit inter Venetos & Genuenses. Lugduni concilium celebrat. Rodulphum Imperatorem approbat. Alphonsum Castellæ regem placat, vt iuri cedat. Aretij ex itinere moritur, anno quarto pontificatus. Romam pontifex nunquàm vidit.

INNO-

INNOCENTIVS quintus, natione Burgundus, ordine monachus Prædica- 193
tor. Insignis theologus, dictus antèà Petrus de Tarantasia, primꝰ ex fratrib. ad pon
tificatum peruenit, creatus à cardinalibus Aretii, quum duraret vetus simultas, ne
ex collegio quisquam crearetur. Vix mensibus sex præfuit, Laterani mortuus, ibi-
que sepultus.

HADRIANVS quintus, Genuensis, ex gente Flisca, comitibus Lauaniæ, ne- 194
pos quarti Innocentii, cardinalis pridem sancti Hadriani, assumitur pontifex. Iam
Carolus Gallus Siciliæ rex, potentiam auxerat per Italiam. Non venit in Italiam, vt
est pollicitus, Rodolphus: igitur vt eius potentiam minueret, descēdit Viterbium:
ibique intra paucos dies vitam finiuit, mense secundo ab assumptione sua, sepeli-
turque apud fratres Minores.

IOANNES vigesimus primus, natione Vlysbonēsis, professione medicus, Tu- 195
sculanus episcopus, cardinalis, pontifex creatur: sed medicinæ quàm rerum in ec-
clesia & orbe Christiano peritior habebatur. Monuit tamen Imperatorem Orien-
tis super vnione promissa. Veneti tum Anconitanos fatigauere bello. Ioannes ca-
meram renouaturus, ruinis opprimitur, mense octauo pontificatus, Viterbii.

NICOLAVS tertius, Romanus, gente Vrsina, Ioannes Caietanus antè voca- 196
tus, præfuit conclaui Romæ Carolus rex, qui voluit Gallicum pontificem, vnde e-
lectio in quintum mensem differtur, odio in se omnium perinde concitato. Factus
pontifex, eius minuendæ potētiæ, instituit cardinales suæ gentis. Misit legatos per
Italiam, vt Romandiolam ecclesiæ recuperarent, vt Tusciam componerent, Caro
lo vbiq; aduersati. Multa struxit, ornauit in vrbe: plura facturus, si longior vita fuis-
set. nam anno tertio defecit.

MARTINVS quartus, Gallicus natione, patria Narbonensis, pontifex crea- 197
tus, Carolum regem ad se gratulatum venientem restituit dignitati, qua illum Ni-
colaus priuauit. Aberant cardinales Vrsini, alioqui Gallici non superassent. Dilata
erat electio in sextum mensem. Vrbem veterem inhabitauit, Viterbium vitauit, q;
sacris esset interdictum. Pontifex erat vita & mente sanctissimus, quarto anno Pe-
rusii moritur, miraculis ad tumulum eius crebrescentibus.

HONORIVS quartus, Romanus, gente Sabella, Perusii creatur pontifex, q; 198
diutina vacatio, pernicioſa esset ecclesiæ. Pontifex optimus, qui Gallicis regibus
fauit. Habitauit Romæ in Auentino, eius ædes corruere videntur. Carmelitas mul
torum odio laborantes defendit. mutauit atrum exteriorem habitum, in candidū,
cæteris mendicantibus æquauit. Moritur Romę anno pontificatus sui secundo, se-
pelitur apud sanctum Petrum marmoreo tumulo.

NICOLAVS quartus, natione Picenus, ordine Minor, presbyter cardinalis, 199
Hieronymus antè vocatus, decimo mense pontifex creatur: quum iterùm cardi-
nales non vnum sentirēt, frater tulit papatum. Apud Mariam maiorem habitabat,
omnium ordinum cardinales cooptabat. Tripolis eius tempore in Asia amittitur,
& in Italia multa vidit aduersa. Fabula de illo mirabilis remansit, quòd exauthora-
uerit omnes cardinales, & fratres sui ordinis substituerit: sed ego relinquo in me-
dio. Moritur anno quarto.

CÆLESTINVS quintus, antè Petrus Morouicus, ex anachoreta, quum sedes 200
discordia fratrum vacasset biennio, instante Carolo rege, pontifex creatur. Seruā-
uit pristinum vitæ tenorem. Eius incuria multa fiunt exorbitantia, quòd auari & su
perbi, simplicitatem eius contemnerent. Induxit in animum renunciare. Carolus
auertit: sed Benedictus Caietanus apud eum prævaluit. Renunciauit in cœtu car-
dinalium: & quum redire ad solitudinem præpararet, capitur à successore, & serua
tur in arce, non diu superuiuens.

BONIFACIVS octauus, patria Anagninus, vir doctus & animosus, pontifex 201
creatur. Iste regna & imperia esse in sua manu arbitratus, duos gladios se habere ia
ctabat. Regem Franciæ destituit: Albertum Imperatorem non aliter confirmauit,
quàm vt Franciam occuparet. Iubileum primus instituit, anno millesimo trecente
simo, qui inde variatus est à successorib. Captus inde Anagniç in paternis ædibus, à
Columnensib. Romā ducitur: ibi dolore animi moritur, anno octauo pontificatus.

202 BENEDICTVS vndecimus, natione Taruisinus, religione ordinis Prædicatorum, cardinalis Hostiensis, Perusii, quò cardinales securitatis gratia conuenerãt, pontifex creatur. Errata Bonifacii in rege Franciæ, in Columnensibus emẽdauit: cardinales duos de Columna restituit. Moritur Perusij, pontificatus sui mense octauo, sepultus apud fratres suos.

203 CLEMENS quintus, natione Vasco, Burdegalensis episcopus, quum vrgerẽt Perusini, creatur absens pontifex. Electionis accepto decreto, Lugdunum concessit, cardinales ad se vocat: sic in alterum annum res defertur, priusquàm nomẽ Clementis, & consecrationem pontificiam acciperet. Quæ fuit curiæ in Franciam ommodo tranſlatio per annos septuaginta quatuor. Creauit ex Gallis cardinales, vt rem Gallicam roboraret. Concilium celebrauit, anno põtificatus octauo moritur.

204 IOANNES vigesimus secundus, natione Gallus, episcopus Portuensis, cardinalis, Lugduni post longam viginti trium cardinalium cõtentionem, creatur pontifex, quum duobus annis vacasset: & nisi Pictauiensis comes, frater regis, incluſos cardinales coarctasset, diutiùs sedes vacasset. Tholosatiam ecclesiam fecit metropoliticam, Ludouicum Bauarum pro Imperatore se gerentem exauthorauit. Multa declarauit, ad nonagesimum annum peruenit, & pontificatus sui decimo nono Auinione moriens.

205 BENEDICTVS duodecimus, patria Tholosanus, professione monachus Cistertiensis, papa creatur Auinione, qui sententias prædecessorum in Ludouicũ confirmauit. Tum verò Italiæ populi se in libertatem erexere, ecclesiæ prædia & domina inuasere, quum pontificem suis abactum ceruicibus cernerent: sed immisitille duces, cardinales, reges. Septimo anno moritur.

206 CLEMENS sextus, Gallus natione, ex monacho Rothomagẽsis archiepiscopus, inde pontifex creatur: qui in contumeliam Ludouici Bauari creat vicecomites Imperii vicarios. vicissim Ludouicus Imperator in ecclesiæ ditione vicarios creat Imperii. Ita Malatestæ, Feretani, Vrbini ecclesiam vexauerunt. Tum scriba Romæ potentiam assecutus, fugit tamen mutata veste, & præsentatus est pontifici. Iste mutauit lubileum in quinquagesimum, & peruenit ad annum põtificatus decimum, & moritur.

207 INNOCENTIVS sextus, item Gallus, Lemouicensis iurisconsultissimus, ex aduocato episcopus Claromontanus, inde cardinalis, põtifex inde creatur: vir integerrimæ vitæ, iustitiæ tenax, & seueræ industriæ. Familiam & sumptus minuit, idẽ cardinalibus edixit. Legatum misit in Italiam, qui rem ecclesiæ curaret. Vita probatissimos præferebat in ecclesiis. Quumq; classem pararet in hostes Christiani nominis, anno pontificatus sui nono moritur: & apud Carthusienses, quos prope Auinionem instituit, sepelitur.

208 VRBANVS quintus, & ipse Lemouicensis, abbas Massiliensis, creatur absens in legatione pontifex. Confirmat legatum Italiæ. Ipse pontifex in Italiam descendit, Romam petit, Apostolorum capita apud Lateranum includit. Palatia in vrbe veteri, monte Falisco constituit. Reducendæ in vrbem curiæ spe facta, reuertsus in Galliam, præficit legionibus hominem Anglicum, carcere liberatum. Reuersus, apud Massiliam anno pontificatus octauo moritur.

209 GREGORIVS vndecimus, & ipse Lemouicensis, Mariæ nouæ diaconus, cardinalis, Auinione pontifex creatur, nepos Clementis VI. In adolescentia versatus in Italia sub Baldo præceptore, considerauit rem ecclesiasticam nulla re meliùs, quàm curiæ in vrbem reductione, posse componere. Accessit episcopi cuiusdam admonitio, quem, cur apud ecclesiam suam non esset, quum corriperet: audiuit, Et tu cur non apud tuam? Clàm igitur Gallis, profectionem, vt potuit, habuit: & peruenit in vrbem. moritur Romæ, pontificatus sui anno octauo.

210 VRBANVS sextus, Neapolitanus, antè Bartholomæus, archiepiscopus Batensis, Romæ creatur, ob impressionem (vt Galli ferebant) Romanorum: vir sæuus, crudelis, inexorabilis. Multos creauit sui sanguinis cardinales, veteres in carcere malè habuit, nonnullos necauit: & per omnem fæuitiam res administrauit ecclesiæ. Pontificatus infeliciter gesti anno vndecimo, Romæ moritur.

CLE-

CLEMENS septimus, Gallicus, à Gallicis cardinalib. peſſimo ſchiſmate creatur, quum dicerent aliam electionem non fuiſſe liberam, & perinde illegitimam: & cum ſuo idolo in Gallias redierunt, vbi ſummus pontifex à Gallis adoratur, gratulantibus illis, quòd pontificem recepiſſent. Peruenit autem viuendo ad annum decimum quintum. 211

BONIFACIVS nonus, in ſchiſmate ſubſtitutus Romæ Vrbano, patria Neapolitanus, ætate iuuenis, vix trigeſimum peregit annum. Iratus Romanis diù ſedit in Aſſiſio: fatigatus Romanorum precibus rediit: & iugum illis, quale à ſeculo non habebant, impoſuit, omnia iura in ſe reuocans. Celebrauit Iubileũ milleſimo quadringentеſimo anno, peruenit ad annum decimum quartum pontificatus. 212 1400.

BENEDICTVS decimus tertius, Petrus de Luna vocatus, in ſchiſmate ſubſtituitur Auinione Clementi, perduravit vſque ad tempus concilii Conſtantienſis, inq; eo authorizando variauit: finaliter obdurauit, deſtitutus in eodem, & in pertinacia ſua permanſit idolum cum idolis cardinalibus, qui etiam poſt ipſum tentarunt ſchiſma continuare, ſed prohibiti ſunt. 213

INNOCENTIVS ſeptimus, patria Sulmonenſis, Coſmarus antè vocatus, ſanctæ Crucis presbyter cardinalis, Romę pontifex creatur poſt nonum Bonifacium. Vir grandæuus, experientia multa edoctus: ſed tamen, quod in prædeceſſorib. carpebat, ipſe faciebat, de vnione non paſſus audire. Sæuiit in Romanos, illi viciſſim in ſuos. Moritur Romæ pontificatus anno ſecundo. 214

GREGORIVS duodecimus, Romæ in locum demortui Innocentii creatur, Venetus genere, dum Benedictus in Galliis ageret pontificatum. Is conciliũ Conſtantienſe approbauit: priùs tamen miſſis nunciis, pontifices cohortabantur ſe ad vnionem. Tum de loco quærebatur: ſed inuenta eſt mera colluſio, quum neuter cedere vellet: quapropter in concilio Piſano tertius eligebatur, iſte tamen poſteà renunciauit in concilio Conſtantienſi. 215

ALEXANDER quintus, Cretenſis, ordine Minor, Petrus de Candia dictus, Piſis creatur, quum eſſet archiepiſcopus Mediolanenſis, & facti ſunt tres põtifices. Vir iſte grandæuus, deplorabat ſortem ſuam, dies epiſcopus, pauper cardinalis, mendicus pontifex: vix annum impleuit, & mortuus eſt Bononiæ, tumulatus in conuentu fratrum Minorum. 216

IOANNES vigeſimus tertius, patria Neapolitanus, Balthaſar Coſſa, ſubſtituitur Alexandro, vir ſeculari imperio, quàm pontificio, promptior. Sunt qui per ſuorum militum impreſſionem tradant factum pontificem, quum eſſet legatus Bononienſis. Iam tres erant ſummi pontifices. Concilium Conſtantienſe approbatur, in quo renunciari facit Gregorius, & manet cardinalis legatus. Ioannes veniens tergiuerſatur, & clàm abit. Captus deponitur, & Benedictus deſtituitur. Ioannes carcere elapſus, Florentiam venit, & in domo Coſmæ de Medicibus moritur. 217

VERDENSIS eccleſiæ habita eſt mentio, in commemoratione rerum ab Ioanne Bremenſi archiepiſcopo geſtarum, cuius proximè meminimus: ideò de Verdenſi nobis epiſcopo proximè agendum. Præfuit autem illi eccleſiæ per ea tempora, anni milleſimi trecẽteſimi & deinceps, Nicolaus, vir inſignis, vndecunq; natus: hoc enim annales non memorant. Præerat autem annis viginti vir magnæ prouidentiæ, ſiue congregandi, ſiue ædificandi, ſiue aliàs vtiliter impendendi habeas rationem. Prædia quæ prædeceſſor eius obliguarit, iſte redemit: agros reddidit ad culturam, qui diù iacebant inculti: arcem Rodenborck à fundamentis renouauit, turrim in ea firmauit, muro valloq; cinxit. Bona quæ pridem Waldemarus marchio Brandenburgenſis ab eccleſia in feudum tenuit, per eius mortem vacantia, quum prolem non relinqueret, contulit Ottoni duci Luneburgenſi, vt haberet eccleſia defenſorem, qui opportuno tempore gladium vibraret. Iſte ergo, quia pacificus erat, nummoſus euaſit: pacẽ quam glàdio comparare non potuit, pecunia indeptus eſt. Iſte primus celebrauit diuinum officium in eccleſia noua Verdenſi die natiuitatis Mariæ, quum ad illum diem anni vigeſimi tertii poſt M CCC. renouata, necdũ eſſet conſecrata. Fames valida & annonæ caritas tum afflixit has prouincias, per annos continuatos ferè nouem. Terribilis cometa cœlum contriſtauit per Decem- CAP. 2. Comitã qua ſubjecuta.

brem anni decimi quinti post millesimum trecentesimum, & subsecuta est maxima hominum iumentorumq; mortalitas. Bonus autem iste pontifex quum iam ad capulum peruenisset, in lecto suæ ægritudinis cōtulit fratribus pro sui memoria largam in auro benedictionem. Sæuiit fames, quam diximus, vsq; adeò, vt multa hominum millia perirent: periissentq; plures in diœcesi Bremensi, nisi vir magnarum virtutum Ioannes Bock, ecclesiæ Bremensis decanus, largissimas fecisset eleemosynas in granis & farina, dudū in eos casus collectis. Erogabat ille largissimè. Quū admoneret familia parum superesse, quod propriis necessitatibus vix sufficeret ad dies paucos: Ite, inquit, donate, perquirite angulos omnes diligenter. Illi autem pridem vacuata vasa relinquentes, vbi redierunt ad iussum domini, plena omnia repererunt: stupefacti, renunciant. Ille iubet largiùs erogari: Scio, inquiens, beatum Petrum non deserturū suos, cui dictum est à Domino: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Ferunt eundem virum in publica processione ecclesiæ, die Victoris martyris, vidisse militem in ecclesiæ medio insignem, ignotum, veste præclara: decanum sacris indutum, qui diuinum esset facturus ad aram ministerium, interpellasse diaconum, atq; subdiaconum sibi assistentes, si cernerent illustrem virum non longè stantem. Illi se non videre testantur. Tum decanus egressus stationis locum, solus, miranti-bus cunctis quid sibi vellet rei nouitas, adibat, quem solus ille videbat. Rogat, dignetur panem in sua mensa, quem apostolus Petrus submin istraret, manducare. Ille se plurimum excusat, quòd adesse non possit. Scisciatur decanus, accepta fiducia, quod sit illi nomen. Ille se Victorē esse, cuius festum coleretur, respondit. Quūque decanus in genua volueretur, disparuit. Vidit, & mirata est vniuersa cleri populiq; multitudo egredientem loco suo decanum, adiisse quem ipsi non viderant: procumbentem autem in genua viderant, & mirati sunt. Tum adorientes hominē ex commodo, qui ei erant familiares, rogant, dignetur exponere quid viderit, egerit. Ille gloriam Dei cum magna humiliate pandit. Ita necdum illo tempore defecit sanctus in ecclesia Bremensi. Fuisse tamen qui calumniarentur, & obloquerentur, tanquā moti capitis homini, phantasticum aliquid & insaniæ simile sit visum, non ambigo. Sed ita viuitur, vt improbi faciliùs contemnant, quàm venerētur, homines Deo deditissimos. Sed hæc interim.

*Fame multa millia hominum perierunt.*

*Miraculum.*

*Visio.*

*Imò Christus, qui vera est petra.*

CAP. 3. HILDESEMENSI autem ecclesiæ per ea tempora præfuit vir insignis, Henricus, natus ex comitibus de Woldenborge, qui comitatum de Dassel coniunxit ecclesiæ suæ, quum deficerent hæredes & legitimi successores. Præerat tum in Imperio Henricus de Lutzelborg comes, vir insignis, apud quem facilè fuit præuenientem obtinere quod vellet. Eius quoq; insigne est memoriale, quòd arcem fundaueritad mœnia Hildesem: eiúe indidit nomen congruum ad causam, propter quam erigebatur, appellauit *Sturewold*, Compescevim improbam. Extruxit quoq; præsidium in loco, quem vocant Tergora canis. Quo tempore ciuitas Bremensis versa est in miserum nimis tumultum. Nam pars consularium in vrbe virorum diuitiis insolescens, alebat audaciam iuuenum, vt impunè quodlibet per libidinem peragerent, homicidia, stupra, adulteria, tumultuationes, administrationem Reipublicæ inter se potentes in vrbe familiæ alternabant, omissis à consilio bonis viris, quos libidini suæ videbant aduersaturos. Ita renouato ex more per singulos annos ciuitatis publico consilio, quos sibi morigeros credidere, assumpserant, aliis omissis. Per eam opulentorum in vrbe impotentiam (vnde nascitur insolentia) & iuuenum diu alitam violentam audaciam, quum virum quendam consulārē factioni suæ aduersantem, iuuenes patricii opprimerent domi suæ, excita ciuium multitudo, cum nonnullis viris consularibus ad arma conuolant. Violenti, qui sibi malè conscii erant de patrato facinore, cum vxoribus & liberis fugam inierunt. Nemini præclusus est abitus, ita purgata ciuitate insolentissimis hominibus, magno numero proscripti sunt omnes. Illi inuocato primùm duce Luneburgensi, magnam substantiæ suæ partem impenderunt, vt reducerentur in vrbem. Dux aliquot vicibus productis armis, nihil de reducendis perfecit. Illi ad terræ militares conuersi exules, illos pro auxilio implorabant. Ibi quoque multarum rerum impendia frustra perdiderunt. Frustrati vbiq;, tandem ad inopiam rediguntur ferè omnes exulantes,

*Seditio ex opulentorum impotentia orta.*

tes, pauperati, qui illis inhæsere ministeriales, exinaniti exules: ærarium quoq; ciuitatis alterna molestatione est exhaustum. ad extremum, quum vndiq; fatigati essent, vtrinq; dissidentes: res finali transactione est sedata, vt euersa fortalicia militarium, non erigerentur denuò. Ciues multis agris villisq; nudati, damna non modica perpetiuntur: sed tamen priuatorum opes facilè reparabantur in terra vberi, magnis tum mercaturis ad mare decurrentibus, quum eorum cereuisia de longè peteretur. Sed incuria eorum fecit, vt Hamburgensium ac Wismarienſium cocti ad potum liquores, paulatim excluderent Bremenſem. Hęc tum post milleſimum trecenteſimum proximis annis ita compoſita ſunt. Extant literæ tranſactionis: ſtipem annalem ciuitas erogat in memoriam victoriæ, quam ſe iactat retuliſſe de terrę miniſterialibus, quos nunc vocant militares. Sed Henricus epiſcopus Hildeſemẽſis, poſt annos ſeptem ſuæ adminiſtrationis, in qua ſibi non omnimoda quies fuit, erigenti præſidiũ in conſpectum ciuium ſuorũ, relicto mundo, conceſſit ex mortalib. *Cereuiſia Bremenſis.*

MAGDEBVRGENSI eccleſiæ tum vacanti præficitur vir inſignis, Burchardus, ex comitibus de Schrapelow, infauſtus pontifex: in quo atrociſſimam immanitatem & barbariem infinitam exercuerant, teſtimonium habẽtes ſempiternum immaniſſimæ ac beluinæ feritatis ſuæ. Annis nouẽdecim præſuit eccleſiæ, ſolicitè prouidens, ne quid detrimenti caperet res eccleſiaſtica: ſimul etiam procuràs, vt temporalia non deficerent. Quà in re obuios ſemper habuit ciues Magdeburgenſes, qui neſcio quid iuris, immunitatis aut libertatis prætenderent, quod illis archiepiſcopus non permitteret, perpetuo cum illo laborabant diſſidio. Nouas, vt ferebãt, impoſitiones conſtituit, cenſibus, tributis & oneris prægrauatis. Obſederat vrbẽ, armis fretus Miſnenſium. Ciues nihil mouebantur, captum aliquando tenuerunt: ipſe, vt laxaretur, venerabili adhibito Sacramento, pollicitus eſt, ſe ad antiqua reda cturum omnia, demolitis quę in pręiudicium ciuitatis erexiſſet. Vi coactus videbatur, & iuſto metu, quæ obligationem tollerent. Nihil ergò promiſſorum impleuit, perſeueransq; inſectatus eſt ciues. Illi indurucrunt, creuit in immenſum inuidia. Armis diu diſſidebant: nunc hac, nunc illa parte conſtitit victoria. Pertæſum eſt vtrinq;. Interuenere ex ciuibus boni viri, quibus fidem habebat pontifex. Speraueре ex ſententia, ſi ex propinquo, omiſſis qui rem aut diſturbarent, aut diſturbatam tenerent, archiepiſcopus cum vrbicis tractaret, colloqueretur q;, omnem amaritudinem facilè eradicandam, & ad bonam intelligentiam eſſent perducendi. Credidit archiepiſcopus amicis, credidere illi ſimulatis conciuium verbis: falſi deceptique ſunt vtrinq;. Venit in vrbem, alloquitur, ciues ſua iura repoſcunt, demoliri quæ in ſe erexiſſet præſidia. Non tam benignè quàm ſperauerant reſpondit, vtpote adhuc rebus ad extrema diſtantibus. Paulatim ſe boni viri, qui aliud ſperabant, retraxere, ne pariter cum archiepiſcopo deſcenderent in periculũ. Nam vbi in vulgum manant conſilia, omnis ratio, omnis honeſtatis reſpectus eſt à tergo. Circumſeditur archiepiſcopus à ciuib. in domo ſua. Poſt aliquot dies capitur, diro carceri mancipatur. Ibi quum diù latuiſſet, ſedens in tenebris lucerna lucens, atrociſſimo ſcelere armantur ex Magdeburgo, Hallis, Calucn, vel ſorte quæſiti, vel temeritate pręcipui: & poſt multos dies ingreſſi carcerem, vinctum archiepiſcopum cinxere corona: & gyrantes, clauis, quas ſinguli gerebant, confixere. Simili erant habitu, capitibus operti, infernales laruæ, duriſſimum ſcelus in Chriſtum Domini, ſuum archiepiſcopum peregerunt. Iam penè in obliuionem venerat. Integro anno ita mactatum contabuit corpus, quum interim capitulum vel metu vel odio viri, vel, quod veri eſt ſimilius, expectantes atrociſſimi facinoris exitum, non poterant aliud exiſtimare, quàm quòd angerentur, quibus modis ab illo manus expediret. Quum interim diſſeminato rumore audiunt emortuum, procedunt admiſſi in carcerem: nulla penè remanſerant veſtigia archiepiſcopi, niſi quòd capitis raſura fuiſſe ponticem monſtrabat. Tumulatur, & ipſi ſcelerum authores vtroq; gladio per ſucceſſorem & omnes in circuitu principes, percelluntur. *Vulgus.* *Epiſcopus in carcere clauis confoditur.* CAP. 4.

PADERBVRNENSI verò eccleſiæ tum poſt Theodoricum præficitur Bernardus, eius nominis quintus, natus de Lippia: præfuitq; eccleſiæ per annos viginti, erat annus VI. Ludouici Bauari, hoc eſt Chriſti vigeſimus prim⁹ poſt M CCC. cui CAP. 5.

memorandi principes Romanæ ecclesiæ homagium præstitere, comes prouincialis Hassiæ, Landgrauium vocant, propter arcem *Schowenborg*, qum eius beneficio tenebat, arx quoq; *Dreidenborg*, & nemus *Reinerswalt* eiusdem iuris sunt, Henricus comes de *Waldegge*, Hermannus comes de *Euersten*, Guntherus comes de *Swalenberg*, comes de *Retberg*, comes de *Rauensberge*, & Bartoldus baro de *Buren*. Hic Bernardus dissidebat nonnullis ex capitibus à ciuibus suis. Obsedit eam ob rem ciuitatem, ne quid importaretur: sed interuenere tractatus vt placaretur: ciues illi argentum persoluere marcas cccc. laudum erat, cuius virtute & pax firma, & pecunia pontifici est adiudicata: & quia obscuritas in nonnullis capitibus non satis explanatis remansit, multi postea, & illius episcopi & sequentium temporibus, inie&ti sunt scrupuli, quæsitæ tergiuersationes in annos multos. Erat hic pontifex animo magnus, & in bello victoriosus. Erat familia magna, ministerialium de *Homelinge*, qui se armis ausi sunt obiectare pontifici, freti opibus & multitudine pugnantiũ. Progressus in eos pontifex, adeò confregit in acie, vt omnes penè caperet. Impleuit captis omnia latibula domorum suarum, turres, carceres, cellaria: & insigni emunctos argento, dimisit. Iste fundauit arcem *Dringenberch*, & prouentus antiquos domus *Driborch* eò transferebat. Arcem quoq; *Beueringe* idem firmauit, renouauitq; collapsa dudum fortalicia, vt essent sibi ac suis in hostes præsidia: peruenitq; viuendo, & ecclesiam suam fortissimè defensando, in annum Christi millesimum trecentesimum quadragesimum. Tum concessit è vita, vacuefaciens sedem successori, translatus ad vitam diuturniorem.

CAP. 6. MIMIGARDEVORDENSI, quæ est Monasterienſis, tum præerat ordine trigesimus secundus Euerhardus, cognomento de Deest: ministerialem arbitror familiam, vnde natus sit. Vir sine controuersia magnus, qui maiore nobilitate, quę multa circumsedit illam ecclesiam, contempta, ad episcopatum assumitur. Hic in rebus arduis vtranq; expertus est, vt de illo scribitur, fortunã: nec explicatur quid egerit, quidve passus sit, nisi quòd promptum est coniectare, rebus bellicis pro ecclesia implicitum, nunc victorem, nunc victum fuisse. Multa tum fuere in Christianissimo miranda. Imperator Romanus quum Italiam, à prædecessoribus suis penè pro derelicta habitam, inuiseret, quam neque Rodolphus Sueuus, neque Adolphus de Nassow, neq; Albertus Austrius Rodolphi filius, inuisere sunt dignati, potenter intrauit: inque ea magnas res gessit, adiutus partibus Gibellinorum, qui sub obtẽtu Imperii sua commoda procurauere. Infensus erat hic Imperator præcipuè Florentinis, quos parti suæ, hoc est, Gibellinis, cognouit magis aduersari. Vrgebat eos durissima obsidione per multum temp⁹: & propè erat vt fame edomiti, in eius iura cedere cogerẽtur: tum verò ad arma quæ pugnant in tenebris, veneno aggressi hominem, interemerunt: vt fertur, de manu eius, vnde minimè debuit formidare. Quum enim animæ saluti prospiceret, cibum pro Christiana religione capiens animæ salutarem, fertur pariter sumpsisse noxium ac lethale corpori venenũ. Eodem fermè tempore Templarii, qui se per Gallias & Hispanias diffuderant, postea quàm subacta Ptolemaida, sunt expulsi terra sancta, deprænsi in perfidia & execratione crucis Christi, exterminantur vno die, rebus antè præparatis per Clementem summum pontificem, apud reges Franciæ & Hispaniæ: alioqui multarum arcium & præsidiorum domini, non tam facilè poterant subuerti. Magister ordinis cum quibusdam præceptoribus ductus Parisiorum in vrbem, ibi igne est expertus vltorem. Non deerant, qui cum illis, & pro illis loquebantur, iniuriam illis irrogari, quòd arcibus & præsidiis multis, quę desiderarentur, pręessent. Sed cui potest verisimile videri, summum pontificem, & reges locupletissimos, non nisi euidentissimis rebus conuictos, perdere milites, qui titulum præferrent Christi?

*Hostia altaris venemo infecta Imp. porrigitur.*

CAP. 7. SVERINENSI autem ecclesiæ tum præerat vir insignis, Hermannus: cuius de natalibus quia nihil memoratur, virtuti aliquid adiicitur. Quem enim ad episcopatum natalia non commendant, virtus & industria prouehat necesse est. Sedit autem in annum octauum, à decimo quarto ad vigesimum secundum, excessitque rebus humanis in crastino Vdalrici. Quo tempore milites Hospitalarii, diui Ioannis titulo insignes, iam pulsi Asia, cogitarunt, qua in re Christiano nomini maximè

subsi-

subsidiarentur. Opportunam autem rebus gerēdis nacti occasionem, aggressi sunt omni quo poterant conatu Rhodum insulam, pulsis inde Turcis, qui tenuerant, occupare. Nihil tum à Christianis ex Asia profligatis Turci timuerunt: & ideò vbi se arbitrati sunt securos, primū sunt eiecti. Prosperis initiis succesſere duce Christo, meliores exitus. Vrbem communierunt, commeatibus & armis importatis, quòd insolam mari circumfluam, opportuno loco & Cypriis, & quicquid reliquum erat in oriente Christianitatis, ibi confederant, à Turcis & Sarracenis defendentes, quā semel tenuerant sedem, annis totis quinq; Sarracenorum Saldanus à mari vexabat insidentes, illi se fortiter sunt tutati: nec quieuere Turci, quatuor maximis bellis eā insulam infestantes: sed protegente Christo, illi hostibus sunt inuenti superiores, vsq; ad memoriam nostram, quo de prælio narrabitur suo tempore. Qui temporū seriem ordinat Deus, ita rem digessit, vt quum Templarii pro sua nequitia interirent, Ioannis milites succreſcerēt, non tunc primùm instituti, quippe qui diù Hierosolymis pugnabant: acceptis munificentia principum præsidiis Templariorum, opibus, viribus, & nomine sunt vehemēter adaucti, illorumq; virtute stetit in hunc diem Christianismus qualiscunque in Oriente: nimiùm minoratus ex eo tempore, quo Turcus Constantinopolitanum Imperium inuasit: quod suo tempore com memorabimus.

*Hospitalarii milites Turcos ex Rhodo eiiciunt insula.*

RACEBVRGENSI ecclesiæ per idem tempus præfuit insignis vir, Marquardus, cognomento Iesewen: ministerialis erat familia in terra Wittenborg. Iam langueſcebat prisca religio, &, vt fieri solet, cum religione decreſcit prouentus rerum temporalium. Ita vsu compertū est, vt vbi cultus supernæ maiestatis in precio est, omnia succedant abundanter: sed illa abundātia, nisi prospexeris, creſcit in luxum: ille antiquat religionem, prostrata religio facit pauperiem. Erant magnæ inter episcopum & capitulum, rursum inter præpositum & fratres controuersiæ, quibus sopiendis, quum nō posset aliter fieri, adhibitæ sunt personæ seculares, vt arbitri rem componerent. Erat ecclesia multo ære alieno grauata, nec erat alleuiandæ via, nisi exoneraret conuentum fratrib. Itaq; dispersi sunt per ecclesias, vt bini in *Loquisch* alerentur, bini in *Greuesmolen*, bini in *Slawesdorp*, tres de ecclesia sancti Petri in *Raceborg* viuerent, & de capella sancti Georgii in monte, & de capella in *Miestin*, qui interim de prouentibus monasterii, vt alleuiaretur, & æs alienum abiceretur, nihil acciperent. Quæ ex re si quid priscæ religionis remāsit, ex dispersione euanuit. Sed cum nec sic proficerēt, deterior ritus inoleuit, vt partitis in capita prouentib⁹, quisque sibi prospiceret de necessariis. Pessima inter fratres institutio, vnde omnis disciplina regularis auolauit. Instituit capitulum, vt quoniam foris ecclesia vexabatur, preces nonnullæ adderentur pro remedio. Sed si ad emendatiorem vitam perueniſſent, omnia facilè in salutem proueniſſent. Statuerunt tamen, vt omnes & singuli purè confeſſi & contriti, diebus Mercurii & Veneris vterentur ciliciis, sumerent humiliter disciplinam & correptionem corporalem. Hic pontifex in arce *Scenberge* construi mandauit refectorium æstiuum & brumale, cum penu rerū causa conseruandarum. Fecitq; quod potuit, rebus pro suo tempore meliorandis: appositus deinde ad patres suo in senectute bona.

CAP. 8.

*Ex abundātia pauperies.*

VERDENSEM ecclesiam per ea tempora tenebat Ioannes, vir insignis, medicinæ artis doctiſſimus: qui ecclesiam, vt coniectura assequor, non legitimæ via electionis, sed Apostolicæ prouisionis sit consecutus: quòd iam pontifices Romani in Galliis manentes, ecclesias Germaniæ, vt Galliarum, cœperunt conferre, contempto eligentium iure: sed magno vix labore recuperauit Germania ius liberæ electionis, nisi apud sedem eandem vacent ecclesiæ. Idem Ioannes, quum ei non omninò regio & ecclesia placeret, maiori assuetus splendori, rediit ad sedem Apostolicam, ibiq; permansit, donec transferretur ad ecclesiā Frisingensem, interim dum abesset, Verdensem ecclesiam ex eius commissione administrabat dominus Godfridus de *Werpe*, qui illā laudabiliter rexit, prudenter instituit, potenter defendit, communita arce Rodenburg, vt ex illa excursiones vicinorum, quales per absentiam fieri solent, prohiberet. Auxit etiam ecclesiæ prouentus: vt facilè intelligeretur, qualis ille futurus esset pontifex, si per electionem aut aliam prouisionem ad

CAP. 9.

eam peruenisset. Aduersus vicinos duces de Brunswico atque Luneburgo, crebrę huic Godfrido fuere de finibus ac de iure controuersiæ: sed nō defuit illi industria tuendæ ecclesię iura, quantùm pręualuit, aduersus potentiores. Hoc tempore quū Henricus Imperator ageret in Italia, filius eius Ioānes rex Bohemiæ per illum creatus, quòd filiam nouissimi regis teneret coniugem, vicariatum Imperii per Germaniam absente patre gerebat: & patre iam mortuo, vocatus in Italiam, venit cum exercitu, & ciuitates quæ patri parebant, aduersæ factionis incursionib. prohibebat. Magnas ibi res gerebat: filium Carolum postea Imperatorem, tum in primis armis agentem, sub se tolerare militiam perdocuit. Bello Gallico consumptus, quum iam cæcutisset in ætate vltima.

CAP. 10. MINDENSI interim ecclesiæ per ea tempora præfuit vir insignis, Ludolph⁹, cognomento de *Rostorpe*, genere natus militari, ordine pontificum eius ecclesię trigesimus septimus. Insigniuit sua tempora per victoriam quam habuit de hostibus. Erat ei bellum fortè de finibus aut iure quopiam, quod facilè consurgit inter viros militares, armis & rapinis assuetos. Prodierunt in aduersum ciues Mindenses, secuti dominum suum, vt par erat: iunxere agmina, occurrerunt hostibus, instructi ordinibus: illis quoq; non segniter in ordines redeuntibus, in loco qui dicitur *Sandfort*, ibi digladiantes, varia fortuna pugnauere diù. Cessit terga vertens, nobilis vir Simon, de Lippia dominus. quo declinante, cæteri animis cecidere. Qui potuere, in fugam vertuntur: inter alios Gerardus de Monte, a tergo visus, quem aduocatū dixere. Victoria Mindensium clara fuit. Mansit eius rei diuturna memoria. multi militares viri ac ciues, qui pugnæ interfuere, celebrem habuere diem annuum, vigiliam diuæ Marię quum assumeretur. Pacabat ea res fines ecclesię, vt in reliquum finerent contermini illibata ecclesiæ iura. Cuius episcopi tempore, monasterium in Esgestorpe fundatum est, & per insequentem pontificem sub honore diuę virginis, ad regulam beati patris Augustini, est consecratum. Multiplicatæ sunt dom⁹ religiosorum: si sit pariter aucta religio, & perseueranter continuata, benè habet.

*Feruenter inchoata, facile defrigescunt.* Nunc quid fiat quotidie, cernimus: feruenter inchoata, facilè deferuescunt, & humano more dilabuntur in deterius. Quod nisi reparationi morum, sicut ædificationum, succurratur, ruunt omnia ad interitum. Melius fuisset, viam arctam nō ingredi, quàm ab illa turpiter declinare. Sed hæc interim. Hic verò pontifex viuendo peruenit ad annum Christi millesimum trecentesimum decimum quartum, & tum emigrauit ipso die S. Albini episcopi: vnde anni eius facilè cōiiciuntur ab excessu prædecessoris.

CAP. 11. OSNABVRGENSEM ecclesiam post Ludouicum, accepit Engelbertus, cognomento de *Wepe*, qui vigilanter ecclesiæ commodis intendens, ordine trigesimus quartus, nōnullas fecit prædiorum commutationes ecclesiæ salutares, si in eo statu rerum diù permanere potuisset. Arcem in *Witlage* dicitur hic pontifex pro iuribus ecclesiæ suæ conseruandis exædificasse, latecq; prospexisse ecclesiæ suæ, tutandis & amplificandis libertatibus instituisse. Hæc sunt illa tempora Ioannis vigesimi secundi Romani pontificis, quibus Clementinas illę cōstitutiones, quę hodie sunt in obseruantia, publicauit. Hic autem pontifex Engelbertus, postea quam ecclesię suæ per annos decem prefuit, euocatus de hoc mundo, concessit, vt confidimus, ad superos, concurrens Ludolpho Mindensi proximè memorato.

CAP. 12. HILDESEMENSI ecclesię post Henricum pręficitur Otto, ex eisdem comitibus de *Woldenberge*, qui quum esset eius familiæ nouissimus, ditionem suam paternam transferebat ad ecclesiam. Ita potentia temporali creuit ea ecclesia in immensum, vt apparet, ad incrementum ministerialium suorū, qui inde profecerant aucti opibus & viribus, quum tenerent ab ecclesia arces & ditiones illi prouenientes. Memoriale autem insigne huius pontificis est, quæ vocatur in ecclesia Hildesē

*Aurea Missa.* mensi aurea Missa. Præfuit autem in annum decimum quartum, sepultus in ecclesia sua. Hoc tempore Robertus Siciliæ rex, cuius est in Clementinis constitutionibus memoria, præfuit reb. in Sicilia: vir præter omnes egregius, siue ad arma, siue ad prudētiam ciuilem, siue ad literas omnigenas respexeris: quem Henricus rex euocatum ad iudicium, nec comparentem, tententia sua damnauit. Papa illum non obstri-

obstrictum neq; iudicio, neq; affectum sententia declarauit. qui cum multis fratribus & sororibus ex secũdo Carolo relictus esset, solus omnibus vixit superstes: fratribus, qui secum in regno sunt commorati, præmortuis. Ex solo fratre rege Vngariæ, nepotem habuit Andream, cui moriens sine filio, regnum reliquit: sed Ioanna soror eius, illum regnare non permisit, de regno se viriliter intromittens, vsq; ad fastidium omnium. Per eadem quoq; tempora in Italia, per absentiam Imperatoris & pontificis, excreuerunt noui principatus: ex capitaneis domini, ne dicam tyranni, ciuitatum: ex tyrannis legitimi principes, Scaligeri, Carrarii. Veneta quoq; ciuitas tum experta est tumultum, quum inuẽti essent qui regnum sibi & dominatum quærerent: sed compressi sunt partim exilio, partim vltimo supplicio.

Lvbecensi quoque ecclesię post longæuum pontificem Burchardum, circa hæc tempora nouus episcopus prouenit Henricus, cognomento Bocholt, plebeia origine, sed non vulgari virtute: qui medicinæ artis peritissimus, multum inde auri conquisiuit. Primùm decanus ecclesiæ eligitur, inde etiam prouehitur in præpositum: & quoniam nihil maius habuit, quod optimo viro crederet ecclesia, seipsam illi commendauit, eligẽs illum suum sponsum fieri episcopum. Ex familia Lubecæ antiquissima ortus, & honoratissima: confirmatus à capitulo Bremensi, & de eiusdem mandato consecratus, archiepiscopo Ioanne in remotis agente. Seruabatur adhuc iste honor ecclesiæ Metropolitanæ, vt inde confirmatio suffraganeorum peteretur, quum illi à summo pontifice soli confirmarentur, non habẽtes maiorem in prouincia. Sexaginta marcas currentis monetæ, & in confirmatione & in consecratione persoluit capitulo. Eodem verò anno, in die Galli, quum in ecclesia sua primitias perageret, ad duarum marcarum millia fertur sumptus fecisse. Archiepiscopus Bremensis tum in Galliis agens, apud summum pontificem Ioannem vigesimum secundum euocauit ad iudicium eundem D. Henricum, vt illi responderet de contemptu, quòd confirmationem non à se, sed suo capitulo, accepisset: volens in irritum deducere, quæcunq; ab illo in sacro ministerio essent attẽtata. Causa agitatur, & lis in septennium protenditur. Septem aureorũ millia fertur impendisse Henricus, priusquàm efficeret, vt approbaret & ratificaret summus pontifex, quæcunq; per illum in spiritualibus & temporalib. essent gesta. Quo tempore absentiæ episcopalis, Gerardus comes Holsatiæ, iniecta manu in prædia ecclesiæ, Vthin oppidum & alia nonnulla vastauit, æreemunxit ecclesiæ colonos, & prouentibus ecclesiæ se immiscuit: sed reuersus ad annum millesimum trecentesimum vigesimum quartum, in ecclesiam, gladio spirituali facilè peregit, vt Comes compositione peracta, daret episcopo & successoribus in certis prædiis centum marcarũ redditus, ius patronatus in ecclesiis Luitkenborg & Plœne, & duarum præbendarum alternis vicibus in ecclesia Hamburgensi, etiam Lubicẽsi: & vt humiliatus reconciliaretur ex forma compositionis, prosterneb at se eum quadraginta militaribus ad pedes eius, postulans veniam de commissis: & terram suam ab eo recepit in feudum, & homagiũ ei præstitit, sicut progenitores eius consueuerunt. In qua lite episcopus expendit mille ducentas marcas. Quum primùm reuerteretur ab Auinione, remisit idem pontifex pro seruitiis cameræ Apostolicæ mille quadringẽtos aureos, inuento in ecclesia quodam Wilhelmo Cracht, qui se pro decano gereret, propter crimina & defect⁹ eum amouit, & aliis prouidit. Redemit octuaginta marcarum redditus pro trecentis marcis puri argenti, à domino Vlfone de *Buren* milite, & quindecim mensas siliginis pro centum quinquaginta marcis à quadam ciuis relicta in vrbe, & villam *Putekendorpe* pro sexaginta marcis. Reperit opus Chori maioris ecclesię ante sexaginta annos cœptum iamq; penè desperatum, ad cõsummationem perduxit. Et cũ ambone, sedilibus, fenestris aptauit pariter, & ornauit: quo in opere bis mille quadringentas marcas expendit. Curiam episcopalem noua & insigni domo ex coctilib. extruxit, & in ecclesia Lubicensi vnam præbendã incorporatam, duas distinctas, & sex vicarias dotauit, erexit, & fundauit. Pro mensa episcopali dedit villas, *Vissow* mille marcis, *Seutze* octingentis quinquaginta, *Stœne* & *Gustenkow* bis mille quingẽtis marcis, XXIII. solidis comparatis, exceptis XCIIII. marcarum redditib. ad duas præbẽdas distinctas præfatas, in dicta villa Stœne assi-

CAP. 13.

gnatis. Ad idem villam *Groteparin*, M CCXXV. marcis coemptam. Legauit in testamento suo successori mille marcas. Vir opulentissimus, quasi auri fodinam solus habuisset: sed medicinæ artis industria & patrimonium, super omnia verò parsimonia sumptuum, hæc vt posset, effecere. O dii, inquit Cicero, immortales, nesciunt homines quàm magnũ sit vectigal parsimonia. Sedit annis XXIII. sepultus in medio chori noui per eum constructi, sub imagine fusili eleuata, vt sunt merita eius.

*Magnum vectigal parsimonia.*

CAP. 14. MAGDEBVRGENSIS infausta tum ecclesia, post pontificem tam execrabiliter trucidatum, electione capituli sustulit è gremio quendam doctum virũ, magistrum Heidenricum de *Erpeden*. Hic quum existet petere in persona confirmationem sedis Apostolicæ, statim captus (quòd propter abominabile parricidiũ execrabiles erant Magdeburgenses toti mundo, clerus cum populo: quòd videbatur nimis dissimulanter tolerasse clerus tam atrocem diu iniuriam) & missus in carcerem. Vbi dimittitur, non diu superfuit, mortuus Isenaco. Inde comitem de *Stalberge* eligunt canonici: sed comes prouincialis Hassiæ cum coniuge, tum in Auinione apud pontificem Ioannem demorabatur, is pro filio Ottone obtinuit ecclesiã Magdeburgensem quòd videbatur prouisio ad sedem Apostolicam deuoluta, propter longæuam à morte Burchardi vacationem: in qua non potuit capitulum ignoratione purgari. nam obiiciebatur eis, non illos satis instituisse vt nossent, quid de suo pontifice actum esset. Ottone ergò veniente ad ecclesiam, cessit volens comes de Stalberge. Quid enim iuris poterat prętendere aduersus Apostolicam prouisionẽ? & si se armis commouisset, maiore potentia facilè superaretur. Præfuit autem ecclesiæ annis viginti tribus. Quum vndiq; ferro & flammis peterentur Magdeburgenses, & culpam agnoscerent, confugerunt ad archiepiscopum suum, vt illius ope gratiam sedis Apostolicæ recipere mererentur. Effecit, vt indicta salutari pœnitentia, pollicerentur ædificare capellam in locum carceris, aut statim supra: ibiq; altaria sex cum beneficiis ad perpetuam sui sceleris memoriam, certè maximo piaculo mediocris pœnitentia. Digna fuerat iuxta antiquos canones perpetuò ciuitas priuari episcopali honore. Sed extitisset ea maior ecclesiæ, quàm populi, pœna, insolescentis, & magis sibi plaudentis, quòd episcopatus, cuius sub iure laborabãt, esset translatus. Otto autem in pace ecclesiam suam regebat, quòd recens sceleris memoria quietiores per humiliationem faciebat ciuium animos.

CAP. 15. HALBERSTADENSI in ecclesia, Alberto succedit Albertus, comiti de *Anholt*, dux de Brunswico, Alberti ducis filius. Cõsecrauit ecclesiam nouam in Brunswico, & domum Prædicatorum, quia pars eius ciuitatis ecclesiæ Halberstadensi paret. Præfuit annis triginta. Quo tempore valuit illa controuersia primùm inter Ludouicum Bauarum, & Fredericum, Austriæ duces, in diuisione Electorũ ad Imperium, de Imperio certantium. Sed prælio itito, capitur Fredericus: & donec iuri suo resignaret, tenetur in vinculis. Mox se Ludouicus iungebat administrationi rerum omnium, contempto summo pontifice: inuicem omnium maxima pernicie, per Italiam constituunt vicarios Imperii, papa in ditione Imperii, Ludouicus in ditione ecclesiæ. vnde maxima consurgunt mala. Ludouicus aluit audaciam vicecomitum Mediolani: & illis fauentibus, transiit in Italiam, exceptus à ciuitatibus amicis: coronatus primùm ferrea, peruenit Romam, vt ibi auream coronam acciperet: non de manu pontificis, quem cõtempsit, sed vicarii sui, Stephani Columnensis. Qua accepta, vltrà, quod nõ debuit, processit, & antipapam erexit: inde excommunicationes, execrationesq; in Ludouicum, contemptus in pontificem. Medio tempore crescunt Italiæ tyranni, nunc ecclesiæ, nunc Bauaro militantes: sed inter omnia sui commodi rationem habentes, & futuri principatus fundamenta iacientes. Interea Marchia Brandenburgensis, morte Waldemari sine hærede morietis, vacuatur, & recidit Imperio. Ludouicus eam filio Ludouico permittit. Is aliquandiu eam administrans, permisit Romulo fratri, nato in vrbe, quum ibi Ludouicus coronandi gratia demoraretur. Sed eam rem plenius in Wandalia fumus exequuti. Albertus autem episcopus quum ecclesiam suam per annos triginta pacificè gubernasset, concessit è vita, tumulatus in ecclesia collegiata Brunswici, sepulcro patrum & auorum.

BRE-

BREMENSI metropoli post Ioannem præficitur insignis vir, Burchardus, co gnomento Grelle, plebeio genere, sed non plebeia virtute. Vir moribus probatus, corporis proceritate conspicuus, sermone verus, Bremæ honesta familia natus, archidiaconus Rustringiæ, quem prædecessor suus tanti fecerat, vt illum per absentiam eius suum cum secundo constituerit in temporalibus vicarium. Successit autem in archiepiscopatu hoc ordine: Quum Ioannes defecisset in Francia, nemo erat in ecclesia Bremensi, qui ad pontificatum adspiraret, scientibus cunctis quòd frustrà niteretur, quum Apostolica prouisione sedes implenda putaretur. Talis quoq; erat ecclesiæ status, vt rarus esset & penè nullus, qui episcopatum in ea desideraret: attamen vno omnium consensu rogatur Burchardus, omnibus amabilis, etiam improbis venerabilis, vt tentet onus ecclesiæ supportare. Albertus maior præpositus, dux Brunswicensis, terræ proceres, & vniuersum capitulum, præfecti locorum, vna voce poscebant, ne detrectaret. Ille publicæ vtilitatis gratia laborem subiit itineris faciendi: rem cunctis desperatam pertentauit, omnium ordinũ, principum, nobilium, prælatorum, militarium, Burgensium literas accepit vno tenore commendatitias. Ioānes erat papa vigesimus secundus, ad quem in Auinionem peruenerat. Pontifex tam multorum literas admiratus, quòd vno omnium consensu tam diuersis ordinibus eadem de hominis virtute testimonia redderentur, rogat qua sit origine, quibus literis institutus. Ille se humili genere ortum, nec multis literis instructum respondet: cupere ecclesiæ suæ vehementer esse consultum, si habeat sua sanctitas virum idoneum, qui meliùs quàm possit ipse præesse afflictæ ecclesiæ: non solùm se patienter, sed etiam libenter excepturum quem dederit: papa quo minùs ille desideraret, magis inclinabat. Igitur nihil grauatus, ecclesiam illi commendabat. Sacerdotio priùs initiatum, iussit episcopum eum consecrari: pallioque dato, remittit ad ecclesiam gubernandã. Reuersus archiepiscopus, omniũ benevolis votis excipitur gandiosè. Non deerant tamen qui clàm inuiderent, etiamsi palam gratularentur. Damnabant suam in se socordiam, quum insperatos in illo viderent exitus. Composuit res incuria temporum dilapsas, arces impignoratas qualibet conditione recepit: & breui aliam rerum faciem constituit per diœcesim. Præfecit locis viros militares, quos pridem nouerat, quum vicariatum gereret, virtute præditos: alios posthabuit. Qui ab illo posthabiti, versi in apertos hostes, Redingo populo vario & tumultuanti se iungebant: sperantes, Transalbianos sibi accessuros, ad rem archiepiscopi perturbandam. Sed ille quieto animo contraxit ex vicinis locis, Luneburgensi ducatu, Westphalia, Thietmarsia, Holsatia, armigeros: & ducens in hostes, ita confregit animos eorum, vt victi manus darent pontifici suo, in reliquum veriti se opponere, cui subesse oportebat. Frisones, inquietum quoq; genus hominum, se commouerant aduersus hunc suum pontificẽ, diuq; durauit rebellio, quum sæpè illis armatos immisit, qui suffossis aggeribus mare infunderent. Multoq; tempore infestati, multis malis edomiti, didicerunt frena subire: sed multi interim perierunt, multi dilapsi dissipabantur, donec ad sanã mentem redirent. CAP. 16. *Virtus vicemet cit inuidia.* *Frisonum ingenium.*

PONTIFICI bono per idem tempus emerserant hostes ex diœcesi Verdensi, qui præfecturam Languedel cum suburbio, vastatione & incendio vexauere. Nihil enim magnum sine magno labore permissum est mortalibus, ait Ethnicus: sed tamen rebus vtcunq; compositis, rediit tranquillitas. Anno episcopatus octauo, quum bonus pontifex chorum ascendens, officium diuinum peragere veniret, in ipso gradu vicinus choro murus magno strepitu concrepuit. Terrefactus pontifex, quid esset, demiratur. Recolens deinde sanctorum Cosmæ & Damiani venerandas ibi reliquias includi, quas à memoria veterum Imperatorum & Principum locus ille cum aliis sanctorum exuuiis seruauit, statim votum concepit, altissimo Deo sanctisq; martyribus se constringens, quòd in sequentem annum festo Pentecostes debita veneratione sanctas reliquias eleuaret. Interim capsellis & cistellis in vsum præparatis omnia instruebat, per omnem prouinciã rem iussit promulgari, inuitatis suffraganeis suis ad festam solennitatem, cum multis vicinarum terrarum nobilibus ac suæ ditionis ministerialibus. Die constituto veniente, om- CAP. 17. *Ante virtutẽ dii posuere laborem.*

nes aderant inuitati. Pontifex summo cum honore sacras martyrum reliquias eleuabat, ac oculis omnium ingerebat. Quum oīa foris & intùs summa lætitia & festa solennitate personarēt, epulis splendidè apparatis, prælatos & nobiles excepit. Ineptus videbatur, qui se à generali oīum gratulatione retrahebat. Ibi militarium hastiludia, secuti Bremenses iuuenes: ibi choreæ ac cantus dominarum, ibi quicquid vbiq; festum erat, percrebuit, omnium ex hilarata mente ad præcipuam sanctorum martyrū gloriam, quos cum Christo triumphantes nunc primùm iusto honore venerantur patronos Bremensis ecclesia. Die proxima, quæ fuit lunæ, in diebus Pentecostes, expleto iam diuino officio, ad ostium sui palatii pontifex duodecim ex ministerialibus aulicis suis honorationes creauit milites, in honorē sanctorum patronorum martyrū Christi. Stabat loci proconsul in dolio, oblationes fideliū excipiēs: tantum congestū est auri atq; argēti cum numismate signato, vt egredi cogeretur. Tanta fuit populi deuotio ad reliquias sanctorū propalatas. Trecētas denariorum marcas archiepiscopo ex his contulerunt, in solatia sumptuū factorum in ea solennitate. Reliqua ad petornandam ecclesiam, & ad maiorem templi campanā opere fusili instruendam, sunt collata. Hunc pontifex iste seruabat morem, vt deuotionis gratia in monasteriis virginum, ad præcipuas festiuitates diuinum peragerēt officium: sed venturus, cibos & omnia vitæ hominum iumentorumq; necessaria præmisit, virginesq; secum pransuras inuitauit: nihil molestiæ aut sumptuum passus fieri de rebus monasterii, vt nulli grauis esset, aut onerosus.

*At longè alium Sanctorū honor.*

CAP. 18. CIVITATEM Bremensem, vtpote patriā suam, in primis amabat: cuius adhæsione, nonnullos in se malignaturos territabat. Rustringi Frisones, diu infensi ciuibus, naues illorum in Visurgo exurebant, damna vndecunq; poterant irrogabāt: sed illos archiepiscopus ita impleuit terrore, vt ad æquas conditiones rem componi paterentur, licet mobile vulgus diuturnam pacē seruare non possit. Arcē *Tedinghusen* Henricus de Hoia comes, occupauit. Dominus Liborius miles, qui cognatā archiepiscopi duxit vxorē, *Wildeshusen* gubernatione tenebat, episcopo reclamante. Ea fuerunt quæ ad finem vitæ iuuitus vidit pontifex. Fratrem vnanimem, vnicū semper in aduersitate solatium, animæ suæ dimidium, anno integro ante suā mortem præmisit morientem: quem secutus anno vix impleto, circa festum assumptæ Mariæ, anno Christianæ salutis millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, expletis in pōtificatu annis septendecim. Sed statim Kedingi audita morte eī, quos, dum viueret, se commoueri timor non permisit, præsidiū quod apud eos firmauit, deiecere. ne Hadelerii idem facerent, restitere ministeriales, qui Bedecokessa tenuerunt. Quo etiam tempore Waldemarus, vir nobilis, qui amicissimus diù fuerat vrbi Bremæ, quia lateres ex suburbanis coemptos ad nouem mille euehere non sinebatur, prouocatus in ciues, damna illis plurima inferebat: ostendens, quanto sit satius experiri quid possit amicus, potiùs quàm idem inimicus. Illi enim casus secuti sunt exilii ex re declaratam ciuium stoliditatem, qui facilè illorum pertinaciam contrà arguerint.

CAP. 19. MINDENSEM ecclesiam tum gubernabat dominus Gotfridus de *Waldegge* (nam his comitib. natus erat) ordine pōtificum in ea ecclesia XXXVIII. Qui perpetuam sibi meritorum memoriā præparauit in extructione arcis *Petershagen*, ad ripā fluminis Weserę (Visurgum dixere veteres) qui ex illo tempore mansio fuit assidua pontificū. Inuitauit illum, vt omnes, loci opportunitas. Nam piscium abundātia ex flumine perfruitur, & positus in medio prædiorum ecclesiæ, cunctis ad victū necessariis, importatione rusticæ plebis gaudet. Permansit in pontificatu annis x. secundo sui pontificatus anno arcem cœpit instruere, & peruenit à decimoquarto Christi anno post MCCC. vsq; ad vigesimum quartum: & tum felici exitu, altera die Seruatii episcopi, migrauit, vt confiditur, ad Dominum: sepultus in pace, ad finistram Conradi primi, post altare diui Petri: memoria pontifex dignus sempiterna. Reliquit post se sui longæuum desiderium, quòd benè de omnibus meritus haberetur.

CAP. 20. SVERINENSI ecclesiæ per eam annorum seriem post Hermannum, præficitur vir memorandus Ioannes: quem nisi virtus & industria prouexisset, natalia non tacerentur. Præfuit autem ecclesiæ suæ per annos decem, per tempora quibus

Ludo-

Ludouicus Bauarus, qui se pro Imperatore gerebat, rerum in Germania potiebatur, quum interim Saxonia nostra pacem haberet, multiplicatis in ea principibus. Nam Saxonia iam suum habebat principatum, qui ipse quoque diuisus est in superiorem & inferiorem. Brunswicensis verò, primò partitionem habuit inter fratres, Albertum qui Brunswicum, & Ioannem qui Luneburgum pro ducatu tenebant, retinentes tamen communes titulos, vt vterque Brunswici & Luneburgi appellationem retineret, & alternam successionem expectarent, cuius rei vsus prouenit hac tempestate. Nam Ioannes dux Luneburgi filium reliquit Ottonem: is reliquit Wilhelmum & Ottonem: Otto filium habuit paruulum sui nominis. Sed ille quum puerili in curru, paruulorum more vt bases solident, decurreret, negligentia familiæ decidit in vicinum fluuium cum curru de ponte: & dicto citiùs demergitur, omnium acerbissimo dolore, quòd hæres masculus terræ solus ille esset. Nam Wilhelmus frater ex quatuor vxoribus, quas vicissim post alteutras habuit, duas modò reliquit filias: quarum altera duxit Ottonem de Saxonia ducem, altera Ludouicum Magni dicti *de Sangerhusen* filium, fratrem iunioris Magni, & Alberti Bremensis archiepiscopi. Ad hunc ergò Ludouicum duplici respectu ducatus relabitur, quòd esset fratruelis, & quòd filiam teneret Wilhelmi ducis nouissimi. Ergò Ludouicus post Wilhelmum Luneburgi ducatum tenuit per hæc tempora: sed ea in Saxonia sumus executi.

HILDESEMENSIS ecclesia per ea tempora grauissimâ & diuturnâ passa est cõ- CAP. 21.
quassationem, quum duo in discordia electi, de episcopatu contenderent per annos quatuordecim. Tanta erat pertinacia non cedendi. Cui ius fuerat, ei defuit secularis potentia: cui arma & amici promptius accessere, ius illi decessit. Perduelles erant, Henricus dux Brunswicensis, frater Alberti episcopi Halberstadensis, ambo filij secundi Alberti Brunswicensis, eius qui fauore ciuium potiorum, excluso fratre Henrico Mirabili, successit in ditione Brunswicensi Wilhelmo fratri impuberi. Alter perduellium de episcopatu Hildesemensi erat Ericus, comes *de Scowenborg*: ambo electi à parte capituli. Henrico ministeriales plurimùm inhęserant, qua de re arces ecclesiæ possidendas accepit. Erico cum parte capituli fauerunt ciues Hildesemenses: quocirca introductus in vrbem, ibi confederat. Grauis & implacabilis contentio, per quam agri & oppida miserè vastabantur: nec poterat interuenire per annos quatuordecim, qui rem componeret. adeò erant vtrique obnixi non cedere. Ciues egressi pro suo Erico, oppugnauere, & expugnauere magnis viribus nouam arcem, in conspectu vrbis positam, quam hodie vocant, Compesce violentiam. pro qua re, moriente ad decimum quartum annum Erico (nec enim aliter res sedari potuit) ciues in compositione alteram ecclesiæ erexere arcem super eodem flumine, altera parte ciuitatis paulò distantius ab vrbe, *Marienburg* vocant: quam nunc dicunt, incertum vnde, in iure præpositi consistere, siue vt ecclesiæ nomine custodiam agat, siue ex quadam inde secuta transactione. Res mihi incomperta in hodiernum permansit.

MIMIGARDEVORDENSI, Monasterienſiúe ecclesiæ, per ea tempora præ- CAP. 22.
sedit vir memorabilis, Otto tertius, ex comitibus *in Retberge*, pridem præpositus Paderburnensis, ordine trigesimus tertius episcopus Monasterienſis. Sex solis annis præfuit ecclesiæ suæ: & primo quidem tempore prosperè cedẽtibus rebus, postea quendam perpessus est Conradum prępositum Colonienſem. Cedens autem maiori potentia, ab ecclesia sua exulabat bonus pontifex, inque exilio mortuus est. Successit autem idem Conrado, qui trigesimum quartum inter pontifices locum nactus est, quatuor duntaxat annos in episcopatu malè quæsito perstitens: damna primùm grauia & inferens & perpessus est. qua in re grauiter ecclesię prędia & ministeriales laborabant, inq; ea perplexitate mortẽ obiit. Electionem eiusdem Conradi, & quæcunque in ecclesia idem ordinauerat, cõcesserat, instituerat, destituerat, authorizauerat, Clemens papa quintus tanquam inualida cassauit, reprobauit, reuocauit in irritum. Interim verò innoxij per illa tempora miserè vexabantur, foris gladio, intus perplexitate: nescientes vbi essent, cui fiderent, quem sequerentur. tamen consolationem habent inde pia corda, quàm diu in possessione

quacunque toleratur etiam qui parum iuris habet, donec reuocetur, omnia valida subsistunt. tantum operatur communis hominum existimatio: alioqui in absolutionibus & ministeriis spiritualibus graue esset periculum animarum.

CAP. 23. VERDENSEM ecclesiam per eadem tempora regebat Daniel quidam, ordine Carmelita, ex assessoribus curiæ pontificalis, tum in Francia manentis. Præfuit autem variis euentibus: magis autem incubuit, annis nouendecim. Iam enim inoleuerat, vt Apostolica prouisione darentur episcopi, posthabita capitulorum legitima electione. Ita & Ioannes huius prædecessor introiuit: qui quoniã, vt diximus, translatione eiusdem pontificis peruenit ad ecclesiam Eistadensem, iste frater Daniel Carmelita ab eodem pontifice surrogatur, vt præesset Verdensi ecclesiæ. Erat in Theologia magister non vulgaris eruditionis, cum capitulo & prælatis malè cõsensit, semper suam præferens sententiam: imitatus mores aut curiæ, quam diu secutus vidit: aut monasterij sui, in quo est à puero educatus. Vnde propter dissensionem, quam cum suis habebat, secessit in partes Rheni: & Coloniæ vitam in excommunicatione finiuit. Litem enim instituit cum ecclesia super iuribus, incertũ quibus. Multa interim damna, eius occasione, ecclesia perpessa est: nihil reperit bonorum, quibus memoriam eius cum dulcedine seruet. Ferunt tamen inter bona eius quæ fecit, quod aream *Rodenburg* insigniter communierit, & valuam magnam partis australis erexerit, immunitatis canonicorum apud ecclesiam. Sed cùm grauissimè dissideret à capitulo suo, intrauit in manu forti eandem partem australem, quum nemo quicquam timeret, cepitq; armatis militibus canonicos suos: sed in ea tumultuatione quum pro canonicis ciuitas commoueretur, ad eum laborem est peruentum, vt integra vrbis & insignior platea coneremaretur tota. Illius tempore & pernicioſa dissimulatione in præiudicium ecclesiæ dux Luneburgensis erexit fortalicium in *Lowenbrugge*, quod tenet hodie in non modicum grauamen Verdensis ecclesiæ. Duobus versiculis expressere, quanto desiderio sui pontificis esset:

*Daniel antistes, non curat clerus, vbi stes:*
*Optans vt valeas, dummodo non redeas.*

Satis acutè, quisquis author erat, affectum non desiderantis, neque amantis cleri in pontificem expressit.

CAP. 24. SVERINENSEM verò ecclesiam per ea tempora, post Ioannem susceptit Ludolphus, vir memorabilis, ex ministerialibus de *Bulow*: præfuitq; eidem in annum nonum, per cuius tempora facta est illa innouatio in Marchionatu Brandeburgensi, quum mortuo sine masculo prole Waldemaro, feudum recideret ad Imperium: & iam Ludouicus Bauarus rerum potiebatur, qui filium æquiuocum fecit Brandeburgensem marchionem, quo in principatu Lubicensibus, ab rege Daniæ primùm, deindè à comitibus Holsatiæ laborantibus, præsidio fuit, quod in Wandalia nostra diximus. Quo etiam tempore Ioannes papa vigesimus secundus nouum ordinem militarem instituit in prouincia Vlyssibonensi, aduersus discurrentes Sarracenos, qui ex Bætica prouincia fecere multas excursiones in Lusitaniam. Appellati sunt autẽ milites Iesu Christi, quib. attribuit arces, præsidia & possessiones, quas multas habuere Templarij, in ea prouincia nuper, quod dixim⁹, extermi nati. Attribuit autem abbati Alco, Asiani monasterij ordinis Cistertiensis, authoritatem inuestiendi milites: qui etiam potestatem accepit exauthorandi milites, qui suæ professioni non satisfacerent. Marmum vocant oppidum Syluensis diœcesis, in quo sedere iussit principalem magistrum in eo ordine. Cautione autem accepta ex ordine Templariorum, iussit abbatem memoratum prouidere, vt professioni satisfacerent in militia, vtque fidei & religionis eorum diligentissimam & exactissimam haberet rationem.

*Brandeburgensis marchionatus innouatio.*

CAP. 25. RACEBVRGENSEM verò ecclesiam per hanc tempestatem gubernabat memorabilis antistes Wolradus, natus ministerialium genere Holsatiæ *de Dorne*, ex quo nemo nunc superextat. Huius insigne memoriale est, quòd domum lapideam *in Veichow*, vbi tum erat episcopalis mansio, extruxit, & imaginem argenteã maiorem diuæ Mariæ in altaris tabula, & scutellam maiorem argenteam in armario,

rio, ad vsum pontificis dedit ecclesiæ. Eius quoque tempore in oppido *Wittenborg*, hostia altaris per miraculum apparuit sanguinolenta. Quo tempore Rochus Nar- *Miraculum.*
bonensis prouinciæ nobilis iuuenis, cuius pater erat dominus oppidi Agathopolis, in locuplete hæreditate, dimissus à parentibus ad annũ ætatis duodecimũ patriam deserens, quam patruo dimisit gubernandam, Italiam petiit, peregrinatus pro Christo. Vidit plagam crebrescentem pestilentiæ, & misertus laborantiũ, cru- *D. Rochus.*
cis impressione multos liberauit Romæ, Aquapendente. Cesenæ notior factus, au fugit. Placentiam quoq; vrbem adiit. ibi quum multos curasset orationis impendio, ipse quoque percussus est eodem morbo, velut ardente sagitta in coxam eius emissa. illicò vrbe ciicitur, vexatus blasphemia: En qui alios curare præsumit, ipse ægrotat. In nemore solitæ precis præsidio, integrã recepit sanitatem. Tum in Gallias reuersus, patriam inuenit bellis tumultuantem. Eo quum concessisset, à lictoribus capitur, tanquam explorator: in carcerem coniicitur, vbi quinquennium egit in summa patientia. Demùm laxatus, domũ patrui, velut alter Alexius, mendicantis habitu excoluit. Anno ætatis suæ trigesimo secundo ægrotus, sacramentis ecclesiæ munitur, migrauitque ad Dominum. Inuenta est tabula ad latus demortui his verbis scripta: Peste laborantes ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam truculentissimam euasuros significo. Ea res ad patruum eius vrbis principem perlata, fecit attonitum. Vbi diligentius rem explorat, vidit ex fratre nepotem. Tum terrefactus, soluitur in lachrymas: sacellum ei dedicat, vbi miraculis fulgescit. Venit deinde in obliuionem Rochi nomen: sed anno Christi post MCCCCXV. cùm Concilium Constantiæ ageretur, ibique pestis desæuiret, ex Germanis cœpit Italis nomen eius insigne fieri. ad annum autem octuagesimũ quintum Venetias corpus eius deportatur, vbi summo in honore dicato sacello percolitur. Eius festum decima sexta Calendas Septembris.

PADERBVRENSI autem ecclesiæ post Bernardum, præfuit Balduinus an- *Cap. 26.*
nis viginti, natus comitibus ex Steinfordia. Sensit iste statim præiudicium cuiusdam permissionis factæ rustico populo. Nam Bernardus, vt consentirent ministeriales cuidam collectæ faciendæ per omnem ditionem in capita rusticæ plebis, visissim annuit populo, vt in cœmeteriis erigerent casellas, quibus tuerentur supellectilem suam ab incursu hostili, & in ecclesiis reponerent, si vellent, cistellas. Visa est prima fronte præferre prouidentiam ab incendio & rapina: sed quod excogitatum est ad securitatem, peruenit ad noxam, hominũ faciente malitia. potiùs enim factum est, vt cœmeteria profanarentur, quàm vt res securarentur. Auaritia enim *Auaritia.*
miscet omnia: non discernit inter sacra & profana, dummodo precium sit aliquod malitiæ. Quo tempore floruernnt illa lumina iuris, Ioannes Andreæ Bononiensis, *Scriptores alii quot celebres.*
ciuis Pistoriensis: Oldradus de Laudo, consistorialis aduocatus, omnes auditores Dyni. Ioannes autem Calderinus, ciuis & ipse Bononiensis, genere erat Ioannis Andreæ, qui socerum suum ex peste mortuum testatur anno millesimo trecentesimo quadragesimo octauo. Tum & Franciscus Maronis, ordine minor, theologus floruit acutissimus: & Michael de Cesena, eiusdem ordinis minister generalis, quem Ioannes vigesimus secundus pontifex notatũ de hæresi, magistratu suo destituit. Ille verò se calamo vltus est, ostendere volens innocentiam suam: sed aduersus mare intumescens, non proficit vnius hominis, quanuis validissimus, clamor. Ocium autem & cibus alienus, multa in multis, iuxta Comicum, operatur.

OSNABVRGENSI autem ecclesiæ, trigesimo quinto loco successit Engel- *Cap. 27.*
berto nobilis Gotfridus, natus ex comitibus de *Arnsberge*. Multo tempore supra annos triginta gubernauit ecclesiã, multo labore: nam finitima bella euitare non potuit. Nam Ludouico Monasterienſi episcopo, nato ex comitibus Hassiç prouin- *Aliquid mali propter vicinum malum.*
cialibus, inhæsit, cui bellum erat in comitem de Marca, qui de vniuersis prouinciis occiduis collegit arma, de Gelria, de Monte, de Leodio, de Traiecto, de Flandria, Hollandia, de Arthesia. Tanta fuit cõspiratio cum comite de Marca in vnum episcopũ Monasterienſem, cui Osnaburgenſis Gotfridus inhæsit. Factæ sunt multæ ad partem conflictationes, varia fortuna. Et vbi totis agminibus concurſatum, Monasterienſis & Osnaburgenſis episcopi, fugatis hostibus, superiores fuere.

Multa præterea per annos supra triginta huius pontificis facta sunt: quæ, quoniam illustrandæ religioni non sunt accommoda, transimus. Nouissimè postulatus, ad ecclesiam Bremensem transiuit: quo in loco nõ satis feliciter res eius transierunt, quod posteà suis temporibus memorabitur. Pertæsum fuit bono patri multorum in ecclesia Osnaburgensi laborum: & ideo requiem senecluti quærens, super ecclesia Bremensi fecit diligentiam: & est assecutus. Sed exitus non is erat qui sperabatur: quod suo loco dicetur.

CAP. 28. MINDENSEM verò ecclesiam, per ea tempora tenuit ac gubernauit illustris dominus Ludouicus, ex ducibus Luneburgi ac Brunswici, ordine pontificũ in ea ecclesia trigesimus nonus. Tranquilla vidit tempora, quæ promeruit principis mo-
*Visurgi inundatio.* destia: grandis tamen inundatio Visurgi, cui à memoria tunc hominum, nec exinde pòst similis visa est, paulò ante exitum eius fuit. Nam anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, ex resolutione niuium, aut alia quadam occulta causa, vsque adeò increuit fluuius, vt sublimem eius pontem difficeret, & à soliditate, quam necdum recuperabat, deturbaret. Ingressus vrbem, ad quinque vsque pedes super liminaria portæ contigit, per ecclesiam maiorem dilapsus in forum, omnes domos & concaua quæque subterranea impleuit. Mira fluuiorum intumescentia, de subita niuium multarũ resolutione solet crebrius prouenire: sed tum anni tempus (erat enim dies diuæ Magdalenæ media fermè æstate) ad hanc tum causam recurrere non sinebat. dudum enim præterierat niuium resolutio, quæ in anni solet principio prouenire. Siue maris inundatio tum assidua, influxum eius in Oceanum retardaret (nam inde solent incrementa fieri) siue ex occultis, necdum compertis causis fieret. Memorabili exemplo accolis plurima tum damna inferebat, demersione pecorum, subuersione domorum, interceptione multorum mortalium. Nam locis humilioribus riparum, latè in terram expatiabatur. nonnulla oppida concussit, villas multas subuertit: vt fortunatus videretur, quisquis rebus amissis, coniuge, filiis ereptis, vel nudus exiret de profluuio. Tribuunt
*Flumina.* accolis flumina multa sæpè commoda: sed talibus casibus cõpensant, graui nimis retributione. Ludouicus autem pontifex ecclesiam suam Mindensem per annos viginti duos gubernans, anno Christi quadragesimo sexto emigrauit ex hoc seculo, apud monasterium de *Walfrode*, terræ Luneburgensis, quo cum loco extrema infirmitas apprehenderat. Nam ibi plerunque velut in prima ditione commanebat. Exutus autem corpore spiritus, rediit, vt cõfiditur, ad Dominum qui dedit illum. Tumulatum est corpus in eo monasterio, solennibus de more illustrium peractis exequiis. Sed ea res ætate nostra magis inclaresceret, vt ad imitationem Italorũ
*Orationes funerales.* incipiant funerales orationes habere de laudibus mortui, vsq; ad recordationem totius generis & omnis antiquitatis: quæ necdum res tum inoleuit. Influxit autem
*Typographia commoda.* prouinciis cum bonis literis, quæ nobis prouenerant de multiplicatione sepulto-rum antè codicum, per ministerium impressorum. Iam enim passim habentur veterum scripta, quę olim apud rarissimos tenebantur inclusa, & vix coniunctissimis fiebant ad vsum communia. Sed hæc interim.

CAP. 29. LVBECENSI deinde ecclesiæ post felicissimum pontificem præficitur D. Iohannes Muel, pridem eius ecclesiæ scholasticus, vir illo dignus loco. Electus concorditer à capitulo suo, consecratus est ab archiepiscopo Bremensi Burchardo, Suerinensi & Raceburgensi, comprouincialibus suis: & eodem die suæ consecrationis dedicauit chorum nouum per prædecessorem constructum, & exornatum in honorem patronorũ ecclesiæ. Iste pontifex primus muniuit arcem suã in *Vthin*, fossato grandi circunducens (quod antè non erat) aquã, pro firmamento, de consensu comitum Holsatiæ. Emit quoque villam Dodome, cum sylua & attinentiis eius, mille ducentis marcis. Ædificauit quoque in ecclesia Lubecensi capellam magnã prope armarium, in qua vnà cum episcopo Burchardo sub lapide magno aurichalco tecto quiescit, expectans nouissimam tubam. Sedit annis nouem, vidit
*Ludouicus Imp. toxico perit.* mutationem temporum in Romano Imperio. Tum enim mortuo Ludouico in venatione, vt ferunt, toxico (quod ei amantissima sui, vt credidit, domina bibendum dedit) tum electus est à nõnullis principibus dominus Guntherus de *Swartzburg*,

*burg*, vt præesset Romano Imperio: sed Wenslaus Bohemiæ rex, Ioannis filius, Henrici Impetatoris nepos, qui tum opibus & armis præ cæteris floruit, iam tum sub patre militans in Italia, & Romanis pontificibus in Galliis manentib⁹ acceptus, quòd esset sanguine Gallico Lutzenburgensi editus, peruicit, vt ab aliis principibus nominaretur: & habebat paratum exercitum Moguntiæ, si opus esset cõfligere. Contraxit autem vires suas Guntherus, & venit Francofordiam cum amicis, vt ibi authorizaretur: sed Francofordenses, incertũ vnde persuasi, si fortè & ipsi aureo, malo petiti, portas Gunthero habuere clausas: prætendentes, ab antiquo seruatum, in discordia duorum coassumptorum neutri pandendas esse portas, nisi aliquot membrorum sedisset in castris ad obsidionem vrbis. Interea Wenslaus, qui cum honore nouo mutauit nomen, vt Carolus diceretur, ponens Wandalicum nomen, in quo contemneretur, assumpsit Imperatorium ex Magno Carolo: aduersus hunc Guntherum non armis, sed, vt ferunt, veneno pugnauit, subornans medicum eius, qui paulum discrasiato remedia pollicitus, mortem propinauit. O quàm dissimiles verum Romanorum moribus. Illi corruptorem medicum remisere ad dominum, quem prodere est pollicitus: nostri submittunt, imò corrumpunt domesticos, vt occidant dominum. Sed tum Carolus præualuit.

*Guntherus, comes de SWartzburg in Imp. eligitur.*

BREMENSI verò ecclesiæ post Burchardum præficitur insignis & nobilis vir, dominus Otto, natus ex comitibus de *Delmenhorst*, pridem ecclesiæ decanus: vir iam grandæuus, & qui ætate fractus, eques incedere non potuit, humeris aut vehiculis vectabatur. quam rem multi in occasionem exercendæ malitiæ sumebant, innoxios viatores spoliando: nec facilè potuit ad archiepiscopum querimonia peruenire, obseruantibus aditum improbis, ne quisquam quereretur. Venerat cursor ab *Oldenburg* cum literis ad archiepiscopum. Rogabat bonus pontifex, vt fit, quid in diœcesi comperisset, quid audisset, quid rerum per publica itinera gereretur, securi transirent viatores, an minimè? Respondit homo simplex, & qui nihil inde mali formidaret, adstante loci præfecto: Gratiose pater, ab hominum memoria non fuit tantum viantibus periculum per itinera. Indignatus præfectus, hominem velut falsa locutum abripuit: Vade, inquiens, fatue, concede in popinam vt manduces, & conuersus ad dominum: tales inquit nebulones, vt placeant, vera falsis permixta deferunt. Vbi verò idem præfectus hominem illum in secretum seduxit, plagis & tormentis ab illo exegit, vt verbum apud episcopum incautè prolatum retractaret: tentumque per dies aliquot in carcere, iterum quasi venientem de *Oldenburg*, misit in conspectum archiepiscopi, iam instructum, quid interroganti responderet. Scisciatur archiepiscopus quid afferat? Nullo, inquit, vllo tempore tanta fuit securitas transeuntibus, quantam in diebus istis cernimus. Ignorabat bonus pontifex domi sedens, quid illi actũ esset, iam repugnantia prioribus respondenti. Credidit, & ludificatus est, vt solent frequenter ab improbis terrarum domini, quum non ipsi prodeunt rebus contemplandis. Rarò enim verum audiunt: nam nemo, aut rarus, non nisi placita loquitur. Sed vir grandæuus, iam impar administrationi suæ tantæ diœcesis, de consensu multorum in capitulo, dominum Mauritium de *Oldenburg* comitem, ecclesiæ decanum, nepotem suum adoptauit, vt filius esset. Vix quinquennio in pontificatu peracto, rebus excessit humanis. Quum interim nuncij & Oratores dicti domini Mauritij de *Oldenburg* adoptati, iter arriperent in Auinionem, vbi tum Papa consederat: alij de capitulo aliud sentientes, Osnaburgensem episcopum inuitauere, postulantes, vt & ipse diligentiam faceret pro ecclesia Bremensi à summo pontifice obtinenda, interposita sua, secundum iuris formam, postulatione. Etat illis in Mauritio nonnihil diffidentiæ, &, vt est captus hominum, complacuit illis amplius in episcopo memorato. Populus autem Bremensis ex longa memoria semper in domũ Aldenburgensem inclinabat, præsertim hi qui de maioribus erant in vrbe familiis. Nam quoties plebs furens tumultuaretur in vrbe, semper inuenere præsidiũ in his comitibus: quod suis locis ostendemus.

CAP. 30.

*Præfecti improbi exemplum.*

MONASTERIENSI autem ecclesiæ per ea tempora præfuit præclarus & magnificus vir, dominus Ludouicus de Hassia, canonicus Carnotẽsis, literis appri-

CAP. 31.

mè instructus: & hæc prouisio prima facta est per dominum Clementem quintũ, summum pontificem. Introducitur in ecclesiã suam honorabiliter per Ottonem comitem Cliuensem (nondum enim ducali titulo erant, vt posteà & nunc sunt, insigniti) erat enim ex comitibus prouincialibus, de sanguine sanctæ Elizabeth. Ecclesiam Monasterien sem benè ac laudabiliter rexit. In domestica familia clericos primos habuit: quo contra nostri temporis pontifices, clericos in postremis, militares, imò ministeriales, habent in primis. Vita erat integra, pauperibus misericors, bonis amabilis, reprobis erat terribilis, in bellis fortunatus, inter principes acceptus & honoratus, in casibus duris interritus. Vltra omnes prædecessores suos opibus, gloria & honore pollebat, & anno præsulatus sui quadragesimo nono migrauit ad Dominum: hoc est, per tempora Clementis quarti, & Ioannis vigesimi secundi, & Benedicti duodecimi. Iam tum furrexit nouis ex causis cruentissimum bellum inter reges Francorum & Anglorũ, vixdum sopito benè veteri, quod erat de possessione Normandiæ, quam iamdudum Angli tenuerunt. Iam verò belligerare cœperunt de toto Franciæ regno, quum mortuis legitimis ex successione sine masculaprole regibus, regnum Franci deferunt Carolo de Valesio, fratrueli regũ: & Eduardus rex Angliæ, tenens filiam proximi regis coniugem, se regno ferebat propiorem. Franci in obseruantia veteri stetere, agnatorum lineam sequentes in successione regia. Angli proximum intuebantur sanguinem, illi successionem attribuendam putauerunt. Longa disputatio, maior digladiatio per multorum regum in vtroque regno succedentiũ tempora. Et durauit ad ætatem vsq; nostram.

*Bellum inter Francie & Anglie reges.*

CAP. 32. SVERINENSI ecclesiæ post Ludolphum præficitur germanus eius frater, Henricus: vtriusque certè bonum testimonium, vt in assumptione germani, desiderium sui quod Ludolphus reliquerat, agnoscatur: & nihilominùs perspicua virtus Henrici honoretur, qui bono fratri non impar futurus speraretur pontifex. Præfuit autem ecclesiæ in annum octauum, vir grandæuus quum assumeretur. Gloria non vulgaris contribulium suorum, duos in vna ecclesia sine medio fratres sui generis vidisse pontifices. Durat hodie, latéque diffusa est ea ministerialium familia, per multorum principum ditiones, opibus etiam non in postremis sui ordinis viris circunfulgens. Floruit per eius tempora in Italia vir insignis, Poëta laureatus, Franciscus Petrarcha, summis pontificibus, Imperatoribus, regibus charus: sed adduci non potuit, vt in cuiusquam se familiam deuinciret. Vir animo libero, quem nullis nexibus præter literarum studia voluit obligari. Visitauit pontifices in Galliis, scripsit regi Carolo, & ab eo vicissim literas accepit. Robertum regem Siciliæ familiariter adiit, ab eo lauream accipiens. Originem duxit Florentia natus, tamen Aretij in exilio (vt est gens illa factiosa) locum adeptus literis, delegit in rure in villa clausa, haud longè ab Auinione. Peregrinatus est per Gallias & Germaniæ partem, perque Italiam quocunque declinabat, viris magnis charus. Contemptor honoris, contemptor opum, dulcedine captus literarum, amator ocij. Pater eum Iuris disciplinæ & in monte Pessulano, & in Bononia subiecit. Ille rem negligentius egit, affectuosius auscultans Poetis & Oratoribus: vnde factum est, vt in vtroque sua emineret ætate. laudem præcipuam habet excitatorum per Italiã studiorum humanitatis. Plures vsque hodie habet admiratores, quàm imitatores. Scripsit Bucolicum carmen egregium, Apologeticis sermonibus plenum. Scripsit insignem librum de remediis vtriusque fortunæ, vbi ingenium, & multam eruditionem, latissimamq; lectionem ostendit: de suo secreto, deque laude solitudinis: Epistolas plures, ad diuersi generis homines, elegantiarum plenas: Inuectiuas in medicum loquacem, contemptorem Poetarum: adeoque affecit, vt etiã si illi sensus rerum remansit, mallet se siluisse, & Petrarcham minimè contaminasse. Obiit suum diem in solitudine, quam viuendo dilexit, anno ætatis penè septuagesimo. Vir longiori vita, & memoria dignus sempiterna.

*Franciscus Petrarcha.*

CAP. 33. VERDENSI ecclesiæ post Danielem, insignis prouenit pontifex, dominus Rodolphus, Imperatoris Caroli aliquando cancellarius, ordine episcoporum trigesimus nonus. Pauco tempore præfuit ecclesiæ: tamen condito testamento, charitatem quam habuit ad ecclesiam & fratres in ea suos, declarauit, erogatis trecentis

tis aureis pro sui memoria. Cuius temporibus Carolus, dominus eius, iam Electoribus in suam sententiam adductis, Romanorum rex Aquisgrani coronatur, & ab Innocentio Papa VI. missis Romam cardinalibus, iussus est Imperator consecrari. Posteà verò tempore Vrbani quinti, idem reuocatus est in Italiam, contra Bernabouem tyrannum Mediolanensium: cuius audaciam, ferociam, & potentiã aluit & auxit vehementer Ludouicus Bauarus, dictus à suis Imperator. Nam ecclesiam quoque & terras eius non præstitit immunes, multaq; multis damna irrogauit per Italiam. Misit Papa cardinalem legatum cum exercitu. venit Imperator & ipse stipatus agminibus multis: sed tamen sine magno profectu ecclesiæ rediit cum exercitu Carolus. Nam didicerunt Itali non ferro, sed auro pugnare. Quod verò nostris rebus accommodum est, dicamus. Imperator Carolus, hoc Rodolpho cancellario plurimùm adiuuante, pro libertate ecclesiastica contra dominos temporales, multa statuta edidit, & ecclesiasticis personis priuilegia immunitatis & libertatis amplificauit. A laicis edita contra eandem libertatem statuta, vt erant antè, irrita declarauit. Nam & veterum Imperatorum leges, ea iamdudum cassarũt & annullarunt. Adiecit, vt quicunque laicus cuiuscunque status, gradus, dignitatis, eminentiæ, aut conditionis existat, ausu sacrilego, vel propriæ temeritatis audacia, sacerdotem aut clericum secularem aut regularem diffidauerit, proscripserit, captiuauerit, spoliauerit, mutilauerit, occiderit, aut in carcere detinuerit, aut huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptauerit, vel fauorem eis præstiterit, eo ipso sit infamis & omni honore priuatus, nec ad placita aut consilia nobilium admittatur vllo pacto. Extat bulla aurea apud ecclesiam Hamburgensem, super his atque aliis exequutoribus ad ea datis regibus, archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus.

*Italorum arma.*

RACEBVRGENSI quoq; ecclesiæ per idem tempus præfuit insignis vir, dominus Otto, natus Militarium siue Ministerialium genere de *Gronawen:* deque actis illius, aut quanto tempore præfuerit, incertum qua negligentia, nihil relatũ est in annales: & ideo tempora eius commemoranda sunt per illustria aliorum opera. Iuo natione Brito, eruditissimus iurisconsultus, per hæc tẽpora Caroli quarti regnare incipientis, præter doctrinam & singularem eloquentiam, quibus insigniter præditus erat, mira etiam pietate ac misericordia in pauperes vsus, celeberrimus Romæ habitus est. Angelica enim fuit continentia, quæ in ea vrbe coruo rarior albo est inter seculares: & vitam suam à vino & ab esu carnium omninò cõseruauit intactam, corpus cicilio operuit: iciuniis, vigiliis & orationibus disciplinas miras, plusquàm monasticas adiungebat: nudam pro cubili terram luteam, rigidum saxum pro ceruicali: sacræ bibliæ volumen, quod indesinenter portabat, capiti aptabat: suamque omnem cum pauperibus, quos procurando defensitabat, conuersationem duxit humilimam. Patrimonium amplum cum haberet, spem in Deo ponens, pauperum, orphanorum & viduarum causas ex eo protexit. Hic omnium procuratorum & aduocatorum vnica meritò lucerna, condignam sui laboris mercedem percepit à Domino. Nam eo iam vita functo, quum crebris fulgeret miraculis, inter sanctos meruit aggregari. Eius festum v 1. Calen. Septemb. peragitur. Extant versiculi, eius laudem vtcunque perennantes.

CAP. 34.

*Romanæ continentiæ virtus.*

*Iuo, pater legum, custos, protector, & amplum*
*Egregiumq; decus: cui se debere fatentur*
*Iura, tuo toties iam debellata fauore,*
*Promptus eras iustas miserorum sumere causas.*

HILDESEMENSEM ecclesiam post longum bellum, Erico iam rebus functo, Henricus dux Brunswicensis, rebus pacatis, obtinuit. Dum illi digladiarentur grauiinuicem bello, causa nihilominus apud sedem Apostolicam agebatur. Ibi Henricus excommunicatione graui feritur, siue quòd iustior erat pars altera, in tota causa victrix: siue quòd per contumaciam non respondendi eos laqueos incide-rat. Tum verò absolutionem obtinuit, & introductus in ecclesiam, septendecim annis illi præfuit, pacatis ciuibus suis. Quum verò ad finẽ viuendi peruenit, optauit in sepulcro patrum suorũ tumulari, in ecclesia S. Blasij, collegio Brunswicensi.

CAP. 35.

Eius,vt diximus, iussione ciues ab illo capti, bello insidiante, vrbem Mariæ in eodem flumine extruxere, ad aliâ partem vrbis. Comitatum de *Sladen* ille adiecit ecclesiæ, cum arcibus *Widenlage*, *Woldenstein*. Erat tum temporis error ille vulgatus de adulterino marchione Waldemaro. Effinxit se, vir rustica plebe natus, officio molitor, in speciem ciusdem marchionis, asserens se dilapsum, diu extra regionem peregrinatum. Multos in crudelitatem adduxit: nonnullos, etsi nossent falsarium esse hominem, delectabat tamen quòd labor & perplexitas eream retur Ludouico Bauaro, quem pater Imperatorio iure inuestiuerat de dicto marchionatu. In his ferunt extitisse Carolum regem, ob causas memorabiles in festum domui Bauariæ, & præsertim dicto Ludouico. Sed euanuit falsarius: & post multa mala inde exusitata conquieuit ea tempestas: prout latius illa à nobis in Wandalia commemorantur.

CAP. 36. EA tempestate ecclesiam Mindensem pontifex gubernabat Gerhardus, nobili domo comitum de *Schawenburch* natus. Primus ex ea familia ad eius ecclesiæ pontificatum prouectus: quod satis videri posset mirabile, nisi maior pars eius generis comitum in Holsatiâ respexisset, quam tenuere diu pariter, donec per longâ successionis lineam patrueles inter se ditionem partirentur. Vidit iste pontifex lethifica tempora, grassantis per omnes prouincias epidemiæ: quæ tanta fuit, vt tertia vbiq; pars populi extincta putaretur. Grauis ira Dei, monêre scriptura Regũ & Prophetarum, in pœnam peccatis venire pestem, famem, malas bestias, quæ & fructus cõsumunt, & hominibus insidiantur. Sed ea tum epidemia tanta fuit, vt parem nõ meminerit vlla ætas, nec posterior aliqua talis, propitio deo, apparuit. Gerardus autem pontifex breui functus ministerio, in septimum vix annum peruenit: futurus ecclesiæ non inutilis, si diutior illi vita fuisset. Nam arcem Rodæ tempore suo adiecit ecclesię, daturus plura, si licuisset. Sepultus in ecclesia inter aram diuæ Mariæ nouæ, & Magdalenæ.

*Epidemia tertiam populi partem extinguens.*

CAP. 37. LVBECENSI deinde ecclesiæ vacanti præficitur præstans vir, dominus Bertrahamus, cognomento Cremon, concorditer electus à suo capitulo. Huic iam cõsecrato quidã *Steno Berh* mouit quæstionem super oppido Vthin, fingens illud per parentes suos ecclesiæ impignoratum. Et tandem causa posita est in manus Henrici comitis Holsatiæ, quem ferreum dixere, qui illud oppidũ cum iuribus & pertinentiis suis adiudicauit ecclesiæ Lubecensi, præfantibus, & id fieri consulentibus, Alberto & Ioanne ducibus iam Magnopolensibus, & multis aliis viris ministerialibus.

Dedit autem iste pontifex Sacristiæ pro vsu successorum suorum, preciosam mitram, siue insulam pontificalem, ad mille marcarum æstimatiuam, ea conditione, vt extra ciuitatem & diœcesim Lubecensem sine speciali capituli consensu non efferretur, nec impignoraretur, nec alienaretur. Dedit eidem sacristiæ plura vasa argentea, successoribus suis vsum solum deputauit. Emit curiam *Hoberstorper*, & villam *Hornstorpe*, nongentis marcis. Emit quoque villam *Katkaw*, & curiam *Roberstorpe* cũ stagno & molendino, & curtem dictam *Nigehoff* in parochia *Katkaw*, mille ducentis marcis Lubecensis monetæ, de pecunia recepta ex venditione villæ *Prodenstorpe*, ad mensam episcopalem tunc spectante. Emit curtem *Rodosant*, & molendinũ Gremetze illi adiacens, ducentis marcis: villam *Techaw* centum quadraginta marcis: villam *Offendorpe*, villam *Gimmendorpe*, trecentis marcis eius monetæ impensis. Vendidit villam *Holm* trecentis marcis. Vendidit quoque reditus quindecim marcarum Lubecensium, quos solueret annuos oppidum *Lutkenborch*, centum septuaginta marcis. Grauauit successores suos in perpetuum quadraginta marcis Lubecensibus, de prædiis & villis per eum emptis, pro certis memoriis & consolationibus annuis soluendis in ecclesia Lubecensi. Sedit in pontificatu annis viginti septem, appositusque est ad patres suos in senectute bona.

CAP. 38. HALBERSTADENSI ecclesiæ post Albertum ducem præficitur Ludouicus, marchio Misnensis, & comes prouincialis Turingiæ, qui octo quidẽ annis præfuit eccle-

eccleſię cum ſumma laude, indè transfertur ad eccleſiã Moguntinam: illã quoq;, quanuis occaſione, poſtea dimiſit Apoſtolica authoritate, tranſiens ad Bambergenſem. Sed neq; ibi permanſit finiens: nam poſt annos ſupra viginti ab eo tempore, quo primùm Halberſtadenſis creatur, peruenit ad eccleſiã Magdeburgenſem, in qua malè finiuit: quod ſuo tempore commemorabitur. Mortuus eſt per hæc tempora Ludouicus dux Luneburgenſis, qui per filiam Wilhelmi nouiſſimi ducis hæreditauit terram. Eo iam vita functo, relicta eius accepit comitem de *Schomburg*. Ludouicus autem in extremis agens, quod in eo fuit, ſucceſſorem ſuum deſignauit Magnum, Magni ducis Brunſwicenſis, qui principatum de *Landesberge* tenebat, filium. Acquieuere proceres terræ, cùm magna iam ſpes optimæ virtutis in eo principe conſpiceretur. Approbauere ipſi quoque Luneburgenſes iudiciũ ſui ducis, & magnis fauoribus Magnum initiò ſunt proſecuti. Non erat diuturna in eo virtutis indoles: citò conuerſus in alium virum, longè aliam ſpem præferebat. Trahere ad ſe omnia, confundere fas atque nefas cœpit: nihil per leges illicitum, quod libitum eſſet, habere: quibus ex rebus omnium in ſe ſubitò contraxit odia. Ipſe parens & literis & nunciis eum commonebat, vt ab improbitate diſcederet, ad primam rediret dominandi ſpeciem: nihil profecit. Infremuit ſenior, & minatus eſt, vbicunque illum obuiam haberet, in proximam arborem appendendum: in quam rem promptos dicebatur funes circunducere. Ille patrem irridens, ex argento catenam iuſſit fabrefieri, quam collo circuntulit: vnde & nomen ſortitur, vt dux catenatus diceretur. Vertebat enim patris iram in iocum, dicens: Pater minatur me iugulare funibus, præparatam illi rem præferam, vt catena vſus, nihil opus habeat, quos circunfert, funibus. Sed hæc in Saxonia diximus.

*Neronis quinquennium.*

BREMENSI metropoli poſt Ottonem præficitur Gotfredus, natus comitibus de *Arnsberg*, pridem Oſnaburgenſis epiſcopus. Præuenit enim apud ſedem Apoſtolicam Mauritij adoptati Oratores, ſiue iam erat quod ad agendã cauſam Mauritio deeſſet, ſiue potius gratiam meram Papa faceret Gotfredo, incompertum eſt: ſed tum Gotfredus confirmationem cum pallio eſt aſſecutus, fruſtratis, qui venerant pro parte Mauritij. Potuit fieri, vt pars poſtulantum vel numero vel merito prævaleret: aut formã ſeruauerint in poſtulatione, quam fortè eligentes, & archiepiſcopo ſuo ſubſcribentes, neglexere. Euentum videmus, quia fruſtrati ſunt: cauſam non ita. Annus erat milleſimus trecenteſimus quadrageſimus nonus, quum nuncij eiuſdem confirmati redirent cum literis: nec tardabat Gotfredus eccleſiã Bremenſem petere. excipitur cum ingenti honore: & volentibus nolentibuſque, fit archiepiſcopus, quia literis ſummi pontificis refragari nemo poterat. Mauritius tamen arces eccleſiæ tenebat, iam ab annis patrui Ottonis. Nam illo viuente, vicariatum pro illo, quod diximus, gerebat. Difficile inde & arduum bellum enaſcitur, dum alter papalibus literis innititur, alter poſſeſſione terrarũ gloriatur. De ciuitate in ſuum votum vtraque pars inſtituit trahenda diligenter. Illa diu neutralitatem ſuſtinebat, fauens quidem Mauritio, quum literis Apoſtolicis refragari nec auderet, nec poſſet: tamen de voluntate Mauritij quieta diu ciuitas permanſit, nec ſe partibus immiſcebat. Facilè ſibi patitur deeſſe ciuitatem, ſi tamẽ æmulo non adſit. Gotfredus agebat in ſuorũ conſilio, quanam ratione ſibi deuinciret ciuitatem, quum alioqui impar & impotens videretur ad reſiſtendũ aduerſario, qui viribus vteretur diœceſis in eum. Erant qui dicerent, quatuor in plebe viros primarios, qui authoritate in vulgo & linguæ volubilitate præſtarent cæteris, pelliceret promiſſis & pollicitationibus, qui facilè cõmouerent infrenatã plebem: plebs mota vrgeret ciuitatis conſilium, cum maioribus cedere inclinationi multitudinis. Inſtruuntur, promiſſis animantur. Illi pollicitis magnis rebus operã pollicentur: ſeminant latè rumores in plebẽ, magno ciuitatem periculo inuolui, quę literis Apoſtolicis obuia fieri permittat: verum archiepiſcopũ à ſede Apoſtolica cõfirmatum opprimi volens, ſciensque patiatur adulterinum adminiſtratorem: niſi publicũ ciuitatis conſiliũ, & ipſi patres conſulares rebus aliter conſulant, magnum vrbi imminere diſcrimen. Quid multa? mouetur incompoſitũ vulgus his ſermonibus, & turmatim inuadunt prætorium, vrgentes conſiliũ ciuitatis publicum, vt

CAP. 39.

1349.

discussa quam cum Mauritio seruarent amicitia, & occulta intelligentia, bellum illi indicant pro Gotfredo, vero pontifice: ni faciant, sciturosse suis publicis rebus iam aliter consuluisse. Multis rationibus consulares tentant populũ à sententia dimouere, prætendẽtes incõmoda & damna plurima, quòd spontè se bello, ad se nihil pertinente, immisceant: facilem esse ingressum ad bellum, sed egressus futuros difficilimos. Nihil agunt consulares apud persuasam iam plebem. Clamore pro sua consuetudine contendit semel inflammatũ vulgus: iam patere, quid sibi velint crebræ cum Mauritio comessationes, & choreæ cum illo frequentatæ sub noctes. Non publico patres commodo, sed priuato Mauritij fœderi & affectibus inseruire: nec cessauere à tumultibus clamosis, quoad bellum decerneretur Mauritio. Omnia ciuibus per publicum consilium prædicta sunt, quæ essent secutura.

CAP. 40. MAVRITIVS acceptis à ciuitate literis, quæ hostilia illi nunciarent, publicas vias milite insedit. Wiseram fluuium ciuibus fecit infestum, nec erat facile quicquam in tenentem arces conari. Lesmonã transire ciues non poterant, quòd aditum seruaret Mauritius de Huda, vbi posuit militum præsidium. Pontem cum propugnaculis instruxere Bremenses supra fluuium, præsidiumq; firmarunt vnde defenderetur: sed neque sic transire poterant, nisi armatas naues ad propugnãdum adiungerent. Quo facto, quum pontem transissent, vastatione, incendiis vniuersam ecclesiæ ditionem percurrebant. Mauritius autem collecta vndecunque valida manu, ad numerum nongentorum, armis expeditorum militum, cui agmini inerant de *Oldenburg*, de *Linow*, de *Stenforde* comites, Paderburnensis episcopi manus cum multis nobilibus: & ducebat in vrbem Bremam ad fortalicium, quod habebant ciues ad hospitale, qua promptius erat iter. Ibi se opposuere ciues armati, transitum prohibituri vlteriorem. Conseruntur manus, grauiter pugnatur, cadunt de Bremensium parte multi, plures etiã capiuntur. hostes vastant obuia quæque: nisi superstites ex ciuibus sepium præsidio, quò penetrare non potuit eques, defenderentur, omnes suæ temeritatis iustas luerent pœnas. Inde conuerso agmine ducebat Mauritius in portam Orientalem, vbi suburbium erat non contemnendum, ab ipsa vrbe vsque ad cœnobium sancti Pauli, ædificiis continuum, habitatoribus plenum: rapinæ, cædes, incendia, ibi omnia miscuerunt. Mauritius priusquã prælium iniret, iam ordinatis aciebus creauit milites auratos, Conradum fratruelem suum de *Oldenburg* comitem, Engelbertum de Marca, Ottonem de *Linow* comites: & nõnullos militares, qui patrata victoria honorem illũ seruauere. Quumq; ibi omnia incendio consumpsisset, processit vastans vsque ad Lesmonam, pontem vicit, præsidiũ deiecit, nauim, quæ iuxta erat, vi cepit: rediens ad confinia ciuitatis, portas vidit non clausas. Introierũt speculatũ ex agmine duo, & videntes clausas domorum fores, læti redierunt, dicentes in Mauritij esse potestate, si vellet, vrbem totam. Grassabatur autem pestis tum in vrbe terrificè, ita vt desperata salute, domi se quisq; suæ contineret. Audiens Mauritius, ingemuit, dicens: Quia supernus rex illam oppugnat vrbem, nolo vt accedat afflictis à Deo, afflictio nostra. Multa mihi iucunda in hac vrbe fuerunt: si modò dissidemus, redibit aliquando tranquillitas & reconciliatio: retrahamus ab illis manus, quos castigat seuerus rerum arbiter Deus, ne & in nos serpat contagio. Ita reduxit exercitũ, vir, qui eius dignus videretur imperio, quòd tam benigno fuit animo in afflictam. Populus autem vrbis ad pœnitudinem conuersus, quòd incredibilia rerum damna pateretur, orabat consilium ciuitatis, vt de pace cogitaret. Difficilem fore rem cõsulares responderunt: omnia quæ cernerent, quæq; paterentur, illis esse prædicta. Pollicetur populus, nunquam se turbaturum acta atq; constituta publici consilij: idq; iuramento firmabant, statueruntque, vt in libro memoriali vrbis scriberetur propter venturos ciues. Omnes principes tumultuationis, publiciti sunt simile iuramentum exhibere senatui. Interuentu ergo publici consilij Bremensis, pax in hanc formam inter partes componitur.

*Afflictio non debet addi afflicto.*

CAP. 41. GOTFREDVS confirmatus archiepiscopatum teneat: Mauritius totius ditionis quæ ad ecclesiam pertineret, sit præfectus administrator. In hunc modum composita

compositа res, non diu constitere. Nam quod necesse fuit in eo rerum statu, auersis inuicem animis, queri cœpit archiepiscopus, neque commeatus abundè præstari à Mauritio, neq; pontificatus honorem haberi ab illo. Tum conuersus archiepiscopus in Gerardum de Hoia comitem, illū cœpit habere adiutorem, contempto Mauritio. Sed neq; is erat status longæuus. Nam ciuitas anno quinquagesimo sexto cœpit populari tumultu iterū indicere bellū Gerardo, quòd multos ciuium suorū super seruitute impeteret. Coactus senatus à ciuibus iterum nunciare bellū Gerardo, diu repugnabat: ad extremū superare quando ciuiū clamores nō potuit, bellū, vt voluere, senatus indixit: quamuis comes multis se modis & viis ad standū iuri exhiberet: ad dictamen duorū de capitulo, & totidem de ciuitatis cōsilio, rem omnem in ciuitate dirimi per electos arbitros pateretur. Nihil profuit apud infrenatam multitudinem tanta in iure exhibitio. Stimulabant cæteros, qui status sui quæstionem metuebant: nec poterat præterire senatus ipse, longè aliud sentiens, quo minùs bellū comiti indiceret, cum administratore Mauritio & capitulo primum facta cōciliatione, vt adhærerent bellū gerentibus ciuibus. Tenebat comes de Hoia memoratus arcem *Tedinghusen*, quā à comite de *Bruckhusen* qualicunq; ratione accepit, quum esset in iure ecclesiæ. Hanc amittere idem comes plurimum metuebat, quòd in ea plurimū præsidij sua ditio teneret. Victi deinde eo bello Bremenses, quum ingenti prælio inferiores essent, plurimos suorum amiserunt, cæsos captosq;. Quā rem illa tempestate in excusationem prætendebāt, ne ad cœtum ciuitatū de cōmunione ansæ Teutonicæ Lubecam euocati Bremenses cōcurrerent. Accusata erat in eo conuentu multiplex Bremensium contumacia, electi sunt de cōmunione ansę memoratæ. Opulentia tum illos fecit insolescere, vt neq; intus pacem, neq; foris æquabilitatē possent sustinere. Diu laborarūt, priusquā ad memoratā cōmunionem iterū reponerentur: hoc est, ad vsum priuilegiorū in mercaturis. Obiectum est tum illis, quòd quidā Bremensis ciuis damna in mari per piraticā sine discrimine transeuntibus irrogaret. Replicatū est ab illis, esse illum cōmunem omniū hostem, & perindè suorū ciuiū aduersarium: & tamen habere illū in Hamburgenses iustam causam quā cum multa ratione prætenderet. Bremenses tamen ad eam communionem non reponuntur, nisi præstita per literas cautione super multis ibi compræhensis, quam vtique cautionem dari opus nihil erat, si non magno interim desiderio adspirassent admitti in eam societatem.

*Quia malo fundamento non felicitèr ædificatur.*

*Bremenses iterū cedunt.*

BREMENSES igitur renouato bello cum comite de Hoia, fama erat, trecentas illi lanceas venire præsidio: ciues sexcentas iubent conscriptas accersiri, vt duplicatus esset illis numerus. Comites de Marca adduxere vrbi agmen præfinitum: quumq; peruenissent in vrbem, currus omnes armamentis & impedimentis onerantur, & commeatibus implentur: sed quum ad prælium esset exeundum, comes memoratus, acceptis literis à nescio quo principe, irreuocabilis cum suis abscessit. Frustrata est ibi multiplex impensa. Sed tamen miles vnus & aliquot militares, à comite de Hoia, ob nescio quam offensam, transibant ad hostes, quia feuda in arce *Tedinghusen* in precium transitionis acceperant. Exibant ergò Bremenses inde animati magno suo belli apparatu ad prælium, vastantes comitatum de Hoia'. Quum non parcerent sacris locis aut templis, comes inuocato Dominico nomine, cuius hostes sacra profanabant, incurrit in eos: & multis occisis, aliquot militares, & multos ex ciuibus locupletiores in prælio capit. Nec quieuere victi Bremenses: dromones (genus id est nauium in summo natantium) expediebant, quibus armatis ascenderant per aquas vsque Hoiam. Graue ibi prælium aduersi conserunt, fortiter resistunt hostibus indigenæ: ignem Bremenses immittunt, sed pluuia occurrit incendio. Inde defluente ac prono amne mouent in *Tedinghusen*. Ibi renouato prælio, multi vtrinque cadunt. Ad extremum ingraue scente oppugnatione, arcem dedunt qui præsidio inerant: lætitia ingens Bremæ, mœror apud comitem. Victoriam pristinam, si optio est, hoc incommodo permutasset: tantum reposuit in hoc præsidio. Post annum facta vtrinque compositione, capti locupletes, suo se redimunt ære: pauperes clamitabant ad vniuersam ciuitatem, vt ære publico laxati redimerentur. Voluit senatus imponere collectam cæteris ciuibus,

CAP. 42.

ad laxandum qui capti tenerentur: non sustinuere populares. nam inde ortus est
*Tactus in ciuitate Bremensi.* in vrbe tumultus insurgentium, qui inita in vrbe conspiratione, se grandem appellaure ligam, diu durans in parniciem ciuitatis. Mercatores vrbis se coniunxere senatui, passi imponere collectam. Cœperunt autem res ciuium paulatim diffluere ac minorari, intermissa per bellum negociatione. Nam & gramina in publicis locis succreuere, paucitate commeantium. Sed & militares qui transierant à comite ad ciuitatem, super damnis acceptis eo bello, publicum consilium interpellant, volentes sibi omnia ad integrum resarciri. Res posita est in arbitrũ, Christianum de *Delmenhorst* comitem. Ita terminatur, vt dato illis feudali in *Tedinghusen* beneficio, conquiescerent. Hoc rerũ ordine & cursu perplexo, archicpiscopatum renuit dominus Godfridus, per annos decem, ad annũ Christi millesimũ trecentesi-
1359. mum quinquagesimum nonũ. Tum cõsilio Gerhardi memorati, comitis de Hoia, qui ciuitati Bremæ iustis de causis erat infensissimus, Albertum Magni ducis de Brunswico filium adoptauit, vt de successione certus maneret in præsulatum. Sed res duobus penè annis apud summum pontificem vix peragi potuit, vt viuente Godfrido Albertus confirmaretur. Superuixit autem Godfridus archiepiscopus ad annum Christi sexagesimũ tertiũ, & Stadij in non pontificali victu moriens, decessit calamitosus ad finem vsq; pontifex sepultus ibidem in ecclesia diui Georgij.

CAP. 43. SVERINENSI per eandem tempestatem ecclesiæ Henrico succedit pontifex, insignis vir, Andreas. Cuius quia annales non commemorantur, genere plebeium, sed virtute præstantem, accipio: alioqui inter ministeriales nõ eminuisset, qui sibi in talibus primas partes desumunt. Præfuit autem ecclesiæ suæ cum plurima laude in annũ octauum, & concessit è vita. Iubileus hoc tempore, quem Bonifa-
*Annus Iubileus Israeliticarum.* cius octauus ad centesimũ instituerat, ad verũ Israelitarũ Iubileum, hoc est, ad annum quinquagesimũ reducitur, in quo septies septem quadraginta nouem constituunt, vt proximus quinquagesimus, sit verus sabbatismus, tribuens plenã remissionem peccatorũ, quod in veteri præludio significabant possessionum libertates, debitorũ relaxationes, quas inuicem fratribus præstare iubebantur in lege Moisi. Rationabilis ea visa est omnibus iubilei institutio, quòd ad figuram veteris Testamenti aptaretur: & quòd breuis hominum vita, ad centesimum pertingere non posset. Quo anno tantam fuisse hominũ multitudinem Romæ, scribit Petrarcha,
*Pestis grauissima Italiam vastat.* qui viderat, vt nihil mirum sit ex ea colluuione ortam grauissimam pestem: quæ omnem Italiam ita exhaustam fecit, vt ex mille vix decem supererent. Manauerat latè ea lues, & serpebat eodem penè tempore per omnes prouincias, vt coortã potius*quàm concursu hominum quiuis facilè secum reputet. Sed nihil obsistit, causam accedere causæ, & corruptionem aëris cælo influxam adiuuari corruptionibus terrestrium causarum. Hoc verò aliàs.

CAP. 44. PADERBVRNENSI ecclesiæ post Balduinum præficitur Henricus Spegel, abbas Corbeiæ, adiutor præcessoris ægrescentis Balduini: nam quum ille podagrę & paralysis vexaretur incommodis, assumpsit illum de monasterio sibi ad omnia adiutorem. Hinc primùm per Apostolicam prouisionem prouenit pontificatus, antè semper vel per electionem legitimam, vel principum voluntate assumptis
*Flagellantiũ festa.* ad eum diem pontificibus. Secta tum flagellantium, dudum orta in Italia, peruenit in Germaniam. Ibant bini, crucem præferri facientes per vrbes, nudati ad femora, flagellisque se lacerabant miseris modis. Species erat miserabilis, & quæ facilè ad lachrymas commoueret visentes: sed horrendi intùs latebant errores, qui Deo volente, propalati, exterminabant dæmoniacas illas adinuentiones. Interim verò facie deiecti, vultibus ad commiserationem flexi, canebant hymnos in laudem crucis Christi: & quoties nomen Christi interuenerat, quod vtique non ra-
*Martyres diaboli.* rò fiebat, proni cadebant sine respectu loci, lutosi, scruposi, louis, asperi, humecti, aridi, nihil verentes. Habet enim inter mortales & diabolus martyres suos. Sed ad Henricum reuertamur episcopum. Ex hoc Henrico irrepsit abusus in ecclesiam hanc, & multas alias, vt erubescant episcopi ipsi facere sacrum ministerium in ecclesiis consecrandis, ordinibus dandis, velandis virginibus: quod vsque ad hunc omnes prædecessores eius fecerunt ipsi. Nunc, si diis placet, erubescimus

diuinum

diuinum in ecclesia ministerium, & sacramus canes in nemore, aut adoramus secu lares principes in aula. Et huius rei initium in hac ecclesia cœpit ex abbate, pridem religioso viro, vt per titulares episcopos impleant, ipsi autē ocioſi, aut secularibus reb. impliciti, scilicet. Cæterùm erat vir satis seuerus, iustitiæ & veritatis tenax, inimicis durus. Comitem de *Arnsberg* frequentibus prælijs fatigauit, capto oppido sub arce, vt ad æquas secum compositionis leges descēdere cogeretur. Et post hæc idem comes quum liberos non haberet, comitatum de *Arnsberg* in suo testamento legauit diuo Petro in ecclesia Colonienſi. Idem Henricus episcopus induxit omnes episcopos, comites, barones, & ministeriales Westphaliæ ad iurandam pacem, ita vt sacræ ædes & cœmeteria, personæ ecclesiasticæ, mercatores peregrini, & orantes, cum rebus suis libertate tali gauderent, quòd nemo eis violentiam inferret: & quicunq; pacem illam violaret, suspendio interirer. Et sequuta est rigorosa exequutio in violantes. Venit Imperator Paderburnam, quum Aquisgranum peteret, & ab Henrico solenniter excipitur, deduciturq;. Peruenit autem Henricus apud ecclesiam ad multos annos, quicuitq; apud illam in pace.

MONASTERIENSI ecclesiæ proximus præfuit Adolphus, natus comitib. de Marca, canonicus antè Coloniēsis, satis in iure canonico doctus, qui aliquot annis pacificè gubernabat ecclesiam Monasterienſem: sed posteà ingruentibus malis, pressuram sustinuit aduersariorum, qui eum & ecclesiam suam grauiter impugnauerunt. Postea tamen per summum pontificem translatus est ad ecclesiam Colonienſem, in qua non diù perstitit, sed in manus summi pontificis renunciauit. Ioannes autem de *Verneborch*, qui ei in ecclesiam Monasterienſem succeſſit, solenniter quidem introductus, & honoratiſſimè susceptus, quum vix vnum annum in ea perstitisset, mox transfertur ad ecclesiam Traiectenſem. Ita ecclesia Monasteriensis tum contempta est, vt facilè dimitterent, data spe vberioris loci. Tum quoq; cœpit ista translatio pontificii frequentari, quæ antè non consueuit fieri, nisi magnis & ponderosis de causis. Florentinus quoq; de *Weuelkauen*, trigesimus octauus Monasterienſis episcopus, quum esset canonicus Colonienſis, per Vrbanum quintum de ecclesia Monasterienſi curam suscepit. Hic in diebus suis vtiliter tantæ præfuit ecclesiæ, perdita recuperabat, quę reperit adauxit, & ecclesię rebelles domuit. Hic quoque post aliquot annos per eundem Vrbanum translatus est post præcessorem suum, in ecclesiam Traiectenſem, quam summa industria ad finem vsq; vitæ laudabiliter rexit. Hos ego pontifices vna ponendos esse putaui, quòd illorum nemo apud sponsam suam permanens, cum ea dormiuit in pace: sed omnes, quod diximus, ad vberiores sunt translati.

*Pontificii trāſlatio frequentari capta.*

Cap. 45.

VERDENSI autem ecclesiæ post Rodulphum præficitur Gerhardus, ordine quadragesimus, in illa ecclesia, natus familia ministerialium de Monte, qui postea translatus fuit ad ecclesiā Hildesemenſem. Ergo paruo tempore præfuit huic Verdenſi. Gurguſtium in Wesera, quo pisces in transeuntes agi prohibiti capiuntur, quod ad mensam pertineret episcopalem, renitente comite de Hoia, constituxit atq; firmauit, & ad mensam reduxit: quod tamen postea Otto, huius quoq; ecclesiæ pontifex è domo Brunſwicenſi, ad muliebrem, sororis scilicet suæ, quā Comes memoratus tenebat cōiugem, in stantiam, per occupationem Ottonis de Hoia comitis, satis facilè dimisit in præiudicium ecclesiæ. Præfatus autē dominus Gerhardus tres pannos sericos auro mixtos, ad præparamenta ecclesiæ donauit, & in memoriale sui nominis perenne reliquit ecclesię: plura comparaturus, si apud eam ecclesiam permanere licuisset. Per hæc tempora Bartolus Saxoferratenſis, illustre legum lumen claruit, omnium superiorum temporum interpretum facilè princeps: qui dissonantes leges in vnam concordiam redigere, supra omnes singulari ingenio nouit, qui prę cęteris legum interpretibus in Digesto veteri, Infortiato, Nouo necnon in reliquis codicibus legum, clariſſima edidit commentaria: quorum præstantia posteri omnes eum admirari coguntur. Scripsit & Tiberiadis tractatum, atque Consiliorum volumen. Plura deinde nominis sui præclara monumenta reliquit. Anno ætatis suæ quinquagesimo sexto excesſit è vita, tumulatus ad Minores in Perusio, vir memoria dignus sempiterna.

Cap. 46.

*Bartolus Saxoferratenſis Iureconſul.*

CAP. 47. RACEBVRGENSI verò ecclesiæ præficitur per id tempus Wipertus, quem magna virtutis indole necdum professum, necdum capitularem feruntur assumpsisse & elegisse fratres, vt esset eorum pontifex. Ascendit ipse, Romanum petens pontificem, quia & ab annis ei fuit dispensatione opus: alioqui Bremensis archiepiscopus illum confirmasset. Pontifex Romanus adolescentiam eius fertur contempsisse, nec facilè annuisse postulationi eius. Aiunt rem tum proueniss̃e miraculo dignam, vt ostenderet Deus, ex se prodiisse electionem eius. Ea, quæ proxima, nocte
*Miraculum.* ita incanuit, vt postero die præsentatus pontificis conspectui, non esse putaretur is, qui pridem confirmationem petiisset. Vbi intellexit eundem esse, nihil moratus, dispensauit, confirmauit: iussitq; hominem episcopum consecrari, quem euidenti signo Deus à se comprobasset electum. Reuersus ad ecclesiam suam, optimè illam gubernauit. Erat vir magni animi, non territus etiam difficilimis aggrediendis. Albertus dux Magnopolensis, qui primus cum fratre intulit familiæ & domui suæ ducalem honorem, impetiuit, tanquam sui iuris esset, villam Rodenstorpe, quæ erat
*Potentum ingenium.* & est ecclesiastici iuris: hoc se probaturum pontifex ostendit. Non auditur: sed potenti manu, vt habent in more nonnulli potentes, sine contradictione molitur auferre. Rogat pontifex, dignetur audire se desuper, videre documenta, rem venire sinat ad discussionem iuris vel amicitiæ: sinat vel amicabiliter causam controuersiæ in lucem venire coram paribus curiæ: nihil impetrat. Tum vbi videt omnes iuris & amicitiæ vias claudi, in cœtu multorum ministerialium, pontifex: Audite, inquit, principes, & qui adstatis vniuersi verbum Domini. Deus qui per merita serui sui Ludolphi prædecessoris nostri, cui in tempore suo maiores vestri impenderunt misericordiam & cõsolationem in afflictione sua, exaltauit & glorificauit domum vestram, dux Alberte, vt inter multas paris gradus opibus, honore, ditione, creueritis: & hanc gratiam pro humilitate & misericordia estis consequuti. Video vos diuinis beneficiis & sancti sui peringratos: sequar iudicium diuinæ pietatis, inferam pro benedictione maledictionem, & respiciet Deus preces seruorum iniustè afflictorum. Hæc ea voce terrificè dixit: & simul dicens, iubebat afferri pontificalia indumenta. Statimq; emollitus dux, territum se ostendens, velut à Deo aut angelo audisset increpationem, cessauit ab impetitione. In arce Schonenberge multa exædificauit, & ornauit: præsertim capellam, in qua diuinum peragitur ministerium. Erat genere ministerialium de *Blucher*: & optimo fine concludens, apud ecclesiam suam quiciuit in pace.

CAP. 48. SVERINENSI ecclesiæ per idem tempus præficitur post Andream memorabilis vir, Albertus: sed posteaquàm illi ecclesiæ præfuit per annos octo transfertur in aliam, quod tum frequens esse cœpit per Gallicos pontifices, qui rem illà crebriùs, quàm vnquam antea vel pòst fuerit audita, concesserunt. Ferũt eundem tertio translatum ad ecclesiam Magdeburgensem. Hoc vtrùm & quando factum, infrà non tacebitur. Successit autem illi in ecclesia Suerinensi Rodulphus, de quo nihil amplius in annalibus est, nisi quia Rodulphus successit, & vix anno completo, in fata concessit, anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto. Hoc tempore claruit Romę Brigitta, fœmina Deo deuota, regno Suediæ oriunda. Quæ cum filia, morte mariti libera, peregrinationis & deuotionis gratia Romam commigrauit, ibiq; cælibem vitam duxit, multis reuelationibus instincta est, quæ per vrbem & Italiam sparsę tenentur. Habuit confessorem religiosum nomine Alfonsum: qui posteà eremiticam vitam eligens, multa scripsit ex his, quæ ex ore memoratæ fœminæ audisset. Fertur Clementi papæ sexto denunciasse, vt Auinionẽ veniret, Romanam ecclesiam reformaret, alioqui diuinam indignationem persentiret. Monitus est, vt ferunt, & in Auinione visione cuiusdam fratris ordine Minoris, insequutor eius Vrbanus quintus commonefactus, non cõtempsit. Nam biremes, quas occultò parari iussit, & descendens in portum Massiliensem, ab eodem fratre est interpellatus: quòd si rediret, vt facturũ apparebat, in locum suæ mansionis Auinionem (non enim se ita conferebat quasi mansurus in Italia) futurum, vt fieret Iosias, incipiens & non perficiens, & daturus esset locum schismati in proximo venturo, in quo mille millia animarum essent peritura. Ille se contulit Romam, & opportunis

nis locis palatia iussit extrui, vt æstiuo tempore haberet curia, quò se conferret. Pleraque in vrbe ordinauit, quasi de proximo venturus cum omni curia. D. Brigitta, quum Romæ consisteret, vidit in visione Mariam sibi dicentem: Ecce papa redit Auinionem, cõtra Dei voluntatem: quod dum fecerit, statim morietur, rationem Deo redditurus. Hanc reuelationem scriptam de manu fratris Alfonsi confessoris tradidi, qui perferendam summo pontifici polliceretur. Sed ille velut aniles næniias & somnia contempsit: sed statim, reuersus Auinionem, obdormiuit, proueniteq; quod mulier prædixit.

Ecclesiæ Mindensi per ea tempora præfuit Theodoricus, eius nominis tertius, cognomento *Cagelwid*, homo plebeio genere natus ex Stendalia, ordinem professus Ciſtertiensium, in hac ecclesia quadragesimus primus quem Imperator Carolus IIII. pro industria, quam in homine deprehendit, eductum monasterio, sequi iussit curiam, & paruit. Multa eius ingenii facinora designauimus in nostra Wandalia. Imperator eum prouexit, fauore summi pontificis, ad ecclesiam Ebronensem, inde ad Sleswicensem, vt annalis testatur: quod satis nouum, extra Imperii fines, hominem Imperio deditum, episcopari. Ab illa verò ecclesia translatus est ad Mindensem, opera & prouectione eiusdem Imperatoris, qui illum pro ingenio, quouis episcopatu dignum ducebat. In hac autem ecclesia præfuit in annum nonum non inutilis futurus pontifex. Memorãt seniores nonnulla eius dicta & facta, quæ à patribus suis audierint, prudentiam & alacritatem, & dexteritatem viri testantia. Quum intellexisset Imperator esse controuersiam in ecclesia Magdeburgensi super electo, misit nuncium ad pontificem, qui ecclesiam pro suo Theodorico obtineret: quod iam exinde dicemus. Cap. 49.

Magdeburgensis ecclesia vacabat, Ottone mortuo, & postularunt ea nonici Ludouicum Misnensem marchionem, episcopum Halberstadensem. Vbi res innotuit, ciues magnis clamorib. sunt refragati: postulantes, ne vllo pacto hoc fieret, hæreditarium illis omnibus futurum bellum cum domo sua. Dum res ista penderet, venit qui afferret Apostolicas literas, esse prouisum de ecclesia illa domino Theodorico Mindensi episcopo, quem ad instantiam Imperatoris Caroli transtulisset ad ecclesiam Magdeburgensem. Gauisi sunt ciues, quòd ab Ludouico discederetur. Consolati sunt quoq; canonici, qui non voluntate ciuium prouiderint ecclesiæ. Igitur Theodoricus in ecclesiam solenniter introductus, excipitur splendidè, & bonis initiis cœpit gubernare. Reperit ecclesiam maiorem ab annis centum quinquaginta perfectam, necdum consecratam, quòd refugerent prædecessores magnitudinem sumptuum, in tam solennis ecclesiæ dedicatione. Igitur proximo anno, paratis omnibus quę ad rem pertinerent, maximo splendore, quòd magn⁹ eius animus eò propẽderat: viditq; in Imperatoris curia, quem diù secutus fuit, regium sæpè apparatum, homo plebeio genere natus de Stendalia, nutritus in monasterio Ciſtertiensium: ob eam rem, quòd Imperatori videretur singulari præditus ingenio, ad gubernandã curiam assumptus à cœnobio: de quo plenius in nostra Wandalia. Inuitauit principes vicinos, episcopos, abbates, prælatos, nobiles, milites, & quicquid propè erat magnum: & ingenti apparatu, solennibus epulis, eu riam celebrauit, cui nullius memoria parem vidisset. Poterat hoc vnius viri mãgn⁹ animus, quod multi principes non potuere. Igitur septem annis ecclesiam gubernauit. Nonnulla, vt fieri solet, excreuere illi aduersantia ex capitulo, ex ministerialibus, ex ipsa ciuitate, quibus diù moderandis institit, diuq; temperauit. Vbi vidit iam se rebus moderandis non satis esse, nolletq; præsens videre quæ displicerent, nec possent ad nutum eius reformari, commendauit ecclesiam canonicis, præsertim prælatis in ea ministerialibus arces & oppida ecclesiæ: Magdeburgensib. quoque verbum fecit, vt ecclesiam pro sua virili tuerentur, prouiderent, armarent: reuersusq; ad Imperatorem est in Bohemiam. Cap. 50.

Hildesemensis ecclesia post principes, comites, barones, pontifices, accepit Apostolica prouisione fratrem, ordinis Prædicatorum. Vide quò tendat ambitio. Monachus ille nõ fuit clausus monasterio, sed diuersatus in curia papali, aut Imperiali: indeq; promotus est ad hanc Hildesemensem. Quid facerẽt canonici aper- *Ambitio.* Cap. 51.

tas pontificis literas cernentes, quibus contraire non poterant? Ergo susc ipiũt episcopum: sed illi nascuntur, siue ex suis causis, siue ex ordinatione ministerialium, vt facilè tęderet virum, monasterio & quieti assuetum, curiæ perplexitatem. Hinc illi nunciantur hostilia, inde abacta pecora nunciantur: alius queritur se captũ, nonnulli per itinera rebus spoliatos. In armis exercendum fuit: loricam non patitur, assuetus vmbræ frater. Ergo vbi vidit quid ageretur, quodq; non posset ecclesia, nisi armis, inter armatos defendi, vixdum expletis in pontificatu duobus annis, dimissa ecclesia, rediit ad pontificem. Magnus tum iunior, Magni ducis Brunswicensis filius, quum prœesset terrę Lunenburgensi, omnes qui essent propè & longè, tenuit iniquitas. Ipse verò mercedem suæ iniquitudinis accepit: quam rem in Saxonia exegimus. Sed, quod nostræ fuerit accommodum rei ecclesiasticæ, Brigitta iam in Italia innotuit reuelationibus suis, & vitę sanctitate clarescens. Ea monuit per sche dulam, quam dominus Latinus de Vrsinis Romanus baro afferebat vndecimo Gregorio, iam recens ad pontificatum assumpto, nisi veniret Romam cum humiliate, & paterna charitate, visurum durissimum rerum suarum exitum. Ille non contemnens admonitionem, semper quibusdam se monentibus, fecit eandem per nuncium consuli. Eius autem fuit existimationis, vt nec pigeret pōtificem quærere quid vellet, & non pœniteret nobiles viros ea nuncia perferre. Respondit interrogata in scripturis, de manu Alfonsi monachi confessoris sui. Et eam schedam iussit gemi nari vno tenore: alteram cōsignari clausam abbati, quem papa misit in Italiam, magnæ rei gratia: alteram in conspectu abbati legi, mox lectam in frusta conscindi, diceretq;, quomodo papyrus cōscinderetur, & spargeretur per minutias in ventum: ita, nisi rediret in vrbem Romam, ecclesiæ Romanę possessiones per Italiam esse lacerandas, & tyrannorum viribus dissipandas. Istam reuelationem attulit Auinionem, vt traderet pontifici, dominus Nicolaus Comes de Nola, motus nécne fuerit pontifex his rebus, incertum est: hoc tamen certum est, hunc Gregorium reduxisse curiam in vrbem.

*Maiora quędam ribus suscipit, turpiter desistat, cùm necessium.*

*Transfert papa ex Gallia Romam sedem suam.*

CAP. 52. GERHARDVS autem episcopus Verdensis, transfertur tum ad ecclesiã Hildesemensem. Erat, quod diximus, ordine ministerialiũ de Monte prognatus, præfuitq; ecclesiæ suæ Hildesemensi annis triginta tribus. Duas arces exædificauit in diœcesi ad ripam Leinæ fluminis, *Stenibrugge* & *Coldinge*: potitusq; victoria, de qua statim, ex præda instauraut de nouo Carthusiam in *Hildesem*, eamq; dotauit, cligēs in ea sepeliri. Per quæ tempora noui iterùm ordines in Italia nascuntur, Iniesuati: apud Senas concurrunt, habitu laicali, viuentes communiter de labore manuum, & in simplicitate sua contenti, ad nullas opes, ad nullum ambiunt splendorem. Vrbanus papa quintus, quum de his audiret, iussit adesse sibi. Interrogabat, audiēs de ritu viuendi, satis approbauit, dans eis protectorem virum potentem, qui illo zelo efferuescens, plura illis impertrauit priuilegia. Nunc diffusi per Germaniam, Italiaq;, crebras meruerunt per oppida domos. Ordo quoq; sanctæ Brigittæ iam tunc sumpsit exordium: viri ac fœminæ non iisdem tectis, verum in ecclesia ita diuisim habitant, vt ad alterutrum commeare non possint, nisi ad deferenda Sacramenta. Abbatissa regit omnia. Inter fratres, dominarum confessor præsidet. Formam viuendi ex regula diui sumpserunt Augustini. Basilii autem vetus traditio est, ordinē in vtroq; sexu haberi. Fratres ad necessitatem sacramentorum, & ad forensia negocia deseruiunt. In pauimento ecclesiæ diuinum habentes officium, sorores in solario desuper diuisis horis Deo personant laudes. Missarum tamen officium, cantu virgines prosequuntur. Profecta erat dum vixit Brigitta, deuotionis gratia Hierosolymam: reuersa autem, necdum emigrasse pontificem Galliis intellexit, renouauit Neapoli, posita desuper sua reuelatione, & misit pontifici. Ille verò negligendam non putauit: sed non erat facile inde discedere, vbi ex commodo erant omnia, ad locum quieti nunquam deditum, vbi exerceretur infinitis perturbationibus, peruicit tamen multiplex causa, vt Gregorius cautissimè curiam transferret. Moritur hæc domina Romæ, & in patriam reuehitur: monasterio in *Wasten* à se condito tumulatur.

*Iesuitarum ordo.*

CAP. 53. HALBERSTADENSEM interim ecclesiam Ludouicus Turingus deseruit, ad

ad Moguntinam translatus: & reponitur in eam vir doctrinæ & ingenii singularis, Albertus, cognomento de *Rickmersdorpe*, paterne originis villa est, in qua rustica ple be natus, Parisii tantum nominis emeruit ab ingenio, vt pontificatum in patria ac ciperet. Extant de eius nomine, quæ vocantur Alberti Sophismata. Præfuit & ecclesiæ annis viginti quatuor. Inter cętera memorabilia huius pontificis est bellum, in quod se immiscuit, quod erat Magno duci de *Brunschwig* & *Lunenburg*, aduersus Gerhardum Hildesemensem episcopum. Coierant in societatem eius belli cum Magno duce, Theodoricus Magdeburgensis, Albertus Halberstadēsis, duo comites de *Anholt*, comites de *Querforde*, barones de *Hamerschleue*, omnium armorum apparatu contracto. Id erat in agmine roboris, id fiducię, vt hostes obuios ad spectu terrificarent. Quid faceret Gerhardus? In eius ditione tonabant armis, incendio grassabantur: non erat quod diutiùs ad spectaret. Armauit ciues vrbis suæ, & ex ministerialibus suis, quantoscunque potuit, cuocauit: expeditum habuit exercitum, sed nequaquam numero aut viribus parem hostili. Sed erat fiducia magna, & animus inuictus: causam ecclesiæ Deo & diuæ Mariæ patronæ commendabat: & progressus in prælium, constitit ex aduerso iuxta *Dungeber*. Signa sonuere, concurrunt infestis hastis, miscent vtrinq; manus. Non longum tempus in medio, Gerhardus numero pugnantium inferior, fit robore superior: cædit, capit obuios, Magnus ipse dux capitur. Quod vbi innotuit, fuga de illius exercitu effusa committitur. Albertus quoq; Halberstadensis capitur. Comes de *Querforde*, Magdeburgensis canonicus, & baro de *Hamerschleue* pugnantes cadunt. Victoria insignis erat Hildesemensium. Tantum auri conflauit ex victoria de pręda, de redemptione captiuorū, vt domū Carthusiæ fundaret ab imo, & arces duas, quod diximus, adderet his quæ antè multæ ex iterant. Magnus dux, vt se captiuitate redimeret, vendidit principatum de *Landesberge* & *Hongerhusen*, quem ex matre habuit hæreditarium. Viuebat in hunc vsq; diem Wilhelmus dux Lunenburgensis, qui valetudine aduersa, imbecilli erat corpore: ideoq; Ludouico genero ducatum permisit, quo etiam moriēte, permisit vt Magnus iunior ad eam ditionem perueniret, malens Brunswici principibus, quàm Saxoniæ duci, qui alteram eius filiam tenebat, cedere principatum. Prope idem tempus & Magnus Magni pater, rebus humanis excessit, qui filii temeritatem & improspera bella semper accusabat: sed ferox iuuenis neq; patrem, neq; alium quemuis audiuit, pessimam ducem sequutus, suam temeritatem, quæ illum sæpè in pericula misit, sæpè contrusit in maxima damna: & finaliter illum, quod dicemus, perdidit. Sed hìc sit huius voluminis modus.

# ALBERTI KRANTZII
## METROPOLIS, LIB. X.

DVæ metropoles, quas solas & ambas describimus, vno penè tem CAP. I.
pore vacauere, Magdeburgensis atque Bremensis ecclesiæ. Nam Theodoricus Magdeburgensis archiepiscopus, post aliquot annorum interuallum ad ecclesiam suam reuersus, septimo assumptionis anno migrauit ad Dominum, sepultus in ecclesia sua. Postularunt canonici Mersburgēsem episcopum: sed præuenit eos Albertus de *Sterneberg*, pridem, vt arbitror, episcopus Suerinēsis, nunc fauore ac prouectione Imperatoris assumptus in ecclesiam Magdeburgensem. Capitulum Apostolicæ prouisioni refragari non potuit. Ciuitas tamen peregrinum dominum, Bohemia natum, difficulter admisit. Sed quid faceret, superata suorum authoritate maiorum? Quatuor annis præfuit: & tum exorta simultate inter eum & ciuitatem suam, quòd turrim in eius, vt apparuit, præiudicium erectam demoliri iuberentur, nec parebant. Obnixę erant partes, cedere non volentes: nec Archiepiscopus relaxare voluit mandatum, nec ciuitas demoliri præsidium. Videbatur res in apertum bellum exitura. Sed inuenit Albertus ei rei facile remedium,

permutans ecclesiam Magdeburgensem altera, quæ esset in patria sua Bohemia. Quo tempore Otto dux de Brunswico, qui Gottingẽsem terram ditione tenebat, arcem Hercyniæ *Hartesburg*, de qua ab olim multæ fuere quæstiones, expedito agmine petiuit: occultosq; monstrante famulo, qui in ea diu seruierat, inuenit, & noctu clàm compræhendit, & occupauit. Primo mane comparatis vehiculis, arma & commeatus curabat inuehi. Iam conuenerant ministeriales Hildesemensis ecclesiæ, ex quorum numero fuere qui illam amiserunt, vt reciperẽt occupatam arcem vi & manu. Otto vbi intellexit se numero superari, prudenter declinauit, citato agmine petens Alueldiam, quam noctu compræhendit. vbi audierant ministeriales ecclesiæ, tam magnum esse factum ecclesię præiudicium, conuerso & ipsi agmine, ducem sequuntur, dimissa arce quam petebant. Ibi pacto inter partes inito, Alueldia redditur ecclesiæ: ipsi ministeriales etiam adiutare armis ex formula iubentur, vt firmet à se captam arcem. Nec diù pòst idem dux quum ex hostium terris cum præda rediret, pernoctabat ad vicina arcis *Leuenburg*, quam ministeriales de *Suichelen* tenuerunt. Consedit ibi pernoctans: inuitatur ab arcis præfectis, vt quoniam festa esset diui Martini vigilia, dignaretur apud illos epulari cum suis. Noluit dux gratuare illos, vrgẽt: cedit, lautè excipitur. Mane profecturus, aurum exhibet cum gratitudine: recusant accipere, honorantes ea re magnificam nobilitatem eius. Ille verò, quòd commodi viderentur futuri custodes, arcem pridem captam *Hartesburg* illis permittit, incertum qua lege, & tenent posteri in hodiernum.

CAP. 2. BREMENSI quoq; metropoli per idem tempus alius Albertus post Godfridum præficitur: filius erat Magni ducis de Brunswico senioris, frater minoris Magni, qui omnes tum tenuit inquietos. Albertus autem pridem erat & Magdeburgensis & Bremensis canonicus, oculo alternans in vtranq; ecclesiam: & prouenit illi Bremensis, viuente adhuc Godfrido. prouenit autem hoc ordine. Annisus erat, vt diximus, Gerardus de Hoia Comes, infestus Bremensibus, vt Magnus dux Alberti pater Bremensibus bellum indiceret: hoc si faceret, obsequiis se apud ducem compensaturum. Recusabat dux, donec intelligeret quid inde speraret, effecturũ se comes pollicetur, vt filius eius Albertus archiepiscopatum assequeretur. Hoc, inquit ille, si effeceris, faciam quod hortaris. Egit comes apud Godfridum archiepiscopum, & ille apud capitulum, vt consentirent: sed Mauritius de Oldenburg comes, iamdudum administrator ecclesiæ, formidinem illis iniecit, quo minùs facerent: misit tamen capitulum duos ex suis ad Albertum, qui cum illo agerent. Transacta res est amicissimè: ducali magnificentia remunerati redibant. Duobus annis apud sedem Apostolicam in Auinione agebatur causa, priusquàm confirmaretur. Vbi innotuit confirmatio duci Magno, cœpit cum capitulo & ciuitate de pace agere. Nunciauerat enim hostilia ciuitati, propter comitem de Hoia. Conuenerant in *Waldesrade*. Ibi dux interposita compositione, compleuit rem omnem inter comitem & ciuitatem. Magno ibi splendore feruntur paruisse Bremenses, multis militaribus ad iter conductis, & ex ciuibus iuuenes conspicuos habitu & armis instruebant. Ergo productis literis confirmationis pro Alberto filio, capitulum contradicere non potuit: homagium à ciuibus pro illo deposcitur. Responsum est, durare adhuc sacramenta quæ Mauritio præstitissent: quæ nisi priùs laxarentur, non possent alii obligari. Mittitur ad eundem Mauritium legatio, vt ostensis Apostolicæ prouisionis literis, cum mansuetudine duceretur ad parendum mandatis ecclesię. Ille vbi vidit, admiratione aliquandiu mutus stetit: inde infremuit, non hoc deposcere Bremensium à se beneficia, sua in illos merita. Quid multa? flecti non potuit, legatio vana fuit, ad arma concurrit senior Magnus cum filio, obsidet arcem Vorda: ibi instituta oppugnatione, aliquot cadunt militares. Post multa pacisc̃untur, vt Mauricius cedat arcibus ecclesiæ, remittat iuramenta Bremensibus: arcem Hagen illi, quoad viuit, permittant. Quibus ita compositis, toto armorum splendore tenditur Bremam: euocatur ciuitatis consilium ad præstandum confirmato homagium. Emittunt duos consulares camerarios, qui consilii nomine sacramenta præstarent. Displicuit forma rei gerendæ principibus: sed quum cõsuetudinem aliam non inuenirent in loco, abierunt contenti. Redditur illis promissio sigillata de seruandis

uandis libertatibus,& priuilegiis illorum. Introducitur archiepiscopus magno atmorum splendore in vrbem,& ingenti apparatu excipitur,sacris concinentib. per ecclesiam,& conuiuiorum apparatu cunctis magnificè perstrepentibus.

CAP. 3. *In Bremenſi populo diuiſio.*

IN vrbe Brema per eam tempestatem viuebat & vigebat adhuc in populo grauis illa diuisio,quæ Grandis societas dicebatur, opponens se consilio publico, pro indictione collectæ ad redimēdos ciues captiuos, quos adhuc retinebat comes de Hoia. Senatus cum mercatoribus & magna ciuium parte indixit & subiit collectā: seditiosi non contenti recusare,ad arma conclamabant,productis de naui quisque sua banneriis pro signis militaribus,plebem vocant ad arma: cōcurritur in domos consularium,quæruntur ad mortem, ensibus scrutantur tumultuantes in abditis locis. Senatus immisso de foris armatorum præsidio, vrbis portas iubet serari. Dant signum è turri,ad arma vocantur boni ciues senatui inhærentes: iam versa fortuna, requiruntur seditiosi: comprehensi,ad iudicium publicū perducuntur, datur sententia in eos sanguinis,& vt confiscentur bona,cæduntur gladio qui capti sunt,alii proscribuntur. Decem & octo erant principaliores,qui aut cæderētur,aut proscriberentur: ignoscitur imperitæ multitudini. Sed non erat ibi finis malorum. nam,proscripti foris cum archiepiscopo, intùs cum amicis secretò agunt, vt ciuitas in plenas manus,& omnimodam potestatem veniat archiepiscopi. Ioannes Holman insignis latro,diù pirata,in hac tumultuatione secūda principatum agebat. Nauibus impositi multi ex eius complicibus prono flumine desursum introducunt archiepiscopum cum expeditis armatis: proditores de intùs portas reserant, noctu capitur ciuitas. Quum in forum prodissent,intonuit Holman in medio multitudinis ciuium concurrentium,venisse archiepiscopum,vt nimiam potentiam & violentiā insolescentis senatus domaret,iura restitueret,vnicuiq; sua seruaret. Qui libertatem seruituti præferrent, agglomerarentur lateri eius. Rediisse cū illo diù peregrinantem ciuium immunitatem. Ea vox simplices multos decepit. Viri boni partim ad arma concurrunt pro libertate,capiuntur,cæduntur, malè habentur qui se non coniungunt archiepiscopo, multi elabuntur. Erat vir consularis, qui neglecta hæreditate propria & priuatis commodis,literas archiepiscopi,quibus promissa ciuitati firmauerat,appræhendit: & illo velut ingenti thesauro animatus, vrbe egreditur. Ingressi,castella firmant opportunis locis in orientali porta, in lapidea domo ad *Wiſeram* inuehunt commeatus vndecunque sumptos: nox plurimos animauit. Orta luce,quum videret populus rem aliter ac promissa sit, per proditores agi,pœnitentia tanguntur, quòd illis paruerint: sed interim silent, quum toto ferè mense spoliis & incendiis vrbs vastaretur: concurrunt qui pontificem introduxerūt, consilium inierunt,vt archiepiscopum qualicunque à se conditione dimitterent, quòd onerosus,nec necessarius ciuitati videretur. Multa ei permissa vectigalia, pecunia prompta numeratur, & quicquid popposcit vt abiret,accepit. Abiit,& iam rem omnem proditores in manu habere videbantur, quum interim dilapsi boni ciues, ad comites in *Delmenhorſt* atque *Oldenburg* confugiunt. Horum comitum consilio & armis freti, deliberabant, quomodo ciuitatem eriperent de manibus seditiosorum. Secretò mittunt in vrbem ad amicos: docent quid moliantur, quidve poscant, quum omnia constarent ex sententia, iam penè securis proditoribus illis, irrumpunt hi qui antè dilapsi fuere, aucti armis cæterorum. Conradus comes de *Oldenburg* valida stipatus manu, aderat. Qui intùs fuere viri boni, portas reserant: mactantur obuii quique ex seditiosis, capita cæsorum suis cuiusque in foribus appenduntur, fœminæ quæ archiepiscopum iam iterùm ad arma vocasse dicerentur, sine discrimine cæduntur. Holman cum omni familia sua cæsus, insigni spectaculo pendebat ad fores suas. Præfecti præsidiis impositi, pacti impunitatem, discedero siuntur: ita redempta est denuò ciuitas de manibus perditorum. Vulgus in vtranque partem mobile, quod victoribus solet inhærere, non tunc potuit non timere. Erant ex hoc grege fidentiores, qui legatione omnium susceptā, ad comitem & patres reuersos in vrbem, veniam precabantur imperitæ multitudini: allegabant culpam residere penes consilium publicum: quia non in seueritate, sed mansuetudine rem egissent, aluissent multorum audaciam. Quòd si in tempore

*Seditioni quæ admodum sit obuiandum.*

malis occurrissent, cæsis principibus, non esset in ea mala peruentum. Ignotum est multitudini, renouatum est iuramentum à ciuibus sæpè præstitum, nunquam se aduersus publicum ciuitatis cõsilium facturos. Ita misera ciuitas inter ciuium suorum manus lacerata, ad eam tenuitatem peruenit, quam forenses inimici nunquã inuexissent. Dici non potest, quos sumptus, quos labores impenderunt: æstimationem res non accipit, quæ ad infinitum vadit.

CAP. 4. OSNABVRGENSIS ecclesia quum vacaret, facta translatione Godfridi ad ecclesiam Bremensem, quærebatur qui succederet loco & ordine trigesimus sextus. Erant illa tempestate insignes viri canonici Osnaburgenses, Doctor Lubertus Wend, & dominus Arnoldus cantor, contempto seculo, in cœnobio campi sanctæ Mariæ, conuersionis gratia, ordinem Cistertiensem sumpsere: ex quibus in nouitiatu electus D. Lubertus ad ecclesiam Osnaburgensem, renuit, & in religione sacra permansit, Deo inibi seruiens per annos viginti sex. Per hanc moram prouidit sedes Apostolica M. Ioanni Hoed decretorum doctori. Res erat insolita & noua, & ideò sine turbatione fieri non potuit animorum, & tamen quid facerent? digna erat loco persona: non tamen ingressa per ostium solitum liberæ electionis. Habebant autem exemplum proximi domini, Ludouici de Hassia comitis, qui per eandem viam prouisionis Apostolicæ, ad suam Monasterienſem peruenit. Fuit tum in Imperio Romano Carolus quartus Bohemus, qui ecclesiasticæ prospiciens libertati, dedit Carolinam constitutionem, quæ multis seruatur in locis, sub aurea bulla. Prouidit ergo dominus Ioannes episcopus, vt apud suam ecclesiam haberetur. Inuestiuit idem pontifex multos nobiles & militares de feudis ecclesiæ, per manũ D. Conradi de *Essem*, decani. Non detrectauere comites accipere feudum de manu pontificis plebeii, tametsi durum hoc vidererur militaribus. Vide, quid agit superbia? nobiles viri Nicolaus de *Tekeneburg* & *Suerin*, Balde winus de *Stenforde*, sumpsere feudum: quorum exemplum contemnere non poterant ministeriales, qui nunc, abolito veteri nomine, dici amant militares: nec ibi contenti, prorepunt vltrà, iam etiam nobiles dici cupientes. Sed reclamat stylus Romanæ curiæ, stylus in cancellariis, qui barones inter nobiles seruant nouissimos. Emanauit hoc tempore sub bulla quadam, eleri secularis reformatio, ad Reuerendissimum D. Wilhelmum Colonienſem archiepiscopum, quam suffraganeis fecit communem. super habitu canonicorum, virgatis sagulis, & moribus improbis. Sed quis legem dat malè liberis? Exoritur huic Ioanni turbatio. Fœdus iniit cum militaribus & ciuitate, omisso capitulo, quod ipsum erat indignatione plenum. Non diù durauit ea res. nam ciues aliquot in *Iborg* publico iudicio condemnati, furcis sunt necati: nec diu pòst confessus est pontifex, citra suum consensum iniustè rem peractam: vtcunq; erat, quia militaribus viris opus erat, illis auscultabat, vsqueadeò vt ecclesiæ arces & oppida alienare cogeretur, quæ res adeò excreuit, vt quum dilapidator rerũ ecclesiæ haberetur, opus erat coadiutore. Is erat Theodoricus de Marca comes, frater Engelberti strenuè gubernabat, multa recuperauit, optima instantia rem gerebat: sed implicitus bello cum Mindenſibus, multis suorum cæsis capitur, diu tenetur, donec fratris armis in libertatem restitueretur. Interim Ioannes episcopus, coadiutore omnia gerente, quiescebat. Docere curabãt plebeium hominem viri militares, quid esset in eorum medio principari: aliud esse, apud sedem Apostolicam multa agere, scholasticis doctrinis pollere, quàm versari inter arma, prouinciã gubernare, viris ministerialibus permisceri, adeò vt omnia illorum agantur arbitrio. Igitur Ioannes post eaquam per annos sedecim, ecclesiæ qualitercunque præfuisset, concessit in fata.

*Ex malis duobus minus eligendum.*

*Constitutio Carolina.*

*Non omnes docti ad imperandum idonei.*

CAP. 5. MINDENSI ecclesiæ post Theodoricum translatum, præficitur nobilis vir, dominus Gerardus, comes de *Scowenburg*, nepos ex fratre prædecessoris sui mediati, intercedente solo Theodorico proximo. Erat eius ecclesiæ pridem thesaurarius: & quum ageret in pontificatu quietè, incidit ei spiritus nescio quis, videre terram sanctam, adorare in loco vbi steterunt pedes Domini, quæ est pars fidei. Nam pugnare pro recuperãda iam non poterat, versa in desperationẽ recuperatione. Et tamen cum Adolpho fratre iniit longæuam peregrinationẽ. Poterat nobiles viros su-

pra

pra Christianam deuotionem inuitare recordatio Maiorum, qui pro Christi honore diu ibi pugnauere, fortemq́ue diu operam nauauere, præsertim III. Adolphus: quem primùm rex Daniæ, postea verò Henricus dux Saxoniæ, cognominat[9] Leo, Holsatia deturbauere. Ille verò se consociauit Henrico Imperatori V I. primi Friderici in expeditione terræ sanctæ pereuntis, filio: à quo inter primarios duces missus in Asiam, ea gessit magnifica, quæ partim sunt in nostra Saxonia, adeoq; Imperatori conciliatur, vt eius opera in Holsatiam reponeretur: sed tamen ibi non remansit, iterùm extrusus à Danorum rege Canuto, & consedit vltra Albim, assequutus comitatum Stadensem, quo tempore vetus monasterium fundabatur, & extant literæ fundationis ab eodem Adolpho donatæ, tanquam Stadensi comite. Sed hæc per transitum rememorata sufficiant: nam plenius continet nostra Saxonia. Gerardus ergò pontifex, memoria huius sui prouocatus abaui, poterat inflammari ad videndam terram sanctam: in qua nil tum potuit fructificare ampliùs, quàm vt Christianam exerceret deuotionem: quod ipsum nonnihil est in sancta religione, licet perfectionem non afferat. Ego consentio sermoni, qui iam exiuit in prouerbium: Qui multùm peregrinatur, raro sanctificatur. Qualicunque tamen deuotione profectus, neque ipse neque frater, quò cupiuere, peruenerunt. Morte enim correpti in mari, decesserunt, voluntatem cum conatu perficiẽdi, Domino in factum reputante. Nauigant eò principes nostri temporis & militares, vt cingulum ibi desumant militarem: arbitrati, ipsum quod est, fortis esse viri, hoc muneris petere tanto periculo, per magna maris discrimina, per barbariem hostium Christiani nominis: & obtinuit consuetudo, estq́ue moribus receptum, vt non minùs habeantur aurati equites (quos vulgò solos appellat milites) quàm si in acie victores constiterint. Potuit ea res quoque fratres memoratos inducere, vt peregrinationem longinquam inirent: sed longiorem repererunt peregrinationem, &, vt confidimus, feliciorem, vnde reuersuri non sperantur: nec cura remansit inuisere regionem iterùm morientium, quin iam felici peregrinatione peruenere in terram viuentium.

*Peregrinationes.*

*Milites aurati*

SVERINENSIS verò ecclesia per hæc tempora crebriùs mutans pontifices suos, propter breuem vitam aut translationem, mortuo Rodulpho, accepit pontificem, insignem virum, Fridericum: qui si nobilium aut ministerialium fortè esset origine, non taceretur familia eius: nunc quoniam siletur, plebeium origine virũ, sed maiori virtute præstantem, debemus accipere, qui decem annis non mediocri laude præfuit ecclesiæ suæ. Per cuius tẽpora quum iterùm Brandenburgensis Marchia redisset, velut vacuatum beneficium, ad Imperiũ, ipse Carolus eius pro se possessionem accepit, vni filiorum inde consulturus. Nam Otto eiusdem Imperatoris gener, Marchiam accepit qualicunq; titulo, ab Romulo, Ludouici quondam Imperatoris filio. Is verò quum Marchiam parui duceret, socero illam permisit, vt ferunt alii, acceptis sex arcibus satis bonis. Tum verò in eam versus Imperator, cœpit incolere, delectatus Albi flumine, qui ex Bohemia sua missus, præterfluit Tangermundæ arcem cum oppido egregiam: quam crebriùs inhabitãs Carolus, miris modis donauit. Extat hodie, vt memorant, Imperatoria maiestate digna mansio, camera stellis ac fulgentibus gemmis mirum in ordinẽ distincta, quam ille princeps magnificus sibi fuisq; adornauit. Dedit aliquando operam, vt amnis iste nauigabilis, portaret ex Bohemia naues, quibus merces omnigenæ deuehercẽtur in mare: multas eius generis extrui iussit rates. Timuere, qui ad ripam eius fluminis accolũt, præiudicium non mediocre sibi fieri, Magdeburgenses in primis, qui etiam præsumptæ libertati suæ frena iri impositum arbitrarentur: sed vertit rerum cursus principis animum alior sum, vt obliuisceretur mercaturę. nam filio eius post se, Romanorum Imperium mercari contendit, infinito eius Imperii detrimento: quod in Wandalia & Saxonia questi sumus. Sed nunc alias res exequimur. *Cap. 6.*

MAGDEBVRGENSIS archiepiscopus de ecclesia sua non satis quietus, q. multa cerneret sibi aduersari, neq; mores satis congruerent Saxonum viro Bohemo, versuram fecit: & approbante summo pontifice, cuidam Petro in Bohemia episcopo, permisit Magdeburgensem, recipiẽs quam ille pridem tenebat in regno, *Cap. 7.*

multam priùs gazam cumulauit, quod constat. Multas arces, agros, oppida, prædia, quæ ecclesiæ vndecunque obuenerant, ille distraxit: nemo tamen ambigat, ibi capitulum & ministeriales adhibuisse animũ & oculum, ne in priuatos archiepiscopi thesauros ea pecunia peueniret. Potuit aliquantam inde desumere, quam iustis rationibus impendisset. Decem numerant magnorum comitum dominatus, quos ille tum velut ecclesiæ inutiles, magis verò damnosos, distraxisse memoratur. Sed quis credat ita dormisse cæteros, vt ille solus rem contrectarit? Hoc certum, abiens Albertus nonnullas ecclesiæ preciosas secum reliquias auexit, caput D. martyris Sebastiani, digitum sancti Mauricii, & id genus nonnulla alia. Nam & brachium dui Philippi apostoli dicitur auexisse. Petrus autem Bohemus, ex episcopo factus archiepiscopus, authoritate legati apostolici, tum in prouincia agentis, præfuit Magdeburgensi ecclesiæ annis nouem: redemit tamen arces duas per prædecessorem pignoratas. Sed neq; illius mores, vt potè qui & ipse Bohemus erat, indigenis congruebant. vnde & ille de ecclesia respiciens in patriam, Ludouico Turingo, qui tot episcopatus mutauit, infelici fato, authoritate Apostolica permisit archiepiscopatum istum: ipse reuersus in Bohemiam suam. Hoc est illud tempus, quo Luneburgenses diù conflictati cum duce suo iuniore Magno, quum multa ab eo & satellitibus eius paterentur, libertati suæ grauia & onerosa, arcem effregere montosam, & eodem anno immissos furtim septingentos, quorum erat ductor de Homburg baro, qui oppidum pro duce occuparent, cecidere, cepere, vinxere, nullo ex vniuersis abeunte. Biennio pòst idem Magnus prælio occurrit Ottoni de *Scowenburg* comiti: & manu collata, cæsus est in acie, prælians antè fortiter.

CAP. 8. VERDENSI quoq; ecclesiæ per illa tempora præficitur, dum Gerardus transfertur ad Hildesemensem, memorabilis vir, Henricus de *Langen*, ortus oppido Luneburgensi, decenti & bona familia, ordine pontificum in illa ecclesia quadragesimus primus, sedit annis octo. Erat autem antè præpositus virginum in Lune, canonicus Verdensis ecclesiæ: pius quidem, sed tepidus, qui nullo feruore ad rem ducebatur: sed modestè rem inceptans, crebriùs intermittens. Sed sunt casus, in quibus neq; modestia, neq; mediocritas prosunt: nisi feruescas, nisi omni instantia rem vrgeas, sæpè non procedit. Sui sanguinis erat zelator maximus, si posset omnes suigeneris magnificare, id verò præ cæteris eximiè studebat: sed tamen in re non bona quomodo potuit magnificare? Studium verò est quod prædicamus. nam exitus an re conspectum est. Post eius ex rebus humanis excessum, arx Rodenburg propinquis suis commendata, in alienas manus peruenit. Decimæ ecclesiæ & multa alia suis propinquis commendata, de manibus sunt elapsa: nec facilè, nisi magno labore & sumptu, poterant recuperari. Videlicet pigebat ministerialium viros, in ea re per episcopum posthabitis vrbicis, quòd non illorum fidei fuerant res permissæ, qui soleant arcibus & prædiis custodiendis ante alios præponi. Ergò qui non ipsi abstraxere, auferentibus ad minùs fauerũt, aut non restiterunt. Qua dissimulatione res ecclesiæ multipliciter perierunt, vt esset successori labor eximius ad ea recuperanda. Excessit autem rebus humanis ad annum Christi millesimum trecentesimum octuagesimum, tumultatus in pace Christi apud ecclesiam suam mẽse Ianuario, die sanctorum Macarii & Emerentiani.

*Res gerendæ qualem requirant animum*

1380.

CAP. 9. RACEBVRGENSI verò ecclesiæ per eandem tempestatem post Wipertũ præficitur vir memorandus, dominus Henricus, natus ministerialium de *Wittorpe* honesta familia: præfuitq; ecclesiæ suæ cum summa laude & industria. Transiit eius temporib. Imperator Carolus quartus profectus ex Marchia, sedula tum mansione sua, inuisere vrbem Lubicam Imperialem: & quum pertransiret terminos ecclesiæ Raceburgensis, obuium ibi habuit pontificẽ gratulantem de præsentia maiestatis suę, & in prędiis suis excipientem pro dignitate, quum exhiberet quicquid ex tempore posset. Exhilarabat Imperatorem alacritas viri, quum munera & obsequia sua benigno vultu duplicaret. Imperator autem vicissim annuit postulationibus eius, priuilegiis & immunitatibus cohonestans eius ecclesiam. Quæ reperit collata priùs à Cæsaribus superiorum temporum, confirmauit: quę non habebant, exhibuit, & donauit, vt non fruſtrà se impendisse operam, laborem & sumptum videre-

videretur episcopus. Arcem Stoue primus iste à fundamentis erexit, quamuis eam non in fundo ecclesiæ, sed ducum Magnopolensium erectam ferant principes Magnopolenses. Vtcunq; fuerit, patiuntur episcopum frui possessione, certis & interi eos conuentis conditionibus. In arce quoq; ecclesiæ præcipua Schonenberge, insignem quæ extat, turrim erexit. Quo tempore Imperator Carolus oppugnabat Erphordiam, pro Ludouico Misnensi & Thuringo, ad ecclesiam Mogũtinam, quam ambibat, sed non est consecutus. Adolphus de Nassow competitor eius se continebat Erphordiæ, & ecclesiam finaliter obtinuit. Tonuit Carolus ad mœnia vrbis, & forti exercitu minabatur, quadraginta millia eum auxiliaribus principibus fertur in armis habuisse: sed tum nihil profecit, nisi quòd villas & vineas omniquaq; exureret. Adolphus ad ecclesiam electus, in ea ad finem permanebat. Interim se Ludouicus in Bambergensi continebat.

LVBICENSI verò ecclesiæ vacanti, prosp exit in Auinione, præueniens electionem, aut cassans de suæ beneplacito voluntatis legitimam assumptionem, quã de suo decano faciebat ecclesia in capitulo Lubicensi: dedit q; fratrem Nicolaum de Misna, Priorem & lectorẽ in conuentu Lipsensi, Mersburgensis diœcesis. Quid facerent patres aduersus pontificis summi prouisionem? Concorditer elegerant dominum Ioannem Cleendenst, decanum ecclesiæ suæ, virum pontificio dignũ. Qui quum ipse ad papalem curiam iter arripuisset, primum contendit ad Imperatorem, literas ex eo commendatitias accipere ad summum pontificem: quòd nonnihil familiaritatis contraxerat cum eiusdem Imperatoris familia, dum ille proximè Lubicam applicuisset. Tum didicit certa relatione in vrbe Pragensi, ecclesiæ Lubicensi iam esse de dicto Nicolao prouisum. Cõcurso ergo itinere, Lubicam repetebat, sciens frustrà se niti aduersus Apostolicam prouisionem. Sed iste Nicolaꝰ quum ad ecclesiam suam Lubicensem peruenisset, non sibi tantoperè complacuit in ea, maiorem enimuerò spem conceperat de illa, arbitratus ciuitatem Lubicensem temporali eius dominio pertinere: quod quum secus reperisset, grauiter sibi indignatus, quòd non antè perquisisset rerum qualitatem, vt non tanti laboris & sumptuum impendia fecisset: quum tamen esset consecratus episcopus, est translatus ad ecclesiam postea Misnensem. Hoc est illud tempus, quo moriente ad vrbem Romam Gregorio vndecimo, qui curiam reduxisset in eam, graue & execrandum schisma in ecclesia exortum est, quum Gallici cardinales propendentes in Galliam *Schisma.* suam redire, improbabant electionem Romæ factam de Vrbano sexto, Italico homine: secedentes vrbe, nouam instituere electionem ex suo numero, præferentes Gallicum pontificem, dominum Robertum de Gebennis, appellantes eum Clementem septimum: quumq; eo festinauere in Auinionem redire. Et continuatum est schisma pessimum & subtile, in annum vsque quadragesimum, de quo plura infrà dicemus. CAP. 10.

SVERINENSI autem ecclesiæ tum præerat memorandus vir dominus Marquardus, Beerman cognomẽto, vnde plebeium origine accipimus: electus per capitulum, & per archiepiscopum Bremensem confirmatus. Sedit in ecclesia annis solis tribus. Quo tempore, vacante Apostolica sede per mortẽ XI. Gregorii, qui curiam Auinione reduxerat Romam, parabatur Romæ conclaue, vt moris est: & interim cardinales partim inter se tractabant de persona eligenda, & diuisi apparebant in duas partes. Ex vna erat Gebennensis, Glandacensis, Britanicensis, Lunensis, & de Aluario cardinales: qui de Italia sibi tres conscieuerant consortes votorum, Florentinum, Mediolanensem, & Vrsinum. Ex alia parte, erant Lemouicensis, Vinariensis, sancti Eustachii, de Agrifolio, Pictauiensis, & maioris monasterii cardinales, qui traxerunt ad se cardinalem sancti Petri. Primi voluere papã ex ordine Gallicorum, alii Italicum, & quum cernerentur partes penè æquatæ, quòd neutra poterat alteri prævalere, quia in neutra erant duæ partes vocum, prout iura disponũt: iam antequam conclaue ingrederentur, cogitauerunt necesse fore, eligere aliquẽ extra cœtum & collegium cardinalium, & ambæ hoc inter se secretò agebant. Visum est vtriq; parti, ad hoc aptissimum dominum Bartholomæum, archiepiscopũ Barensem. Quidam tamẽ inclinauere in dominũ Martinum de Caluis, decretorũ CAP. 11.

Doctorem, referendarium domini papæ Gregorii: sed quia ille aberat, & iuuenis ætate, minor etiam ab annis videbatur illo pontificatu, conuenere vt eligerent dominum Barensem, quia esset vir literatus, honestus, Deo & religioni deditus: sciēs practicam cancellariæ Apostolicæ, quia erat vicecancellarius, & nouit omnē cursum & stylum curiæ. Hoc inter se partes diuisim agebant, altera nesciēte, prout ambæ fasiæ sunt, electione iam facta. Quumq; die Mercurii septimo, mensis Aprilis, tam conclaue intrare disponerent, & magna esset serenitas aeris, ecce subitò tempestas oritur, & ictus tonitrui durissimus tectum palatii Apostolici percussit, & vsque in pauimentum signum deferens, quasi certum perturbationis ecclesiæ prębebat indicium. Quumq; cardinales post meridiem cum sonitu instrumētorum musicorum conclaue intrarent, Romani magno clamore postulabant papam Italicū, non Gallicum: non erat clamor vrgentium, sed precantium, quod gestibus apparebat. Die postera hora tertia per conclaue cardinalibus ambulantibus, quidam eorum colloquia inuicem ferentes, vt erat res agenda omnium maxima, constiterūt. De patte quoq; altera & ipsi inter se conuenerunt, de re loquentes: & post interualum inuicem sibi significabant, quòd in dominum Bartholomæum vtriq; propenderent. Attraxere ergo sine discrimine partium in eandem sententiam. Sedeamus ergò, inquiunt, ad eligendū. Et statim consedentes, emisere vota, & concordabant in dictum dominum Barensem, sine aliqua impressione. Et hoc quidam cardinales reuelabant secretò amicis suis, eodem vesperi quo conclaue exierunt. Sed cardinales timentes quòd electio illa displiceret Romanis, noluerunt eam statim publicare: quare ordinauere mittere certas schedulas vnius tenoris, nonnullis prælatis Romæ morantib. Italicis, archiepiscopo Pisano, archiepiscopo Barensi, Episcopo Nucerino, & Abbati montis Cassini, venirent sigillatim secretò alter sine altero, ad arduа negocia quæ in conclaui emergerent. Quibus venientibus, cardinales ibāt ad prandium, quisq; in cellam suam: & prædicti prælati collocati sunt in camera patlamenti domus papalis, quæ erat prope conclaue, & ibi prandebāt. Deinde circa horam nonam, dum silentium tenuerunt Romani à clamoribus, dixit cardinalis sancti Petri cæteris: Ecce, domini, modò nullus clamat de Romanis: sedeamus, & iterum eligamus dominum Barensem, ne posteà dicatur quòd electio fuerit impressa. Et iterum consederunt, eligētes eundem. Deinde circa horam vesperarum cardinales exiuerūt conclaue, non audētes detegere electionem propter populum Romanum. Tunc Agapitus de Columna, episcopus Vlysbonensis, capellanus cardinalis Gebennēsis, familiaritate fretus, alloquitur dominum suum: Multi, inquit, multa loquuntur de facta electione. Cui cardinalis respondit: Domine Agapite, si vultis liberare ecclesiam, vadatis cum comitiua vestra, quia magnum est nomen vestrum in hac vrbe, magna cognatio, dignissima familia, multa vobis ad populum inest authoritas: custodite diligenter hac nocte dominum archiepiscopum Barensem, qui est absconsus in palatio papali, illum elegimus, ille est verus papa, licet populus credat & cupiat cardinalem sancti Petri prouectum. Hoc enim insusurratum est, ab nescio quo, Romano populo, cui iam omnis cognatio sua magnum exhibuit honorem, & populus spoliauit ex more domum eius: quamuis ille respondit omnibus, se non electum. Inde idem cardinalis se intùs ornauit, & ad arcem Sagoroli se transtulit. Dominus Agapitus fecit quod monuit cardinalis: sed ibi sistamus.

*Predigium.*

*In pōtificem electi dom^s Sp^o tiari solita.*

CAP. 12. LVBICENSI ecclesiæ iterùm viduatæ per indignantem abitum fratris Nicolai, secretarius domini Caroli Imperatoris, Cōradus de Giseнheim, surrogatur, ignorante capitulo, cùm dictus frater secretiùs cum illo ageret, vt curaret ille sui translationem secum ad aliam. Dimisit ille ecclesiam Lubicēsem, & facta est prouisio per pontificem, ignorante capitulo. Venit in ecclesiam, & sedit annis octo, quum interim capitulum Lubicense secundo elegerit, quem antè, dominum Ioannem Cleendenst, decanū suum: sed reuertamur ad exequendū negocium electionis summi pontificis, quia nouum erat & ponderosum. Die Veneris primo manè, dominus Barensis, quum iam illi innotuisset de se facta electio, misit pro cardinalibus tam in vrbe quam extra, ad solennizandam electionem. Quibus venientibus, electus

electus dixit Cardinalibus in effectu: Domini, & patres reuerendissimi, quia dicitur quòd me immerentem elegeritis summum pontificem, supplico per nomen Iesu Christi, huius mihi rei veritatem indicate: si per aliquam impressionem factum sit, vel vestri animi proprio motu. Adiurati per nomen Christi, responderunt, & iureiurando firmarunt, quod nulla facta impressione, sed suis motibus liberè, legitimè, iustè & canonicè, concorditer, & quomodo vnquam facta fuerit, concordissimè. Et tunc consedentibus ipsis, cardinalis Florentinus, qui Portuensis erat, ad inthronizationem electi faciendam proposuit hæc verba Apostoli: *Decet episcopum esse*, & reliqua. Quibus finitis, respondit electus: Timor & tremor venerunt super me. Et quum orationem vix inchoasset, cardinales interruperunt verba eius, dicentes: Non esse de more concionari electum, sed federet quietus in loco constitutus, vt induerent eum papalibus ornamentis. Quo facto, exhibuerũt ei sigillatim papalem reuerentiam, osculando pedem, manum, & os: & impositum est nomen Vrbano sexto. Quibus expletis, exhibueruntillum visendum omni populo, & per literas suas regibus & principibus Christianis: & prælatis multis intimauerunt, quòd dominum Bartholomæum archiepiscopum Barensem, papam elegissent. Deinde die Paschæ, quæ tum erat decima octaua mensis Aprilis, ordinato suggesto ad primas portas basilicæ S. Petri, solenniter eum coronabãt, deduxeruntq; eum in Lateranũ cum omni, & qua poterant maxima omnium festiuitate: ibiq; peractis solennibus, reduxerunt eum in palatium papale, apud sanctũ Petrum. Cardinales quoq; impetrarunt ab eo pro se, familia, & amicis beneficia & officia: absoluiq; ab eo in certis casibus, tanquàm à vero pontifice, humiliter postularunt, & permitti sibi remissionem omnium peccatorum, prout fieri solet in creatione summorum pontificum. Nam & Cardinalis Glandacensis impetrauit ab eo episcopatum Ostiensem. Deinde D. Vrbanus quum esset vir seueræ industriæ, cœpit cardinales increpare, & exasperare de multis, & præsertim cardinalem Ambianensem, qui venerat de Tuscia. Quam rem ægerrimè tulere patres: & processit eas res ad acrem verborũ contentionem cum cardinali memorato, in præsentia aliorum. Et respondit cardinalis Gebennensis in hunc modum: Pater sancte, vos faciotis modicum honorem cardinalibus vestris, verbis & gestibus, nec eos tractatis honorificè sicut antecessores vestri: & ideò nos fortè taliter faciemus, quòd vicissim à nobis modicum honorem reportetis. Hoc quidam cardinales referebant amicis suis secretò in eorum domibus, postquàm reuersi sunt de palatio. Ex tempore illo de schismate tractabant Gallici cardinales. Hæc sumpta ab Alphonso memorato, de tractatu quem desuper edidit.

*Electi Papæ ad Cardinales oratio.*

*Intronizatio electi papæ.*

OPERÆ PRECIVM est, nonnulla subnectere ad rem pertinentia, de ortu huius schismatis omnium maximi. Ioannes de Lignano, vtriusque iuris excellentissimus doctor, ea tempestate floruit Bononiæ vndecunque ille accepcerit, solebat de hoc Vrbano prædicere, priusquàm schisma fieret. Hic, inquiens, Papa multos habebit aduersarios, inducentes proditione principatus, retinebit tamen cum lite: & qui deberent esse auxiliarij, erunt aduersarij. Aliquod tamen pro ipso adiutorium veniet ex alto: ipse declinabit multoties à proposito suo, habens semper aliquos exosos & infidiantes sibi. Regnum eius aliquantulum erit diuturnum, & non perdet dominium, sed continuò habiturus est æmulos. Cauendum est ipsi in anno Christi octuagesimo primo, & deinde quinto ipse timebitur: & impedimentum in facto ex ipso erit, non obstante quòd erit bonæ legis & religionis. Erit valde rigorosus, ex semetipsum multa expediet, & consiliatiorum ministerio non vtetur. Sanus atque saluus ab infirmitatibus erit. Magna fraudulentia aduersarij laborabunt contra eum, & finaliter cadent in persecutionibus suis, & fortè incident in grande infortunium itineris, religionis vel mortis: inter amicos morietur, & extra propriam terram. Innouabit gesta decessorum suorum, de quo non commendabitur. Non erit bonum ei itinerare, licet ipse intendat, mediante religione vel itinere, augere regnum: quod non fiet ex hoc, sed à populo ipsum nesciente. Et auxiliatores impedient augmentum regni. Cardinales non diligent eum, & laborabunt contra eum, maximè qui sunt

*Cap. 13. Ioannis de Lignano I. C. prognostica.*

de natura Iouis: sed qui sunt de natura Martis, concordabunt ei, & immutabunt voluntatem suam infra præsentem mensem Septembrem anni septuagesimi octaui, & tendent ad concordiam cum eo. Hæc, vt apparet, Astrologus ab astris prædixit. Idem quoque dominus Ioannes de Lignano, iam schismate inualescente, venit Romam, & a domino Vrbano honorifice est exceptus, & multas habuit cum eo collationes. deinde reuersus Bononiam, pestilentia grauissima per Italiam & Germaniam inualuit, & octuagesimo tertio idem Ioannes peste absumptus est. Ea verò quæ de Vrbano pontifice prædixit, ex ordine prouenerunt. Alphonsus autem monachus, de quo suprà diximus, in memorato suo tractatu scribit, quòd post quàm schisma in ecclesiam erat introductum, cuidam in visione dictum fuit: Vrbanus est verus Papa, & sponsus ecclesiæ: sed in regimine suo tenebit modum sine modo. Cardinalibus igitur, vt suprà dictum est, propter correptionem domini Vrbani commotis, cardinalis Gebenensis vna cum quibusdam aliis in mense Iunio vrbem exiens, in vrbem Fundanam se recepit. Et receptus à comite Fundorum, cum aliis suæ sectæ consortibus cardinalibus, de impugnatione electionis domini Vrbani tractauit. Et tandem tribus aliis ad se attractis, qui vsq; in illum diem cum Vrbano remansere, effecit, vt innouata electione, ipse à consortibus eligeretur, & Clementem se septimum appellauit. Inde schisma, quo maius in ecclesia Dei nullum erat, excreuit: & secuta sunt homicidia, incendia, rapinæ, guerræ & destructiones non modò ditionum, sed prouinciarum, & calamitates & errores in longæuum.

CAP. 14. CARDINALIS Gebennensis, licet fauori dominæ Ioannæ Siciliæ reginæ inniteretur, non tamen audens intra regni illius districtum permanere, cum cardinalibus suis Auinionem se contulit, & a rege Franciæ susceptus est. Quid mirum? inde quoque reges, principes & prælati in Christianismo, sunt diuisi. Rex quidem Franciæ cum vniuerso regno suo, & ferè tota Hispania, & regina Siciliæ, cum maiore parte regni, Roberto antipapæ inhæserunt: Imperator verò Carolus, & filius eius Wenceslaus rex Boemiæ, Ludouicus rex Vngariæ, rex Angliæ, & omnia regna Septentrionis, necnon prouinciæ Italiæ extra regnum Siciliæ, regna Cracouiæ & Poloniæ, domino Vrbano subscripserunt. Quidam tamen principes superioris Alemaniæ, cum nonnullis episcopis & collegiis sibi in temporalibus obstrictis, vt Lupoldus dux Austriæ palam, & quidam nobiles inferioris Germaniæ, Engelbertus comes de Marca, & Adolphus frater eius comes de Cliuis, clam Roberto parauerunt, quòd iam tunc coronæ Gallicæ deuincirentur. Albertus dux Austriæ, principalis, frater Lupoldi, maior natu, domino Vrbano fideliter inhærere non cessabat. Dominus Vrbanus Robertum antipapam cum suis cardinalibus excommunicauit, & cardinalatus honore, beneficiis & dignitatibus omnib⁹ priuauit, & processus graues contra eos in regnis adhærentibus fecit publicari. Deinde anno suo secundo omnes adhærentes Roberto beneficiis priuauit, & reseruauit illa dispositioni sedis Apostolicæ: & demùm collectoribus & subcollectoribus fructuum, cameræ Apostolicæ debitorum potestatem, tales adhærentes priuare beneficiis, eadem dispositioni Apostolicæ reseruando, prout commissio & subdelegatio episcopi Wormatiensis collectoris per prouinciam Moguntinam vndique dispersa, continebat. Eodem anno secundo petitus veneno acerrimo idem pontifex, æmulorũ suorum procurante liuore, languebat, vt penè ab omnibus qui adstiterant, mors vicina esse crederetur. Innixus autem verbo cuangelij, *Si mortiferum quid biberitis, non nocebit*: liberatus est toxico, non sine dolore maximo, sed sine adhibito remedio. Populus autem Romanus non longè pòst ab eo volens, nescio quid, quod negabatur, armatus petit palatiũ: minatusque, ni fierent quæ poscerent, omnia subuersurum. Vbi audiuit aduentare tumultuantes, iubet parari cathedram pontifica-

*Seditio per Vrbanum papã composita.*

lem ad ingressum atrij, reserarique portas palatij. Sedet infulatus, ingressosq; primos magna stipante & a tergo vrgẽte turba, vultu truculẽto reuerberãs, Christi verbis increpitat: *Quem*, inquit, *quæritis?* Illi qui faciem viderant considentis, muti & immobiles cõstitere, obnixi prementibus à tergo, & pacati redierunt, qui venerant truculenti, paucis eius verbis & reuerentia pontificalis adspectus contertiti.

CAP.

IOANNA regina Siciliæ quum audiſſet Barenſem archiepiſcopũ factũ Romanũ pontificẽ, gaudio gauiſa eſt, & omni genere triumphi per vrbes & agros feſta iuſſit omnes ſolennitate triumphare, quòd pontificem haberet Neapolitanum genere, qui nutus eius ſequeretur. Sperabat enim, quòd pontifex nouum maritum ſuum, Ottonem ducem Brunſwicenſem, ex Tranſyluanis, qui diu in Italia militauerat, & iam reginæ toro admiſſus eſſet maritus, regẽ Siciliæ & Hieruſalem cõtra Gallos & Vngaros declararet: idq; apud eum ſerio egit per nuncios. Sed quoniam hæ nuptiæ nõ ex ſententia principũ erant, & illa iam annis aliquot ſpem prolis dare non poterat, pontifex nõ ignarus rerũ omniũ, reginæ deſideriũ non audiuit. Inde verſa eſt indignatio mulieris, in pontificem. ſecuta execratio. Perfecit, vt deinde Roberto mulier faueret, ſperans per illũ conſequi, quod ex Vrbano nõ poterat. Differebat eam verbis Robertus, quãdiu erat in regno eius, quia opis eius indigus videbatur: excreuitq; per regnũ diuiſio noua, & in ipſa Neapoli turba erat, clamantibus aliis, Viuat papa de Roma: aliis verò, Viuat papa de Fundis. Vltrà etiã progreſſa cõtentio, proceſſit ad arma. Secuta ſunt homicidia & proſcriptiones. Papa Vrbanus malignitate reginæ comprobata, eam per ſolennem ſententiã excommunicauit, depoſuit, omni iure, ſi quod haberet, priuauit in regno, ſubiiciens illã maledictioni. Carolo autem Duratio, filio regis Vngariæ, regnũ ſubiecit, quòd paterno genere reſpiceret in illud: erat enim natus fratre Roberti regis, qui patrẽ habuere Carolum II. Neapolitanũ regem, illiq; iniunxit, vt ſententias à ſe latas in Ioannam exequeretur. Rex igitur Vngariæ iamdudum contra reginã Ioannam ægrum gerens animũ, quòd Andream fratrem eius, primũ eius maritũ, regem Neapolitanum, in Auerſana ciuitate in palatio ſtrangulatũ, & feneſtra proiectum in hortis reperere mortuum: quam necem reginæ, generalis fama, imputabat. Licet autem eundem fratrem ſuum magnificè vindicauerit, ad eiuſdem tamen reginæ exterminiũ vehementior incubuit. Carolus ergò exercitu conſcripto per Italiã, contendit Romã, ibiq; Vrbano pontifici præſtito fidelitatis iuramento, coronam regni Siciliæ de manu pontificis cum regia conſecratione ſuſcepit. Ita profectus eſt in regnum. Regina dum aduentare Carolum audit, cõſternatur. Otto autem maritus, agmine ſuorum expedito, obuiam proficiſcitur, obſeſſurus angustias per quas ſolas erat venturo tranſitus. Sed erant in agmine eius nõ ſatis illi fidi, qui ſuaderent pauliſper ab angustiis diſcedere, vt ingreſſos Vngaros à tergo adoriretur. Ille Germanorũ more non præuidet inſidias malè conſulentiũ: fecit quod monitus erat. Interim tranſiens fauces Carolus, inter vrbem Neapolitanã & exercitum hoſtilem quum medius eſſet, arbitrium habens, aciem ne cõuerteret in ſequentem hoſtem, an ad oppugnandam ciuitatem contenderet, placuit ciuitatem recto itinere petere: & erat apertis portis, quòd nihil hoſtile formidaret, Ottone cum exercitu foris, vt ſperabant, omnia tuta præſtante. Ingreditur Neapolim rex Carolus, & ad oppugnandã arcem, cui regina inerat, recta cõtendit. Secutus agmine citato Otto, videt hoſtem ante ſe ingreſſum patentem ciuitatem: ingemiſcit, & conſiliũ damnat poſt factũ. Caſtellum ſancti Eraſmi in monte ad Neapolim petit cum agmine, ſumpturus cõſilium ab euentu. Interim Carolus arcem reginæ omni genere impugnat. Miſſilia multa iacit, frangit turres, deformat mœnia, quatit muros. Tormenta grandia, quibus vaſa humano ſtercore, cruore, membris cæſorum plena mittit in arcem. Non tam lædere poterant grauiſſimi ictus murorum præſidia, quàm fœtor & abominatio terruit inſidentes. Durauere tamen, tolerantes animo forti obſidionem. Otto verò dux, vbi incidit aquæductus ad vrbem, laborare fecit à ſiti vniuerſam ciuitatem: ſed interim miſeratus reginam, quòd in angustiis oppugnationum laboraret, cogitauit quibuſcunque viis, occupata ciuitate, opem ferre obſeſſis. Armato exercitu ſuorũ, eques cum equitibus, montem deſcendit in explorato: iam enim Carolus pedites ſuos in vineis & caſellis abſconditin eos vſus, vt inſidiarentur deſcendenti agmini. Igitur vbi ad pedem peruenere, inter angustias equites Ottonis deprehenſi, & circunfuſia peditibus, nullo ſe poterant armorum genere tueri: lanceis vſus nullus, equis nulla excurſio, arcus videbantur inutiles. Ibi captus Otto, in manus Caroli peruenit. Regina vbi audiuit caſum mariti,

CAP. 15.

*Vulgus amici tuæ ſtilitate probat.*

*Regnum Siciliæ in Carolã Duratium translatum.*

iam cui se seruaret, quem expectaret ereptorem non habens, in gratiam se contulit victoris Caroli.

CAP. 16. REGINA in carcere mortem obiit, siue cruciata de morte Andreæ mariti sui, siue fame seipsam excrucians, ita finierit, incompertum: Otto seruabatur, nō enim erat, quod illi ad mortem meritam obiiceretur, vir militaris militariter se gerens, quum in eo complaceret reginæ: dux visus est non impar talis fœminæ toro. De Andrea autem primo eius marito, cur interierit, ita fama ferebat: Quum primùm esset Ioannæ toro coniunctus, regnumque administraret, iustam reginę iram incidit, quòd germanam eius venustissimam puellam, quæ Duratij tenebat principatum, Andreas plusquàm reginam amans, furtim se illi cōiunxerit, & impleuit vterum puellæ prægnantis. Id quum renunciatum esset Andreæ, misit illam in regnū Vngariæ, peperitq; cuoluto tempore filium, hunc ipsum Carolum, Duratium inde vocatum. Regina zelotypiæ inflammata furore, & suam & sororis iniuriam vltura, armatur in maritum. Carolus victor festa agit: spargit etiam pecunias, vt in lętitiam soluat vniuersos: verùm hæc initiò. Secuta est autem in regno disturbatio, quòd non idem sentirent vniuersi. Erant plurimi cōmiserantes reginæ casum, sed initium commotionis à Neapolitanis, qui exitiali odio persequebantur Germanos Ottoni militantes, petebant ab nouo rege, vt captiuos Teutonicos illis permitteret ad supplicium. Durum erat permittere, durius in nouo regno petentibus negare: permittit arbitrium magistro militiæ suæ. Ille ad arcem, qua tenerentur captiui, ducit Neapolitanos, vinctos autem ex Germanis laxat, cuique sua arma permittens, & iubet exire in planitiem apertam: constitere Neapolitano ex aduerso. Tum magister ait: Quia, inquit, viri Neapolitani Germanos poscitis ad supplicium, permittit vobis rex. Numero longè superatis: capite eos, & pro arbitrio consumite. Frendebant dentibus, sed nemo se commouit: nam malè sibi quisque timuit ab armatis. Poscebant ergò Neapolitani, vt extra prouinciam ablegarentur. Rex paratis nauibus, iussit in secura deuehi. Durabat autem odium in eos quoq; Germanos, qui artibus inter Italos inseruiebant: aliquot inde trucidati, alij à matronis & zelosis viris abscōsi, vix seruantur. Sed instabat Carolo labor aliundè: nam Ludouicus Andegauensis, qui se Ioannæ reginæ proximum ferebat, hæreditario iure de regno agendum putauit. Ab suo igitur antipapa coronatus, collecto exercitu grauissimo, contendit in Italiam. Duodecim equitum millia eduxit Francia. Auctus est continuò numerus, vt accurrentibus amicis vndecunque, octuaginta millibus ingrederetur regnum Neapolitanum. Susceperе illum amici perbenignè, agmen eius augentes, quotquot erant quos casus reginæ tangebat.

*Germani captiui ex Neapolitanorum laniena subducti.*

*Ludouicus Andegauensis per Antipapam coronatus, Duratio se opponit.*

CAP. 17. VRBANVS interim pontifex quum audiret eam regni commotionem, fretus multorum in regno principum familiaritate, vt pacaret regnum, eò contendit. Carolus rex etsi iureiurando pontifici obstrictus esset, nonnullis capitibus violatis malè sibi consciis, cœpit pontificem ducere suspectum: quòd non tam sui gratia, quàm suorum venerit, insidias illi parabat. Nam in ciuitatem Auersanam vbi intellexit ire pontificem, obuius illi factus, reuerenter descendit, salutat, osculatur manus & pedes: equi freno prehenso, ipse pedes deducit pontificem in arcem. Sed refragatur eò ire pontifex, vnde posset non suo arbitrio à reditu detineri, declinat in episcopi curiam. Ibi rex suo sumptu cibum iussit apparari: cœnat cum pontifice, discedit sub noctem, quicuit vterque per diem sequentem. Nocte quæ proxima fuit, misit rex qui inuitarent pontificem, vt accedere in regiam dignaretur regem, recusantem etiam adducerēt. Primùm pacatis verbis excusat pontifex ne veniat, quippe noctis horam duxit suspectam. Arripitur, deducitur. Ille excommunicatione cædit ducentes. Contemnitur, ad regem peruenit. Rex illū susceрit dignanter. Triduò cum rege agit in arce, ignorante familia quid sit factum de pontifice. Quarto die procedunt vna Neapolim. Excipitur pontifex in arce noua: deinde pontifex in archiepiscopi curiam se conferens, solennia Romanæ curiæ ibi peregit, cancellariam disponens, causas iubet expediri. Ad æstatem proximam, Carolus magno exercitu conscripto, procedit in hostem Ludouicum. Desidebant ambo, minitantes inuicem magnis exercitibus: sed non sunt congressi. Papa curiam in Luce-

in Luceriam transfert, ipse arcem insedit in Burgo, qui vix octuaginta domos habebat. Curia se partitur vt potuit: non Lucēriam, sed miseriam appellant. Papa tamen eo consilio ibi consedit, vt restituta arce, oppidū quoq; renouaretur. Venerat dies ad prælium constituta, vt semel de regno decerneretur. Ad vicinia deduxere exercitus. Stabant triduo in acie mutuo conspectu, quum nusquam præliū iniretur. Post triduum, victualium defectu Ludouicus inde deflectit ad munitiora quæ tenebat loca, ibi breui emigrat. Quo mortuo, soluitur dux Otto à ducalibus è carcere, & in oppido sub fide præstita ire iubetur. Rex vbi comperit, mittit secretò, qui rapiant, & adducant. Ducales sequuntur, & de manibus capientium virum eruunt, ducem illum suum destinantes. sed non diu cum illis permansit.

CAP. 18.

CVM Vrbanus ibi diutius in Luceria quàm prælatis par erat, commaneret, seruntur quinq; cardinales in pontificem conspirasse, quòd eum perderent vt hæreticum hominem. Ordinauere quibus viis. Cardinalem ex aliis tentauere, qui deliberandum putauit, & magis magisq; secum reputans, inhorruit: Ecce, inquit, si per quamlibet occasionem detegitur consilium, tu peribis cum cæteris. Ne forte ab aliis præueniatur, secum constituit rem pontifici detegere. Detexit. Ille clam vocato nepote, principe Capuano, iubet ad diem in armis habere expeditos, capitéq; cardinales quinque: sextus adiicitur Anglicanus, quòd sciens non detexisset. Pronuntur ad quæstionem, fatentur, ordinem edicūt, dispergitur eorū familia. Amici tamen eorū, quos non paucos habuere, ad arma concurrunt. Papā circunsident in Luceria. Compertum est pontifici, regem & reginam Margaretam fuisse consciosconspirationis. Excommunicat eos, deponit regno, priuat omni dignitate, interdictum ponit per vrbem Neapolim: qua de re vicissim cognatio pontificis in vrbe malè habebat. Redit rex Carolus, audit quid factum sit: comminatur sacerdotibus victima, ni Neapoli diuinum impleant ministerium. Recusant, se retrahunt, absondunt. Religiosi, Papæ minus quàm regi paruerunt, psallentes cum gloria. Interim crescit obsidio pontificis, expugnatur oppidum, diripitur, incenditur, veniunt in manus hostium propugnatores. Scribit interim pontifex amicis. Genuenses decem armatas misere biremes. Raimundus filius comitis de Nola, pontificem tueri & eripere contendit, conduxit thesauris pontificis ingentem exercitū, cuius, illo nesciente, ductores Carolus ære corrupit. Proficiscitur. In itinere intelligit se prodendum, equum stimulat, eius beneficio cum paucis euadit ad pontificem. Cum eo locutus, discedit, auxilia plura laturus. Proditores memorati principem Capuanum, pontificis nepotem, Carolo regi tradiderunt. Abbas Cassinensis infensissimus pontifici, præerat obsidioni. Is omnes vias obseruans, nihil patiturad duci. Vnde factum est, vt multitudo in arce cum pontifice vrgeretur, laboraretque fame ac siti. Cardinalis de Rauenna, dominus Pileus, legatus pridem de Germania reuersus, Coruetum regebat. Is duabus biremibus adnauigans, Carolo regi blandiebatur, interponens se rebus: sed & iste pontifici cœpit esse suspectus, vnde remeabat inanis. Papa igitur cum suis fame laborabat. Subtraxere se paulatim viri militares, & penè soli remansere ecclesiastici. Durauit ea calamitas in mensem vsq; Iulium. Tum Nolanus comes, & cæteri qui militauere pridem Andegauensi, ingenti conflato exercitu, ducunt Luceriam. vbi intellexere obsidentes, venire qui soluerent obsidionem, tum verò oppugnauere incessabili labore, terribili strepitu: sed nihil profuit. Magno labore per montes venerunt, angustiis occupatis per regios. Soluerunt obsidionem. Papa oneratis bestiis descendit, forte præsidium imponit arci. Proficiscitur Beneuentum: ibique proditio tentatur, sed dissipatur. Biremium ab Genua patroni veniunt ad pontificem: iubentur circunnauigare, vt pontificem accipiant. In itinere milites conductitij de stipendio certificari volentes, tumultuantur, minitātes Papā ducturū Auinionem, ni soluat. Gallici generis erant, de reliquiis Andegauensis. Papa quàm primùm ab eis se liberat, dimittens Gallos & Britones & Italicos, solum Raimundum Nolanum cum fidelibus & Teutonicis stipendiariis secū retinuit. Magnis & laboriosis itineribus pedestri via peruenere ad littus, circunspiciētibus in omni via hostiles incursus: diu non patuere biremes. Post aliquot dies prima antennarum capita

*Conspiratio in Papam detegitur.*

sunt visa: & sex quidem propinquantes suscepere pontificem cum suis, aliæ quatuor in Barensi portu demorabantur. Vario casu nauigabant, iam in Siciliam portu excepti: inde in latus Italiæ: deinde Neapolim & Tyberim prætuecti, peruenere Coruetum, cuius possessionem tradidit Genuensibus in pignus pro precio & salario biremium, quod in quatuor menses excreuerat, ad summam octuaginta millium aureorum, vigesimo tertio mensis Septembris, post varios casus peruenerunt. Ibi exiens pontifex in domum fratrum hospitalis sancti Ioannis, excipitur, cardinalesq; vinctos mittit in carcerem. Hæc, & quæ pauca sequuntur, ad fidem narrationis exhibui, authorem secutus qui his omnibus intererat, & sua manu digesserat quæ vidit, quæq; audiuit: longioribus quidem ambagibus multa interponens, quæ omisi, sed in hanc tamen rerum summam, quam breuiando signaui.

CAP. 19. VENERAT tum quidam Barbatus, qui eremiticam profiteretur, visione, vt ferebat, admonitus, à Deo missus, vir pseudopropheta, ex Galliis: qui Vrbanũ interpellauit verbis Dei, vt pontificatum dimitteret, vero pontifici Clementi cederet, alioqui sentiret diuinam vltionem. Interrogabat pontifex, vnde nosset visionem veram, non illusionem phantasticam, neque diabolica esse figmenta. Nihil ille dixit probabile, sed quæstionibus se quibuscunq; offerebat vera locutũ. Gemmam insignem præferebat in auro. Hoc non esse eremiticum, quum diceret Vrbanus: ille subsequitur, Eam qui donauit, sanctissimus in Christo pater, dominus Clemens, iussit vt perferam. Eam quum posceret visendam pontifex, tradidit proximè adstanti ex familia: Vide, inquit, si quid est nigromanticum in ea, qua de re te multum aiunt callere. Arreptum deinde hominem iussit carcerari. Abierant duo dilapsi ex his qui cum eo venerant. Subiectum quæstioni eò perpulit, vt fateretur diabolica esse figmenta. Voluit igne sumere de eo supplicium. Rogatus à prælatis Gallicis ne faceret, quòd in omni regno vir esset notissimus, & magnus habitus, iussit vt proxima Dominica palàm, quæ dixisset, reuocaret, seque vanum, mendacem, à diabolo instinctum, audacia fretum, dixisse quæ pridem. Redditis iumentis & annulo, iussit abire: promittentem, quòd in se esset, de vnione ex fide agere. Quo tempore Carolus Duratius, quia Ludouicus Vngariæ rex sine prole masculà obiisset, duabus tantùm relictis filiabus, quarũ natu maiorem cum regno Vngariæ Sigismundo Bohemiæ regi, Caroli Imperatoris filio despondisset, contendit in Vngariam: & oppositus Sigismundo, magnam regni partem sibi conquisiuit. Elatus in superbiam, ibi cæsus corruit, relictis paruulis in regno Neapolitano, Ladislao filio, & puella Ioanna. Ladislaus autem quia impubes decessit, regnũ in manu Ioannæ filiæ permansit, quæ variis hoc casibus agebat. Otto tum Brunsuicensis dux, Neapolim in potestate habuit: fretus veteribus amicis æmulos multos perdidit, alios etiam captos misit Tarentum. Cùm venisset autem Ludouicus Andegauensis filius, cum exercitu, Otto illi adhærens, magnã regni partem subiecit, ductor factus copiarum sub ipso: sed ad magnam regni spem nunquã est reuersus.

*Superbia primus ad interitum gradus.*

CAP. 20. AVSTRIÆ dux Lupoldus illo tempore anni octuagesimi sexti profectus in Suiceros, olim Heluetios, cum omni exercitu suo cæsus occubuit, & omni nobilitate, vsque ad Albertum fratrem, qui solus remansit stirpis propagator. qui etiam proximo anno conuocatis copiis, ad vindictã processit: sed interuenientibus principibus, causa posita in treugas, necdum sopita. Interea fautores vinctorum cardinalium multa sunt moliti, vt eos eriperent: nam veneno sæpè petitum pontificem subuertere tentauerunt. Quod vbi non processit, etiam armati vi tentarunt eripere. Nocte media ingressi, quum sperarent non omnes in palatio idem sentire, primam perfregere ianuam. Ingressuri, quum iam commoueri custodes in palatio sentirent, retrocessere. Pontifex quum diligẽtiùs ista scrutaretur vnde essent, duo cardinales, D. Pileus de Rauenna, & de Petra mala, curia abierunt, non expectantes diligentiorem indaginem: vnde se suspectissimos fecere, ad antipapam abeuntes, qui non inuitus eos accepit. D. Pileus pridem legatus per Germaniam Vrbani, scripsit principibus per Germaniam, se magno pridem errore captum, fouisse partes Vrbani: nunc diuina miseratione illi apparuisse veritatem, quam tum præstigiis eiusdem Vrbani, oculos eius fascinantis, videre non potuisset. Illos quoque

*Heluetiorum victoria.*

consu-

consulere animabus suis, & ab his quæ ille præsens disseminasset, prudenter emendati recederent, saniori consilio seriùs, quam nunquàm, emendati. Sed principes, acceptis literis, risêre inconstantiâ viri, alioqui docti. Idem tum Pileus, priusquàm Italia cederet, capellum, quem illi Vrbanus honori cardinalatûs contulisset, in foro publico Papiæ concremauit, Comite Virtutum hoc ratificante, quòd illi Vrbanus nupèr negâsset regni titulum, quem per Lombardiam voluit. Anno sequenti, qui fuit millesimus trecentesimus octuagesimus septimus, D. Vrbanus Genua discessit Romam versus, cùm supra annum illic esset commoratus. Priusquàm discederet, cardinales vinctos, in carcere strangulatos, iussit stabulo infodi. Ità prædicabat qui tum affuisset: quanuis Blondus prædicet, culeo insutos esse mari mersos. Adam cardinalis Anglicus cum eis vinctus, dimittitur, quòd conscius, non approbator fuisset consilii: satis pœnarum in carcere expendens suæ taciturnitatis. De Genua abiens Vrbanus, concessit Lucam, ibiq; per nouem menses stabat: indè verò Perusium, quo ex loco in regnum redire cõstituit, quòd Romæ diffideret. Sed quidam eremita visione admonitus, hortatur vt Romam peteret. Non satis animatus, dubius tamen quid faceret, vidit beatum Petrum in sublimi ad eam partẽ quæ Romam ducit: vidêre cum eo plurimi, sed ille iussit, ne, viuente se, cuiquam dicerent. Post obitum eius, episcopus Tarentinus confessor eius palàm dixit in sermone ad populũ, se cum pontifice & multis aliis tum in ea effigie vidisse Petrum in sublimi, qua sculptus adstat ad porticũ Basilicæ. Insigni honore à Romanis est introductus.

*Principum Germaniæ constantia.*

*Cardinales quinque ob coniuratione punitî.*

1387.

FECIT hic pontifex memorabilia tria post regressum ad vrbem: iubileum de anno quinquagesimo transtulit ad trigesimum tertium, qui sunt anni Christi iubileum prædicantis: tanto enim tempore moratus est nobiscum in terris, statuitq;, vt proximo anno qui esset nonagesimus, & deinceps per trigesimũ tertiũ seruaretur. Sed illum annum non vidit. Secundò decreuit & instituit festum visitationis Mariæ, 11 Iulii deinceps celebrari: sed Bonifacius IX. decreuit literas. Tertiũ fuit, quòd non obstante interdicto ecclesiastico, in festo corporis Christi possint apertis ianuis diuina celebrari, eo modo quo concessit Bonifacius in quatuor festiuitatibus. Et completũ est quod de festo corporis Christi venerabilis Doctor Ioannes Andreæ ante annos octuaginta prædixit in Clementina, Si dominum: in glossa, super verbo, Relatum. Fecit quoque declarationem super Clementinam, Dudum. de sepulturis, propter varias opiniones & glossas doctorum: cuius copiam, quia paucis innotuit, decisam annotare curaui.

CAP. 21.

VRBANVS episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis, vniuersis religiosis cuiuscunque ordinis vel religionis, præsentes literas inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Etsi animarum affectantes salutem, &c. Nos igitur qui ex suscepti Apostolatus officio, &c. vniuersitati vestræ per apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mãdamus, quatenus parochianos diebus Dominicis & festiuis non recipiatis de cætero in ecclesiis & oratoriis vestris ad diuina, nec ipsos sine licentia sui sacerdotis ad pœnitentiam aliqualiter admittatis: quum quis alieno sacerdoti iusta de causa sua voluerit confiteri peccata, secundum statuta concilij generalis licentiã prius postulare, ac etiã obtinere debet à proprio sacerdote, vel aliàs sibi primò confiteri, & recipere beneficium absolutionis ab eodem. Aliter nanque ab ipso absolui non poterit, quum duplex in iudicando funiculus, potestatis scilicet & scientiæ, requiratur: quorũ alterum in alieno constat deficere sacerdote. Et ne parochialibus ecclesiis deuotio debita subtrahatur, ante Missarum solennia, ad quæ audienda parochiani prima dici parte in suis conſueuerunt & debent conuenire ecclesiis: nequaquam in ecclesiis vestris supradictis solennes eis faciatis sermones, ne propter hos audiendos ad vos confluens populus, parochiales ecclesias derelinquat. Sed nec ad prædicandum ad illas parochias procedatis, nisi à sacerdotibus earũ parochiarũ fueritis inuitati, vel saltem ab illis petieritis humiliter, & obtinueritis vos admitti. Et vt debitus honor deferatur, eodem die quo dicæ cesanus episcopus, vel alius loco eius solenniter prædicat, maximè in ecclesia cathedrali: nullusq; vestrũm in ea ciuitate vel loco prædicare præsumat, ne salubris prædicationis doctrina ex inculcatione huiuſ-

*Vrbani declaratio super Clementinã. Dudum de sepult.*

modi frequenti, quasi tædium generet, contemnatur. Si verò in casu licito parochianos alterius, ad sepulturam, quam nemo sine iusta & rationabili causa temerè debet eligere, antiquis parentum suorũ dimissis sepulturis, in vestris ecclesiis vos recipere contingat: omniũ quæ obtentu huius sepulturæ fuistis consecuti, medietatem, vel tertiã partem, vel quartam, iuxta felicis memoriæ Gregorij Papæ prædecessoris nostri decretum, & secundũ consuetudinem, etiam non requisiti, infra octo dies à tempore receptionis eorum, episcopo vel sacerdoti, de cuius parochia est assumptus mortuus, exhibere curetis, &c. Si quis verò vestrũ eiusmodi præcepti transgressor prouisionis nostræ extiterit, vel cõtra prædicta aut aliquid prædictorũ venire præsumpserit, præter inobedientiæ vitiũ & excommunicationis sententiã, quã de facto ipsum incurrere volumus, graui suo periculo subiaceat, & nihilominus à loci dicœcesano ad præmissa omnia obseruanda, censura ecclesiastica, appellatione remota, districtiùs compellatur, nullis ei contra hoc indulgentiis, aut apostolicis priuilegiis valituris. Datum Neapoli, 11. Cal. Decemb. pontificatus nostri anno septimo. Peruenit autem is pontifex viuendo ad annũ duodecimum, & Romæ decessit, tumulatus in S. Petri Basilica, in capella sancti N. humili sarcophago. Inde postea translatus in ecclesiam, honoratiorem in locum. Hæc idcircò, vt vera videntis narratio confutet voces vanè fabulantium de hoc pontifice.

CAP. 22. PADERBVRNENSIS ecclesia sub Vrbano, moriente Henrico eius pontifice, vacabat, & succedit ei Simon eiusdem ecclesiæ decanus, natus comitibus de *Sterneberg*, impetrauitq; ab eodem Vrbano Papa, & præfuit ecclesiæ in annũ nonũ. Hic vt per archiepiscopum Colonienſem apud sedem Apostolicam promoueretur, quodq; remotum in ecclesiam remisit, eidem archiepiscopo citra consensum capituli sui grandem pecuniam, quam debebat ecclesiæ Paderburnensi, pro eo quod Henricus prædecessor eius marscallatus officium pro ecclesia Colonienſi magno suo & ecclesiæ suæ onere portasset. Munus autem consecrationis accepit in Romana curia. Reuersus, cum solennitate introducitur, perbenignè susciputur: de officio autem diuino non magna illi cura fuit, quod vix in omni suo pontificatu in pontificalibus peragereret. Intrauit cum archiepiscopo Colonienſi armatus Hassiam, & violata est pax illa quã Henricus prædecessor magno molimine curauit cõcludi, & iurari. Multa permisit suis ministerialibus, quæ aliàs sinenda non erant. Presbyterũ, quòd ecclesiã vacantem, à sede Apostolica impetrasset, captum perpetuo macerabat carcere. Pulchra nimirũ causa. Dissimulabat capitulũ, quòd idem presbyter aliquando litem fouisset aduersum ipsum. Confœderationes quas alij cum viris principibus facere consueuerãt, ipse vertit ad ministeriales suos, qui aliàs essent illi perpetuo iugo subditi: hos honorabat vt pares. quocirca in eum versi, per contemptũ publicè illi audebant hostilia nunciare. Quumque illos bello persequeretur, obsidens in præsidio *Brobeke*, sagitta percussus in inguine, mortis inde occasionem habuit. Ita vir militari genere natus, dum ministerialibus, suæ originis hominibus, multum indulget, dumq; arma magis quàm sacra prosequitur, finem assequitur, quem solent, iuxta verbum veritatis, gladio depugnantes.

*Gladio qui pugnat gladio peribit.*

CAP. 23. MAGDEBVRGENSEM ecclesiam post Petrum Bohemum, assecutus est Ludouicus: qui per multas ecclesias ambulabat, quærens requiem, & non inuenit. Comes erat prouincialis Turingiæ, marchio Misnensis, idem qui ante multos annos erat episcopus *Halberstadensis*: quam dimittens, ambiuit Moguntinam magno bello, cui se immiscuit Carolus Imperator: sed eam non est assecutus, ad Bambergensem autem peruenit. Sed cum memorato Petro Magdeburgensi tractans, vsq; eò rem perduxit per amicos, vt voluntate summi pontificis ei permitteret ecclesiam Magdeburgensem, in qua benè inchoauit: nam raptores insectatus est cũ Magdeburgensibus, quibuscunq; locis inerãt. Comites de Werningrode superauit, quædam eorum prædia subuertit, bonamque de se spem præbuit futurã tranquillitatis. Iam vergebat in senium, & tamẽ iuuenum leuitates, choreas & carmina, more suæ gentis non omisit: plus in eo valebat patrius mos, quàm Christi religio. Ad dies solutos Carnispriuii vocabat ex ministerialibus cum puellis & dominabus in Caluen, vt more gẽtis resoluti, carminibus, choreis, vanitatibus cæteris, lætos cum illo

dies

dies agerent. Venerant frequentes: archiepiscopus in primis choreis inerat fœminarum, nulli cedens circulationibus, stridoribus leuissimis & clamoribus. Die lunæ ad horam vesperam, quum mediis in vanitatibus versarentur, apparuit ignis in camera, facilè, si quis anniteretur, restinguendus: sed nemo occurrit. Interpretatũ est, immisisse Dominum cunctis timorem vt fugerent. Igitur ad gradus festinabãt cum clamore vniuersi. Archiepiscopus vix chorea patitur abire, vt cõpescere populũ: sed immixtus turbæ, nec procedere nec retrocedere quibat. Venêre in gradum tanta pressura, vt mole sua necesse esset dare ruinam. Igitur concidit gradus lapideus, cui imminebant. Ruebant vnà plus quàm trecenti homines vtriusque sexus. Ex omnibus læsus est nemo, præter archiepiscopum, & tres alios. Ille delatus in domum, postera die spiritum efflauit. Ad locum deinde cremationis adspexere. tam pusillum erat incendium, vt puer restinxisset. Hunc inuenit exitum per multas ecclesias transiens Ludouicus, vtinam bona pœnitudine excedens. *Choreas cum fœminis ducit archiepiscopus*

OSNABVRGENSEM ecclesiam post Ioannem trigesimum septimum excepit Melchior ex ducibus de Brunswick, prouisione illi facta per sedem Apostolicam. Iam enim illa via inceperãt ingredi in ecclesias, maiori etiam nobilitate illustres. Dubium non erat, si electio fuisset capitulo permissa, Theodoricũ de Marca comitem, adiutorem episcopi sui, de ecclesia optimè meritum, assumpsissent. Sed quid poterant aduersus Apostolicã prouisionem? Quanquàm & illud venit in suspicionem, quòd capitulũ, si occultè machinaretur, faueret tamen solicitanti Apostolicam prouisionem, quòd notos odimus, fauentes ignotis: fortè erat nonnihil in moribus dicti domini Theodorici, quod formidaret capitulum. Vtcunq; fuerit, dominus Melchior ad ecclesiã peruenit. Arces & oppida erant in manibus memorati domini Theodorici: vnde non nisi ære redimi poterant. Multa enim cum fratre impendit in ecclesiam per arduos labores, quos exantlauit: renouauitq; multa in mœnibus & turribus fortaliciorũ. Igitur facta conuentione, dominus Melchior episcopus, capitulũ & ciuitas, pecuniam expromiserunt, pignora tradentes donec exolueretur: cœpit interim administrare episcopus, sed statim ære inuoluitur alieno. Tradit in pignus arces & oppida, & cœpit esse grauis ecclesiæ. Oritur bellũ ad comitem de Hoia. damna vicissim inferuntur: concurrunt aliquando armati. Capitur episcopus, abducitur, grauis pecunia redemptioni præfinitur: quam quum captus præstare non posset, cogitault dominũ Theodoricũ de Marca reuocare ad vicariatũ, vt eius ope relaxaretur. Defertur res memorato domino Theodorico, iam præposito Colonienſi. Rogatus, nõ recusatː erant tamen qui clanculò rem impedirent, quòd scirent illum pro industria reniſurũ eorum conatibus. Iam in diœcesi agit quisque quod videtur: fiunt rapinæ, latrocinia etiam in porta ciuitatis cõcurrunt, consultant, fit decretum, vt quoniam dominũ habeant captum, vt relaxetur curandum. Recurritur ad pristinum consilium. Dominus Theodoricus de Marca, præpositus Colonienſis, assumitur vicarius in spiritualibus & temporalibus. Fit melior rerum status. Relaxatur dominus Melchior, omnia sunt in manibus domini Theodorici vicarij. Prosperatur negocium in manibus eius. Episcopus nihil agit, sedet, intuetur omnia, cum ille nihil potuerit. Splendidè omnia geruntur per vicariũ eundem. Sed huius tandem status pertæsum est episcopo: agit omnia vt perturbet rerũ statum. Proficiscitur Auinionem, procurat vt citetur vicarius, & qui cum illo rem gerebant. Interim vacat ecclesia Suerinenſis, & agit omnia Melchior vt eò transferatur. Ita absoluitur ab eo ecclesia Osnaburgenſis, quæ tali pontifice non multum gloriabatur. Erat autem tum annus MCCCLXXVI. 1376. *Cap. 24.*

MINDENSI quoque ecclesiæ post tristia fata Gerardi II. sufficitur, maximè cooperante, & apud summũ pontificem Auinione tunc manentem, Otto cognomento Wettin, militari genere natus ex Misna, decanus ecclesiæ Moguntinæ pridem, vir moribus, virtutibus, eruditione & ætate plurimũ proiectus, ordine pontificũ in ea ecclesia & numero quadragesimus tertius. Seriùs enim compertũ est apud ecclesiã, de morte peregrinantis in terram sui pontificis: diuq; nec creditũ, nec speratum. Ideò ad canonicam electionem peruenirinon poterat. Vnde factũ est, vt quum de morte dicti pontificis priùs apud alios quàm apud Capitulum sit *Cap. 25.*

compertum, processit de ecclesia apud summum pontificem prouisio, priusquàm poterat vlla electio celebrari: nec malè perindè consultum est ecclesiæ, si, quem per eum modum acceperat pontificem, diu tenere contigisset. Præcessit illum fama boni nominis: & non solùm quietos esse iubebat Mindensis ecclesiæ viros, verumetiam de virtutibus & moribus viri exhilarabat. Mindam inuehitur de more solenniter, per cognationem & manum militarem plurimâ, in vigilia corporis Christi. Sed non erat diuturnum gaudium de suscepto nouo pontifice. Nam hydrops illum, morbus pernicio sus, statim arripuit, siue ex aëris mutatione, siue ex natiuo vesicæ vitio, siue alia quauis ex causa, aut ex omnibus cumulatis, vi-
rum præstantem mox rebus gerendis fecit inutilem: vnde nihil apud eum me- 10
morabile fieri potuit. Nam anno necdum expleto, nocte diui Alexii, longa fractus ægritudine, spiritum Deo reddidit, collachrymantibus cunctis, qui magnam sibi spem fecerant de tanti viri prouectione: tumulatusque est manibus canonicorum suorum in choro fratrum Prædicatorum, quod ipse cupierat, anno millesimo trecentesimo sexagesimo octauo. Ita se res habent humanæ, vt nihil solidũ, nihil sit certum & perseuerans in illis. Solicita primùm ecclesia de peregrino & incognito viro, non potuit non dolere prouisionem factam sine illius consensu. Vbi per famam cognouit hominis virtutem, exhilarata expectabat cum desiderio præsentiam eius. Vbi accepit, non est fruita eius diu conspectu: sed ereptum congemuit, quem suspirabat donatum. Ille verò stationem permutabat in melius 20
transiens in consortium sanctorum, quo se dignum fecerat sanctis ac venerandis, moribus: & iam ex alto miserescit eorum, quorum venerat consolari desolationem. Patronus apud Deum, vt confiditur, factus ex pontifice.

CAP. 26. SVERINENSIS ecclesia crebriùs mutabat episcopos suos, propter breuem pontificũ vitam. Nam Marquardo successit in ea ecclesia D. Melchior, dux Brunswicensis ex Transsyluanis, filius Henrici, qui fratrem habuit Ottonem in Italia militãtem, præsertim in regno Neapolitano. Vbi venit ad nuptias reginæ Ioannæ iam senescentis, & post eam diu permansit in regno, ibi moriens: quod partim significauimus suprà. Alium quoque fratrem habuit Balthasar, qui secutus fratrem in Italiam, factus est, dum floreret frater, comes Fundorum in regno. Sed inter- 30
ea fratris fortuna mutata, quũ ille caperetur, carceraretur, & regno destitueretur, in quo tamen nunquàm cum Papa voluit cõfirmare, verisimile Baltasar fratrem in comitatu vix permansisse. Per eos dies in diœcesi Bremensi, quũ præesset Albertus archiepiscopus, dux Brunswicensis, magna manus nobilium cum Bremensibus cæsa est à Rustringis Frisonibus in Blexen. Mauritius pridem administrator Bremensis, Gerhardus, Chtistianus, Conradus, comites de *Aldenburg*, cum septingentis armatis ibi ceciderunt. Capitaneus terræ Blexem, pollicitus est terram hostilem in eorum potestatem dare, si modo eius ditioni parceretur. Non annuerunt nobiles memorati. Erant in itinere auxilia illis ventura plurima, non expectabantur: tanta erat fiducia. Diuisæ erant copiæ, medio flumine interfluente, ideò 40
faciliùs opprimebantur. Vna erat huius cladis & sequentium multarũ causa, præ-
*Præsumptio virtutum & hostium contemptus quid operetur.* sumptio virtutum & industriæ, contemptus hostium. Quid enim, inquiunt, potest rustica manus aduersus armatos equites? nimirùm hoc potest, vt sui contemptores, & de se nimium præsumentes perdat. Sic cunt res, sic periit illa nobilium armatorum caterua ab inermi plebe rustica. Vix euaserat vnus, quĩ factum nunciaret. Auro suffarcinati nobiles illi dicebantur, quòd preciosa quæque ex præda coemere constituissent à gregariis militibus: tam sibi certam promisere victoriam. In ea qua cæsi sunt terra, tumulantur: neminem ad sepulturam educi permisere. Corpore tegebant terram, quam viui ceperant. Res nimirùm similima recentissimæ cladi, quæ hoc millesimo quingentesimo anno acciderat in Thiet- 50
marcio, quam suis locis commemorabimus. Plurimæ insuper inundationes factæ per hæc tempora, calamitatem inferebant paluſtribus & limosis ad mare & flumi-
*Hamburgenſes terrentur.* na terris. Quo etiã tempore Hamburgenses liquore suo per mare deuehẽdo, certare cœperunt Bremensibus. Specie prima Bremensis liquor deuehebatur, quòd ille maximè tum erat in precio: sed accepta fiducia, quum cernerẽt Hamburgenses

suam

suam quoque cereuisiam amari, fassi sunt discrimen, & suo iam nomine distrahe- 1374.
bant. Annus hic erat septuagesimus quartus post MCCC. cùm nata est contentio
inter ciuitatum Bremæ & Hamburgi consilia de prioratu, & inter se ordine in cõ-
uentibus publicis asseruando. Allegabant Hamburgenses pro se antiquitatem
suam, & quòd primi archiepiscopatus honorem accepissent: Bremenses contrà
præsentibus innixi, non quid olim fuit, sed quid sit hodie, intuendum. Qua in re
primas tum obtinuere Bremenses, in cœtu & conuentu cæterarum vrbium, qui
tum erant Lubecæ.

MOASTERIENSI ecclesiæ per eam ætatem Apostolica prouisione datus CAP. 27.
est pontifex, Poto de *Potenstein*, vir Bohemus, ad hoc prouectus, vt facilè cerni po- *Vt in Politia, sic & ecclesia regnat fere personarũ respectus.*
test, fauore Imperatoris Caroli, qui Bohemus ipse, suæ nationis homines effere-
bat. Venerat is cum decenti comitatu, ecclesiam suam inuisurus. Quum propin-
quaret oppido Hamnæ, incursionem patitur equitũ: quæ res non rara tum fuit in
ea prouincia, præsertim quum alienigena venisset in ea ecclesia sumere pontifica-
tum. Multi ex suis vulnerati sunt, & alij capti: ipse vix elabitur, defensus à suis. Et in
prædicto oppido moram traxit aliquantam, donec ciues Monasteriẽses obuiam
progressi, honorificè eum deducerent, vt saluum & incolumem in suã ciuitatẽ co-
mitarentur. Honori hoc dantes sedis Apostolicæ, & nihilominus alienigenæ viro
pietatem & humanitatem ostendere voluerũt: ipse tamen quum moribus alienus,
& linguæ imperitus esset vernaculæ, sua sponte elegit abire: translatusq; est postea,
quod dicemus, ad ecclesiam Swerinensem. Per quæ tẽpora non erat in omni Saxo
nia princeps maioris nominis Ottone Transsyluano duce, qui victorias suas vndi-
que circuntulit, cessitq; illi prosperè quicquid agebat. Terra Brunswicensis, cæso
Magno, principes habuit impuberes, dicti Magni filios: tutelam suscepit Otto, sed
vt apparuit in rem suã. Quanquam Albertus dux de Saxonia, qui relictam Magni
filiam marchionis nouissimi de Brandenburg duxit vxorem, eiusq; filios accepit
in tutelam, pollicitus pro illis meliora: sed Otto patruelis legitimæ tutelæ debuit
esse propior, vtpotè agnatione iunctus pupillis. Ergò arcem præcipuã *Wolffenbut-*
*tel* accepit possidendam impuberum nomine, vt dicebat: sed recordatus est, ma-
iores suos quandoq; ditione Brunswicensi violentè exclusos, non magnoperè re-
quirebat quomodo rediret, dummodo rediret ad eius possessionem. Sed maior iu-
uenum Fridericus, locutus cum nonnullis amicis, effecit vt excluderetur, exclu-
susq; ab arce teneretur, succurrente manu ciuium de Brunswico.

ALBERTO per id tempus archiepiscopo Bremensi, ex ducibus Brunswici CAP. 28.
nato, insignis contumelia inferebatur, authore, vt ferebant, Ioanne decano suæ
ecclesiæ. Nam oritur rumor cum infamia in archiepiscopum grauis, quòd sit her-
maphrodita, & in vtranque veneremæquè promptus. Tulit eam rem grauiter, vt
debuit, & iniquo animo. & questus oratoribus Senatus Bremensis in *Osterbolte*,
orabat ne criminatorem suum aduersus se tuerentur. Vix illi redierant in vrbem,
intellexit decanus quid in se à pontifice constitueretur. orabat senatum, vt secu-
ritatem illi aduersus pontificem, in vrbe præstarent, perniciem exempli præue-
nientes, ne, quos vellet, vrbe extraheret. Quod quum non impetraret, mox in-
scenso curru festinus Verdam concito cursu petit. Nec longè aberat, quum su-
peruenientes missi ab archiepiscopo equites hominem requirebant: quo non
inuento, quum intelligerent abiisse, admissis iumentis, quàm properè secuti sunt
fugientem, vt retraherent ex fuga. Vix ante illos portam oppidi petiti appræhen-
dit. Vbi manens in reliquum tempus, posteà vacante ecclesia, assumptus in eius lo-
ci pontificem. Volens ergò archiepiscopus purgatam esse infamiam, quæ irroga- *Rumor semel sparsus non facile quiescit.*
batur, videndum se præbuit in balneis multis militaribus, consularibus & ciuibus
Bremæ, nec tamen quieuerat ortus semel rumor. Conuocatis suffraganeis suis at-
que ecclesiarum prælatis in Hamburgum, plus quàm quingentis personis iterum
videndum se præbuit. Quo tempore, incredibile est memoratu, quanto splendore
& apparatu conuiuantes, exceperit: ternis ferculis, vicies multiplicatis, prælatos
omnes & nobiles plurimos exhilarauit: ad militares autem, diuisis locis bina toties
fercula iussit apponi: reliquos singulis per vicenas vices honorauit Burgenses om-

*Cõmunis splendidissimi apparatus.*

nigenas, laborante curiosissimo coquorum magistro antè per mensem ad apparatum instruendum. Visebantur arces auratæ in mensa, intus viuæ volucres. Viuæ quoque pisces producebantur in ferculis apparatis: pauones, cygni iam cocti, iam ad edendum maturi, sua tamen in specie, suis plumis inferebantur. Armati quoq; viri in mensam edẽdi sunt statuti. Potus varij, vino, mulso, medone, cereuisia. Decanus memoratus suam interim prosecutus iniuriam, quòd ad capiendũ erat petitus, ex arce Meienburg eas intulit clades ecclesiæ prædiis, vt ad concordiam vrgeret archiepiscopum. Dominus Christianus, frater Conradi de *Bruckhusen* comes, causæ arbiter pronunciauit, vt decanus centum adiunctis militaribus viris, veniam ab archiepiscopo poscret. Quod ita impletum reconciliauit vtrosque. Sunt tamen authores certi, quòd ad eam, quæ Hamburgi facta sit, ostensionem, necdum sit infamia purgata, contendentibus qui aduersarentur, corruptos fuisse iudices, qui inspiciendi operam desumpsere, rogati: ita, vt ex superabundanti longè in vltimis finibus suæ prouinciæ in ciuitate Sundensi, iterum se visendum exhibuerit quamplurimis grauibus viris.

*Episcopi Verdensis in opibus mundi cõparandis insignestudium.*

CAP. 29. VERDENSIS interim ecclesia pastore viduata, pontificem meruit ex ministerialibus de *Sesterflet*, pridem decanum Bremensem, inde fugatum metu archiepiscopi: vir erat magnæ prouidentiæ ad cumulandum, dispensandum, circunspiciendum ad omnia. Hic arcem *Rodenburg* alienatam, redemit precio octingentorum denariorum, imò marcarum Luneburgensium, & suprà, a ministerialibus de Mandesło, qui qualicunque ratione tenuerunt. Hic quoque per industriam arcem *Kedenburg*, quam dux Luneburgensis occupauit, funditus demoliri procurauit. Multas decimas, terras & possessiones ad mensam episcopalem spectantes, recuperauit: in pecuniis, bladis, carnibus, pecoribus multùm prospexit, vt haberet ecclesia ad copiam & necessitatem omnimodam. Quinquaginta curtes arabiles & cultas pro vsu ecclesiæ, magno suo ære impensò, comparauit. curiam episcopalem in Verda reformauit, & propugnaculum fortissimum in arce *Rodenburg* extruxit. Sedit annis tantum octo, plura facturus in commodum ecclesiæ, si longior illi vita fuisset. Excessit rebus humanis decimo die Decembris, anno Dominicæ incarnationis millesimo trecentesimo octuagesimo octauo, sepultus in nouo monasterio *Bredenbeke*. Anno pontificatus sui primo militares de Hoia ingressi præfecturam de *Tedinghusen*, abacta præda, igne ferroq; sæuierunt. Loci præfectus ex vrbe Brema mutuatus est auxilia. Conuenerant numerosi, vt hostibus facilè viribus superiores essent. Vbi sunt insequi visi Bremenses, prædam hostes dimisere: sed quum in fuga res geritur, fatigati Hoienses, quòd aliquot noctes laborauerũt, à fuga constiterunt. Viribus recollectis, qui primi sequebantur, temerè ingressi prælium, antequàm aduentaret multitudo, vincuntur: cæsis multis, plurimi ex vrbe ciues capiuntur: capti, mille marcis argenti se redimunt. Sed qui interfuere rapinæ Hoienses, hac ratione mulctantur, vt amissis prædiis, quæ illis erant in diœcesi Bremensi, nihil lucrifecisse viderentur.

*Gerardus ecclesiæ sua debitum persoluit.*

CAP. 30. RACEBVRGENSI ecclesiæ per ea tempora præfuit memorandus pater Gerardus: cuius quia genus non memoratur, plebeio esse creditur, sed inde prouectiori virtute (quem enim neq; genus, neq; cognatio prouehit, virtus in eo exuperet necesse est) quæ illũ bene natis & magnæ familiæ viris præferebat. Magnus in temporalibus procurãdis hic erat: nam prædia omnia, quæ prædecessores sui multa pignori obligabãt, ille laxauit, redemit, & ecclesiæ vsib⁹ reddidit. Omne æs alienum, quod non paucum erat in prædiis ecclesiæ, persoluit, liberamque reddidit omnem ecclesiæ possessionem. Ita res geritur: vnus ædificans, & vnus destruens, quid proficiũt, ait Scriptura, quid prodest eis nisi labor? Hoc est illud tempus, quo, mortuo Magno duce Luneburgensi, terram illam antè ab Imperatore impetratã, Albertus dux Saxoniæ, natus filia Wilhelmi nouissimi ducis, teneret: qui qualicunq; ex causa, tum Bremensi ciuitati aduersabatur, cum haberet archiepiscopũ Albertum memorati Magni fratrem. Prædam ex iumentis ex suburbanis tulit: sed egressi ciues, ita se vindicarunt capto oppido Walstade & incensò, vt non se iactaret de lucro. Arcem deinde *Drakenburg*, vnde prodierunt prædantes, obsi-

dent,

dent, oppugnantq; Bremenſes: capiunt, euertunt à fundamentis, quo in bello ius dimidiæ arcis in Bederekeſſa acceſſit ex pacto ciuitati. Mox autem grauius bellum imminebat Bremenſibus à vicinis Friſiis, cùm duo ex terræ domicellis confœdera ti ciuibus obſides dederant vrbi pro tertio eorum conſorte abſente, quòd cum illis & cum ciuitate belli ſocietatem iniret. Conueniunt armati, oppugnant orientalis Friſiæ pagos, incaſtellatas eccleſias expugnanti & captum eius loci domicellum Edonem Winike, qui ciuitati inhæſerat, miſeris modis victor exercuciabat. Cõfecto bello, & rebus ex ſententia Bremenſium peractis, redduntur ex vrbe obſides. Tota terra præſtat ſacramẽta vrbis gubernatoribus. Circa quæ tempora extructa eſt turris illa lateritia cum ponte ad fluuium Liſmona, in loco quem nunc Burgum appellant: nam anteà vadum erat nauibus magno itinerantium incommodo & damno traiiciendum, nunc verò pons facilem tranſeuntibus viam præbet.

LVBICENSI eccleſiæ poſt Conradum præficitur D. Ioãnes Kleendenſt, diu eccleſiæ decan⁹, iterum atq; iterum electus, cùm primam de eo electionem frater Nicolaus intereepiſſet, ſecundam autem aſſumptionẽ illius Conradus fauore Cæſaris præuertiſſet. Illo mortuo, iterum ae tertiò eligitur concorditer à capitulo, & à ſede Apoſtoliea confirmatus, conſeerationem accepit. Sed vir grandæuus, & ætate & labore exhauſtus, ne annum quidem expleuit in põtificatu, appoſitus ad patres ſuos. Quo tempore res omnes per Chriſtianum orbem in deteriores vergebãt exitus. Nam in eccleſia Romana peſſimum tum ſchiſma parabatur, de quo ſatis multa diximus: & in Romanorum regem creatus Wenſlaus Caroli filius, quàm caro induetus eſt precio totius imperii, tam illi fuit magno detrimento, omnia Imperii iura per Germaniam negligens: nam per Italiam iam diu erant amiſſa. Pater eius magnum imperii patrimonium, vectigalia Rheni ad cauſam impẽdit, vt filio fauorem Rheni principum conciliaret, maxima omnium iactura, quam vnquàm ſuſtinuit Imperium: ſed à quibus? nimirùm ab illis qui tueri, augere & prouehere debuerãt, ab Imperatore tradente, & ab Electoribus inde de ſuis manibus nullo pacto remittentibus quæ aceeperant. Hæc eſt illa Aquilæ Imperialis deplumatio miſerabilis, quam Sigiſmundus alterius filius, alterius frater, qui deſpoliauerant, agnouit, vidit, carpſit: ſed emendare non potuit.

*Per quos imperium delatari deburrat per eos coarctatur*

CAP. 31.

EIDEM Lubicenſi eccleſiæ poſt breuem Ioannis ſui, ſed deſideratum pontificatum, quem ter elegerant, & primo pontificatus anno needum impleto protinùs amiſerant, patres elegerunt præſtantem virum, dominum Euerhardum, eognomento Attendorne, in deeretis liecntiatum, ſuæ eccleſiæ deeanum, virum præſtanti eius vrbis familia natum: cuius germanus frater proconſulatum gerebat, germana ſoror abbatiſſa, monaſterium diui Ioannis intra vrbem regebat, ipſe pariter pontificeatum adminiſtrabat. Eius memoriale eſt capella inſignis cum ſuperiori manſione in Vthin, domui magnæ cohærens, magnis, vt cernitur, impenſis exædificata. In epiſcopali quoque curia Lubeck capellam extruxit, ſed illa nunc ceſſit inſigniori operi: præfuitque annis XI. eccleſiæ. Hoc tempore Albertus dux Saxoniæ adunauit diù differentes domus Saxoniæ atque Brunſwici: recordabantur enim, nec poterant obliuiſci duces Brunſwicenſes ablati ſibi tituli honoratioris in perſona Henrici Leonis abaui ſui: ſed cùm paruulos cum eorum matre ſua coniuge ſuſcepiſſet commendatos, effecit, vt cùm adoleuiſſent, acciperent coniuges de domo Saxoniæ. Nam Fridericus & Bernhardus fratres, filii Magni, priuigni Alberti, duas ſorores filias Wenſlai ducis Saxoniæ, qui fratruelis erat Alberti, traduxerunt. Multum laboris erat per hæc tempora Alberto de ducatu Luneburgenſi: illum quidem tuebatur, ſed laborioſe: cui etiam, quod in Saxonia diximus, vitam impendit.

CAP. 32.

PER quæ tempora Mindenſis eccleſia pontificem habuit poſt Ottonem, inſignem virum D. Wedekindum, cognomento de Monte, ex aduocatis viris militaribus, pridem eius eccleſiæ maiorem præpoſitum, ordine pontificum quadrageſimum quartum, quem virtuti & induſtriæ ſui prædeceſſoris canonici electores putauerant exæquandum. Vir in vtroq; ſtatu erat præſtans, in religione non ſegnis, in armis ſtrenuus, iura eccleſiæ ſuæ tuebatur aduerſus quoſcunq;. Erat illi cõtrouerſia

CAP. 33.

cum ducibus de Brunſwico, quæ de more gentis non aliter quàm armis dirimi poterat. Peruentum eſt ad arma. Congreſſis vtrinq; manu militari, & confligentibus hinc atq; inde ferociter, victoria ceſſit magnificè pontifici. Victus dux, terga dedit victori. Sedit hic pōtifex in epiſcopatu annos fermè ſex decim, & migrauit ex hoc mūdo in vigilia beati Dominici: tumulatus in eccleſia ſua inter altaria decem millium militum, & ſanctorum Ioannis & Pauli, à progenitoribus ſuis erecta: Anno Chriſti MCCCLXXXIIII. Poſt cuius obitum vacauit eccleſia menſib. ſeptem, per diſcordiam eligentium.

*Vvedek indux cum ducibus Brunſuicenſibus cōgreſſus, victoria potitur.*

1384.

CAP. 34. MAGDEBVRGENSIS eccleſia, quia Ludouicum non diu meruit habere pontificem, accepit poſt illum electione canonica præſulem, D. Fridericum epiſcopum pridem Mersburgenſem, Apoſtolica venia inde tranſlatum. Magnificè quidem in eccleſiam introductus eſt, ſed non diu permanſit in ea: quippe quem in Quadrageſima de priſtina ſua in Magdeburgenſem eccleſiam tranſtulerunt, eum ad feſta proxima natalium Chriſti ſepelierunt. Quo tempore principes omnes per Saxoniam adunati, inter ſe tractauere de communi omnium tranquillitate, deq; pace ſeruanda, & facienda ſecuritate tranſeuntibus per itinera publica. Conuenit inter omnes: idq; iuramento firmatum eſt, vt violatorem publicę pacis, ius regium abſumeret, ſineq; vlla venia more retur: eamq; pacem procurauerunt regia confirmatione ſtabiliri. Sæuitum eſt aliquando ea occaſione in Comitem de Werningrode, ſed citò res relapſa eſt in antiquam malignitatem. Multitudo principum, indigentia nobilium, perdita miniſterialium audacia, rebus talibus occaſionem, ſi non cauſam præſtant. Tum quoq; in Wilſnaco oppido Prigniſſæ, hoc eſt, veteris Wandaliæ (ſic enim vocabulum conteſtatur) factus eſt ille concurſus iam ſupra centum annos dutans, de miraculo cruentarum hoſtiarum. Multæ & magnæ concertationes doctorum & bonorum virorum fuere: &, ſi auaritiam cohibuiſſent, facilè rebus inueniſſent modum.

*Principes de pace, cōtra ma la deliberant*

*Auaritia ſcil. eſt inſatiabilis*

CAP. 35. EADEM Magdeburgenſis eccleſia breui mutauit pontificem ſuum, intra annum pro Friderico accipiens Albertum, natum ex comitibus de Querforde, qui eccleſiæ præfuit per annos viginti: multum ſollicitus pro recuperandis, quæ per varia tranſlationem, & breuem ſuorum prædeceſſorum adminiſtrationem erant vel amiſſa, vel pignorata, vel aliter grauata: nec modò recuperauit priora, ſed adiecit quæ non habebat eccleſia, plurimas arces cum prædiis adiacentibus: ſeruauitq; quod in eo fuit, cum omnibus pacem, nec ſe paſſus eſt diuelli à ciuibus ſuis, quos ſenſit ſibi ad ardua profuturos. Extiterat tamē ad finem pontificatus ſui cauſa, qua in Rodolphum ſuperioris Saxoniæ ducem, bellum conſurgeret, vel ex finibus ortum, vel ex aliis cauſis, quæ in Annalibus non memorantur. Cœpere in alterutrum leuia prælia multa fieri, excurſiones, incendia, captiuitates, prædæ: quæ cùm multò crebriora de parte ducis orirentur, pertæſus aliquando bonus pontifex moleſtiarum, quæ ſuis inferebantur, vim vi repellere cogitabat. Ex miniſterialibus ſuis quantos poterat armauit, ciues Magdeburgenſes & Hallenſes ad conſortium belli vocabat: nec ſegnes illi domino ſuo paruerunt, quem diu ſuis rebus habuere morigerum. Venitur in conſpectum hoſtium, acies diriguntur, ſigna canunt, acriter concurrunt: quod potuit virtus, fecit: fortuna ſuas quoq; partes habuit. Archiepiſcopus minor erat: nam eius de parte multi cædūtur, capiunturq;: fugiunt, qui potērant. Eius prælii diſcrimen diuerſos habuit, archiepiſcopum & ciues ſuos. Sed quid opus eſt multis? Suo ſe ære redemerunt: quia tamen ſpem dedit archiepiſcopus vni ex filiis de ſucceſſione ad eccleſiam, quod in eo fuit, ea res magnitudinem expoſtulati æris vehementer minorauit.

*Epiſcopi debitum eccleſiæ recuperādi induſtria.*

*Saxonia dux ſuperat epiſcopum.*

CAP. 36. SVERINENSI eccleſiæ poſt Melchiorem, ex ducibus Brunſwici epiſcopū, quem fraga auidè nimis pereſa perdiderunt, præficitur Poto Bohemus, Apoſtolica authoritate & imperatorio fauore ex Monaſterienſi eccleſia tranſlatus ad Suerinenſem. Capitulum illi reſtitit, quoad potuit: elegerat enim decanum ſuum, D. Ioannem Iungen, qui arces eccleſiæ tenebat. Poto autem quomodocunq; deſtituebatur, licet Apoſtolicas literas præferret, ad poſſeſſionem nunquā peruenit. Tranſierant tamen anni ſex à morte Melchioris proximi pontificis, ad exitum

*Melchior Suerinenſis Epiſc. fragorum eſu nimio perit.*

huius

huius Potonis: qui qualis fuerit, ignoratur: nisi quòd verisimilis præstat cõiectura, illum rediisse vel in vrbem, vel in Bohemiam, quòd iam Carolus Imperator morte excessisset, non habuisse qui illi magnoperè assisteret. Obierat Melchior anno octuagesimo primo. De hoc autem Potone scribitur, quod octuagesimo septimo de ecclesia laboraverit, qui fuit sextus à morte prædecessoris. Hoc tempore cùm Albertus dux Saxoniæ, de terra Luneburgensi plurimùm laboraret, ad arcè pugnans Richeling, machina ictus in crure, mortem obiit, & Wenslaus fratruelis eius successit in ducatum de Luneburg. Is erat socer amborum principum de Brunswico, Friderici & Bernhardi: & tamen acerrimo deinde bello conflixerãt, cùm dux prudenter se retraheret, dissimularetq; rem omnem, permittens ministerialibus terræ ac ciuibus Luneburgensibus, qui tum magnum aliquid præ se ferebant, ad terræ gubernationem. Quippe quibus opus erat ad tuendam partam libertatẽ, in deiectione mõtanę arcis supra suum caput, fauore principũ plurimo. Catharina Alberti relicta, Cellæ arcem propter nuptias possederat: vnde etiam repellere eam tentauere Luneburgenses: sed magno prælio victi, retro abierunt. Hæc pleniùs in Saxonia.

EODEM anno D. Ioannes lunghe, decanus Suerinensis, electus à capitulo, sed impeditus à Potone Apostolico prouiso, arcem tenebat Butzow, quæ est ecclesiæ primaria, vbi à propria familia in ea arce est interemptus: & vacauit iterum ecclesia. Pene excideratq; quod in Saxonia omisimus, bellum ea tempestate grauissimũ, inter socerum & generos. Wenslaus dux Saxoniæ, princeps Elector, terram tenuit Luneburgensem: quam sui iuris esse Brunswicẽses sunt arbitrati, quòd ea lege primi fratres Ioãnes & Albertus, ditionem sunt partiti, vt ex alterutris ad alteros vtraque rediret. Nam & titulum communem ambo tenuerunt cum posteritate, sicut hodie tenent, vt quamuis sit discreta ditio, vnus tamen amborum est titulus: vterque enim se Brunswici & Luneburgi ducem scribit. Wenslaus præsidium firmauit ad Alram, cuius hodie sunt nonnulla vestigia in villa Winsen. Obsederat quoque Cellæ arcem cum oppido. Vrbici Luneburgenses, quod opus erat, fortiter inhærere Wenslao, aduersus duces Brunswicenses, quorum oculos semper vrebat deiecta arx montana. Fridericus ex fratribus ducibus senior, defensurus arcem, & obsidionem soluturus, in qua mater claudebatur, Brunswicenses suos ciues interpellat: viderint qua rerum angustia premantur, matrem etiam hostes suo iure depellere tentent, doleant vicem eius ac fratris, in affectum veniat materna iniuria, sumant secum arma, procedant in hostem, memorem se semper futurum in se obsequiorum: affuturum sperẽt Deum iniustitiæ vindicem, oppressorum defensorem. Suadet, ac persuadet. Sumunt arma Brunsuicenses, suis principibus assistunt. Fridericus atque Henricus duces fratres, suis ministerialibus, & quos ex vicino poterant euocare, stipati, peditem validum ex Brunsuico, & nonnullos equites habuere, hostibus obuiam sunt progressi. Ad Alram fluuium obuios hostes in Winsen habuerunt. Ibi inito conflictu, fortiter certatum est diu. Volitauit incerta victoria: demum Brunsuicensibus aduolauit. nam victores facti, profligauerunt aduersarios partis Luneburgensis. Tum ad fugam versi, spem habent: defuerunt in pugna. Captus ex agmine Luneburgensis ducatus, episcopus Mindensis, & comes de Hoia, aurati ex victoribus milites creati, eminebant. Ex illo prælio magnum vrbi Luneburgensi & diuturnum prouenit detrimentum. Tempore ex illo duces Brunsuici emerserunt. Captus erat à ministerialibus ecclesiæ Hildesemensis Bernardus, frater ducum de Brunsuico: aderant nihilominus ducibus in hoc prælio, qui captum fratrem tenuerunt. Luneburgensium ære luisse feruntillum captiuitatem, & redemisse libertatẽ. Hæc etsi aliena sunt à proposito, quia tamen hoc tempore memorabiliter patrata sunt, ad annum octuagesimum octauum, post millesimum trecentesimum, & in Saxonia nostra tam explicata non fuere, non poterant sine culpa hoc loco tacitè transiri. Ad huius prælii aduersam fortunam diu retulere Luneburgenses æs alienum, quo rem suam publicam grauauere: vnde posteà ecclesiis multa deperierunt.

CAP. 37. *Decanus Suerinensis à propria familia necatur*

*Deus iniustitiæ vindex, oppressorum defensor.*

1388.

HALBERSTADENSI ecclesiæ post Albertũ prouenit Ernestus episcopus, ortus ex comitib. de Honstein, vir seuerus & industrius, & iuxta nomen suũ grauis. CAP. 38.

*Inter episcop. Halberstadens. & ducem Brunsuicensem perpetua bella*

Erat illi assiduum bellum in Fridericum ducem Brunswicensem, æquè grauem & seuerum principem, & qui nihil dissimularit aut minorationis, aut iniuriæ. Nulla vnquam compositione adeò firmari potuit inter eos familiaritas, aut integritas reformari, quin leuissimis semper causis dissiliret. Nam quod aiunt physici, & monstrant, duo acumina siue mucrones non se patiuntur contingere. Præfuit ecclesiæ suæ per annos decem, durus & intractabilis pontifex: eodem deficiens anno, quo & Fridericus suæ virtutis æmulus. Quo tempore principes Brunswicenses in angustum coarctati, cùm ditione illis abesset Luneburgensis, quamuis proxima elati victoria emicuerint, cogitarunt tamen quomodo ad iustam sui ducatus Luneburgensis redirent possessionem. Oppidum Luneburgēse obuium videbatur, quod duci Saxoniæ Wenslao, præcipuè inhæreret: hoc edomito, facilem ad reliqua viam sunt arbitrati. Oppidum Vlsen multorum conniuentia occuparunt, per occasionem quā in Saxonia diximus: inde publico itinere obstructo, detrimenta fuere ciuitati. Ligna quidem ad salinā plurima illis necessaria aberant: iis introducendis arma sumpserunt. Hoc scientes duces, magno equitatu egressi de Vlsen, incurrerant, ceperant, ceciderant. Erat in ministerialibus acerrimus illis hostis, qui quotquot per agros ex oppido inuenerat, mutilatos aut pede aut manu, remittebat: multi ex oppidanis ea signa referebant. Interuenere nonnulli ex militibus, qui cōpositione inita, ducem placabant Saxoniæ, vt dimitteret Luneburgensem ducatum generis suis: & reddita est terra Henrico & Bernhardo ducibus, cùm Fridericus frater teneret Brunswici. Incredibile est memoratu, quàm subitò post bellū trāquillitas & quàm grata redierit, quanta annonę, quanta commeatuum in precio vilitas: ouem solido denario, bouem quatuor modò solidis coemerunt. Oppidum Luneburgense ex eo die ducibus suis quàm pulcherrimè est obsecutum.

CAP. 39.

PADERBVRNENSIS ecclesia post Simonem postulauit Rupertū, primogenitum Wilhelmi ducis de Monte, cui iam antè prouisum erat de ecclesia Patauiensi ad Danubium. Durum inde bellum excitatum. nam erat, quem duces Austrię eferebant ad illam: pro Ruperto stabant duces Bauariæ, cognati eius. Quindecim menses transierunt, priusquàm veniret Paderburnam: sæpe vocatus à suo capitulo. Per eius absentiam excitati raptores, incendiarii, homines inquieti, ad solitum quæstum redibant, hi potissimùm cum quibus res erat Simoni prædecessori: quorum primi pilarius, Fridericus de Patberck iunior. Creuit eorū superbia, vt ponentes os in cœlum, blasphemarent: nam S. Liborium ecclesiæ patronum, euiratum fe rebant, vt resistere non auderet. Gerardus de Spegel, aliàs præfectus ecclesiæ, ad tu telam nimis improuidus, nuper captus est: ordinati sunt alii qui rem curarent mili tarem, ne quid detrimenti acciperet ecclesia. Congressi hostibus capitanei noui, & ipsi capiuntur. Ecclesia in angusto posita, inuenit consilium vt salutem ex inimicis acciperent: ipsum Fridericum caput hostium accepere defensorem, obligata il liarce Dringenberg pro redemptione captiuorum. Inter hæc dominus Vrbanus Papa, ad instantiam ducis Austriæ, de ecclesia Patauiensi transtulit Rupertum ad Paderburnensem, & venit Paderburnam, solenniter introductus. Erat iuuenis imberbis, super canitiem senum prudens & ingeniosus, magnanimus, iustus, Deum timens, & in pauperes liberalis. Tantæ virtutis, vt breui diffusus virtutum eius rumor, timorem ingesserit latronibus raptoribusq;. Resp exere in illū principes & comites, & barones non solùm Westphaliæ, sed omnis Saxoniæ. Prima eius opera, vt exoluta pecunia arcem Dringenberge de manibus Fridrici memorati reciperet. Fridericus iam accepta pecunia cùm cerneret se administratione destitutum, nec esse liberum exercere veterem quęstum, cum multis complicibus, qui sibi nomen indidere *Bengheler*, quòd fustes argenteos ad pectus præferebant, insidiati sunt Ruperto: ad extremum etiam hostilia nunciabāt: arcem Forstenberg sine custode vacuam appræhenderunt, in ea præsidium habituri: sed Rupertus nihil moratus, arcem obsidione concludit. Durante obsidione, qui cum multis foris agebat incendia, latrocinia, rapinas, sine discrimine sacrorum & prophanorum agebat: redibat præda onustus ab ecclesia in Vernden, tendens in præsidium suum Patberg. Sciēs Rupertus, suos in obsidione relinquens, tacito itinere cum expeditis ad oppidum

*Super episcopa tu vehementi contentio.*

*S. Liborius sui patronus esse dicitur, quod hosti non resistat.*

*Ruperti Paderburnensis episc. descriptio*

Buren

Buren occurrit. Collata manu conflixit, & illam latrocin antium manum numero
septuaginta octo cum capitaneo cepit. Tanta erat elatio mentis, vt iactitarẽt duo-
decim ex suo numero, prælare octodecim ex Paderburnensibus. Inde sumpsere *Prouerbiũ in Paderburn. cũ tumeliam v-*
prouerbium, *Octodecim Paderburnenses efficiunt solidum.* is est nummus duodecim de- *surpatum.*
nariorum. Mirati sunt dum caperentur, quòd pari numero vincerentur. Potuit ma-
iorem produxisse manũ ex castris: sed nunciabatur episcopo, non tantã esse, quan-
tam inuenerat manum: & tamen vicit, cùm agmini suo inessent Burgenses, quos il
li minoris semper faciunt. Prodigii loco habitum est quod accideret: nam capreo- *Prodigium de capreolo fra-*
lus incurrens agmini victorum, fractis ceruicibus expirauit. Mutationem inde for- *ctis ceruicibus expirante.*
tunæ augurabant. Obsessi cùm audirent suorum fortunam, arcem protinus reddi-
derunt. Diem victoriæ, festum per singulos annos Rupertus instituit.

Ex illo die tranquillitas rediit ecclesiæ: nam fautores & adiutores Fridericia- Cap. 40.
perti & occulti, animos posuerunt. Herboldus de Brobeke, ad cuius arcẽ pugnans
Simon prædecessor occubuit, missa legatione, veniam, gratiam, reconciliationem
postulauit: magno ære exoluto, impetrauit. Cõradus Spegel miles, & ipse gratiam
quærit abat: ad speciem assecutus, sed non penitus. Inde cum principibus, nobili-
bus, & prælatis per Westphaliam, Saxoniam & Hassiam crebros conuentus egit, vt
pacem terrarum procuraret. Consensere, ac iurauere omnes ad annos duodecim:
tum qui superessent, de continuanda cogitarent: nam potuit interea multorũ con-
ditio permutari. Interim Fridericus de Patberg suam ac suorum redemptionẽ mo
litus, de summa conuenit: impetrataq; sub fide venia ad eam conquirendam, acer-
uauit & remisit: sed ipse redire, & de more iuramentum præstare recusauit, hosti-
lia etiam nuncians episcopo: violauit proinde pacem publicam, iuratam & appro-
batam. Qua ex re omnium iusto odio laborauit. Vnde factum est, vt vicini omnes
iunctis armis, arcem cui fidebat, circumsederent oppugnãtes. Oppidum facilẽ ce-
pere, fugatis propugnatoribus. Cumq; arce diutius retinenda spes obsessis defui-
set, D. Rupertus peste attactus in castris, finem viuendi fecit: & capite posito, iam
opus erat membra spargi. Igitur soluitur obsidio, & ad tumulum cum magno ciuiũ
planctu deducitur optatissimus omnium pontifex. Non est visus aliàs similis vni-
uersorum luctus in morte vnius hominis. Omnes ordines, ætates, status sine discri
mine, viri ac fœminę planxerunt, quasi super vnigenito: exteri cum incolis. non e-
rat qui non sibi lamentum desumeret, pro optimo ac desideratissimo pontifice.

Sverinensis ecclesia, iam à suis ecso D. Ioãne Iungen electo, accepit suc- Cap. 41.
cessorem D. Rodulphum ex ducibus Magnopolensibus, præfuitq; ecclesię suę per
annos viginti septem. Quo tempore ignauissimus rex Romanorum ac Bohemiæ *Wenceslai Romanorum regis ignauia.*
Wenceslaus, cùm nihil in omni regno vigilantiæ ostenderet, soli ventri ac voluptã
ti inseruiens, pertæsi omnes illius gubernationis, imò perniciosæ dissimulationis,
& dormitantis socordiæ, proceres regni fratris Sigismundi regis Vngariæ, si nõ ius-
su, tamen assensu ceperunt, & in arce Pragensi asseruandum curauerunt, ne, si ni-
hil in regnis boni vellet, nihil etiam mali posset efficere. Succreuit per ignauiam e-
ius, indignissima lues hæreticæ prauitatis, ex ipsa Praga ortum ducens, dum illi om
nia in æquo essent, habenti in quo suam voluptatem expleret. Ioãnes alius, germa-
nus eius, dux de Gorlitze, indignatus quòd se contempto tam audax facinus pro-
ceres in dominum suum essent aggressi, magno exercitu coacto ita detonuit in
authores eius consilii, vt protinus nisi excindi vellent, captum dimitterent. Bene
actum cum vniuerso Christianismo, deinde Romanorum regno, si ignauum hoc
pecus in vulua matris interiisset, lucemque nunquam adspexisset: pro qua patet
patrimonium Imperii, vt succesorem suum faceret, impendit, qui Christiani-
mo virus maximum enasci, Romano regno irrecuperabilem iacturam procu-
raret.

*Sed nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.*

Meruit ecclesia flagellum de visceribus suis, quando non vnum caput in terris ho-
norabat. Non satis illius calamitati, Turci, Tartari, Sarraceni fuere ad supplicium:
nati sunt de medio Germaniæ sinu Bohemi, qui illam afflictarent. Sed hæc pleniùs
in Wandalia nostra.

CAP. 42. VERDENSIS ecclesia post Ioannem meruit pontificem ducali origine, Ottonem, filium Magni, germanum Friderici, Henrici, Bernardi, ducum Brunswicēsium & Luneburgensium: qui ecclesiæ huic non diu præfuit, translatus ad Bremensem. Tum valuit translatio, nunc meliori consilio fit ecclesiarum cumulatio. Ætate nostra non dimisisset Verdensem: ea retenta in commendam, transisset ad aliam, titulo episcopali regendam. Inde multo tum innocentior erat illa ætas. Memorabile quod in ecclesia peregit, hoc erat, quia ecclesiam maiorem consecrabat, quæ stabat dudum sine consecratione per annos multos. Consecrauit autem die lunæ in Paschalibus ad annum nonagesimum, sed transtulit dedicationis diem in tertiam Dominicam post festa Pentecostes. Transiens ad Bremensem, omnia quæ præ- 10
Otto Verdensem nudat ecclesiā, ad Bremensem se conferens. cessor suus in arce Rodenburg reliquit, secum in diœcesim Bremensem transportauit, & ecclesiam Verdensem nudatam in paupertate reliquit: sed moribus eius facile potuit ecclesia carere. Ottone autem, vt præmittitur, ad Bremēsem ecclesiam translato, & arce Rodenburg nihilominus in sua potestate retenta, D. Bonifacius in sua obedientia Papa IX. prouidit de ecclesia cuidam domino & magistro Theodorico de Nym: qui descendens in prouinciam, & curiam episcopalem in Luneburg in possessionem accipiens, grauissimè cōtra dominum Ottonem, propter detentionem arcis Rodenburg, processit Apostolica authoritate: & in hoc negocio, vt visum est doctioribus, plurimùm desæuiens, suos contra se subditos ad inuidiam prouocauit, qui apud sedem Apostolicam per submissas personas pro translatione 29
eiusdem magistri Theodorici ad ecclesiam Cameracensem laborarunt, bona sua commutatione. Ex quo facto magister Conradus de Vechta, pòst factus archiepiscopus Pragensis, in locum eius, per præfatum dominum Bonifacium Papam, ecclesiæ Verdensi præfectus, per capitulum & clerum pro iure suo admissus, arcem tamen Rodenburg, aut aliquorum ecclesiæ bonorum nunquam est adeptus. Pendente causa inter præfatos dominos Theodoricum & Conradū, D. Conradus Soltow, magister in Theologia, locum D. Conradi de Vechta per prouisionem dicti Romani pontificis subintrauit: possessionem arcis Rodenburg cum difficultate, quia duos contra se habuit competitores, accepit. Quo tempore anni nonagesimi
1395. quinti, post MCCC. cœperunt indulgentiæ Bremis impetratæ, durantes per annos 30
Indulgentia Bremensis. continuos octo. Qui autem fuerit apparatus ostendendarū de suggestu reliquiarū, foris ad occiduas partes tabulatō in forum spectante, quod hodie visitur, quanta solennitas in conuentu, quantus mortalium concursus, incredibile est memoratu. Extat tamen eius rei, vt ferunt, non leuis memoria in codice rationali structurarii. Hic est annus nouissimus Alberti archiepiscopi, qui fuit sedis suæ tricesimus tertius: nam inde transiuit ad vitam, vt confidimus, & longiorem & melioremcùm præter profusionem conuiuiorum nihil ferè moribus eius & gubernationi poterat à quouis opponi. Tanta tamen fuit illa, siue profusio, siue prodigalitas, siue dapsilitas dicī debeat (omnibus enim his vocabulis abutebantur, prout quisq; defuncti famā vel obscurare, vel tegere, vel illustrare cupiebat) quòd in tantam egestatem perduxerit ecclesiam, vt in Romana curia, procuratione archiepiscopi iuris beneficium de 40
rebus cedendo, cùm æs alienum omne persoluere non posset, cogeretur imporare. Principi certè calamitosum profugium. Inde verò nata est occasio impetrandarum à pontifice, quarum erat largus, pro ecclesia indulgentiarum.

CAP. 43. OTTO Magni ducis, qui frater erat Alberti, prædecessoris filius, frater Friderici, Henrici, Bernardi, ducum Brunsuicensium, pontificatui Bremensis ecclesiæ succedit, translatus de ecclesia Verdensi, quam annis pene octo gubernauit. Ex capitulo nonnulli contulere vota sua in Ioannem Monnick, maioris ecclesiæ præpositū: sed præuenere nuncii Ottonis postulati, & opitulantibus nōnullis apud summum pontificem ex maioribus, confirmationem pro Ottone obtinuerunt. Eximia laus 50
Episcopus malos hominibus purgat prouinciam. huius pōtificis, quòd cùm primùm attigisset administrationem huius ecclesiæ, magno & incredibili zelo purgauit prouinciam malis hominibus, qui per incuriam prædecessoris, & per bellorum licentiam supra modum excreuerunt. Accessit laudi eius, quòd singulari diligētia pontificale in ecclesia officium ipse peregit, & peragere curauerit in suo quemq; gradu. Arces cum præsecturis à patruo impignoratas,

tas, magno ære redemit. Quippe Albertus, vt diximus, pluſquā ſatis erat ſumptuoſus, pauca reliquit in diœceſi prędia non ære obligata alieno: ſed iſte inſtituit cuncta redimere. Arcem Ottersberge nonnulli tenuere miniſteriales, qui bonis cōditionibus reddere detrectarunt: magno impendio archiepiſcopus vocatis armis illam obſedit: nihil profecit, circunfluente riuo profundiſſimo Wummen, qui creſcebat quotidie, fecitq; munitionem inexpugnabilem. Soluta obſidione, ciues Bremēſes interpoſita compoſitione, effecerunt vt res ex ſententia pontificis ageretur. Inde verò arcem aliam Languedel cùm alii miniſteriales tenuiſſent, dolo an neceſſitate incertum, in alienas manus contulerunt: & inde in poteſtatem Henrici de Brunſwick, qui germanus erat archiepiſcopi, deuoluitur. Erat autem, vt fit, ſimultas inter fratres. Indignatus ſupra modum archiepiſcopus in fratrem, queſtus eſt amicis longinquis & vicinis, fratris in ſe perfidiam. Quid multa? non niſi ſolutis trium aureorum millibus, recipere potuit: ſed prælati ac miniſteriales annuerunt per diœceſim archiepiſcopo collectam ex agris, vt per atra fieret contributio: ita ruſtica plebs omne onus ſupportat pro nobilitate.

MONASTERIENSIS eccleſia; poſt Potonem Bohemum inde tranſlatum pontificem, accepit Heidenricum Wulff: qui primùm paſtor erat in Hertfelde, poſteà factus ſcholaſticus eccleſiæ Monaſterienſis: inde etiā præpoſitus, pro eo quòd res eccleſiæ ſtrenuè ac legaliter adminiſtrauit. Electus in epiſcopū, difficulter obtinuit confirmationem Apoſtolicam, propter factiones friuolas delatorum: conſecquutus eſt tamen. Et cōſecratus epiſcopus, diœceſim ſuam prudenter rexit: & multas difficultates perpeſſus, forti & conſtanti animo perſtitit, & ferè in omnibus victor euaſit: ſed morbus, quem tympaniten dicunt (genus eſt hydropis) victor eius fuit. Erat tum in ſummo pontificatu nonus Bonifacius, vir integer, fortis, iuuenis, Neapolitanus, inter illos cardinales creatus, quos Vrbanus Lucerię multos creauit in regno: inter quos erant, Moguntinus, Treuirenſis, Colonienſis, archiepiſcopi: ſed illi galerum non acceperunt, remittentes cum honore: in quibus multi Neapolitani, quorum erat præcipuus iſte. Coronatus autem & conſecratus, ſtatim confirmauit ea quæ erant decreta ab Vrbano: de Iubileo in trigeſimo tertio, de feſto Viſitationis Mariæ, de indulgentiis ad reuerentiam corporis Chriſti. Dominum Adam cardinalem recipit Anglicum: & reuertentem de Auinione, cardinalem de Rauenna reſtituit. Arcem S. Angeli magna parte deſolatam purgari, renouari, firmari iuſſit. Comitem Fundorum, qui initio ſchiſma ſtabiliuit, penitus exterminauit. Ipſe Romanis, non vt Papa, ſed vt rigidus Imperator, dominabatur: multos ſibi ex illis de perfidia ſuſpectos, per iuſtitiarios fecit occidi. Capitolium & palatium ſuum veheméntiùs communiuit: nec fuit ante eum pontifex, qui talem in Romanos poteſtatem exercereret. Inde mortuo in Francia Roberto Antipapa, moritur & rex Franciæ. Filius eius nouo pontifici obedientiam præſtare diſtulit, monuitque, vt vnionem eccleſiæ procuraret. Sed in amentiam verſus idem rex, perſiſtere non potuit: per lucida tamen interualla non ceſſauit admonere, effecitque perſiſtens, vt multi fierent neutrales: permanauitque ea neutralitas in partes Flandriæ & Brabantiæ, vnde ciuitas Leodienſis inuſitatis gratiis à Papa Bonifacio collectis, mota eſt, vt & ipſa à Bonifacio recederet, & neutralitatem amplecteretur. Sed hæc interim.

*Cap. 44.*

*Ante Bonifacium, pontificem Romani rigidiorem nō habuerunt.*

RACEBVRGENSIS interim eccleſia pontificem accepit Dētleuum, genere miniſterialium, de Magnopoli ortum, qui liberalitate, ne dicam ſumptuoſitate, ſua eccleſiā intolerabili ære grauauit alieno. Amicis & cognationi ſuæ plurimùm deditus, illos locupletare contendit: ſed eccleſiam reliquit pauperrimam. Multa etiam bona ab eccleſia alienauit ſine ſpe recuperandi. Multa tamen viciſſim in decimis, villis, curtibus, cæteriſque prædiis coemit. Fuit tamen homo per omnia Deo deuotus, vt ſi profuſione ſua & largitate eccleſiam damnificauit, magis ex ſimplicitate & inauertentia, quàm vana iactantia feciſſe credatur: quanquam idipſum in irrecuperabile damnum eccleſiæ redundet. Tranſiuit tempora ſua, & in pace quieuit D. Detleuus, cognomento Parkentyn: inter optimos pontifices numerandus, ſi nō illi ſuæ profuſio obſtitiſſet. Interim Bonifacius curiam ſuam inauditis

*Cap. 45.*

gratiis magnificare contendit: cognationi suæ & ille plurimum permisit. Indulgentiæ feruntur miris modis diuenditæ, vsquacadeò, vt bonos viros tæderet eius largitatis: & sunt perinde multi permoti ad retrahendum illi obedientiam, vt se in neutralitatem collocarent. Episcopatus plurimi per Alemaniam, istius pontificis temporibus vacauerunt, multisq; ecclesiis non meritæ personæ præficiebantur. Mira tum visa est in dispensationibus largitas, religiosis mendicantibus ad ecclesias, ad beneficia, vt essent monachi proprietarii: vt qui ex mendicantibus, ordine suo dimisso, centum aureos persolueret, ad ordinem quemlibet introiret. Mirum vnde Papa voluit illum aliquid soluere, qui nihil habuit, aut saltem nihil habere debuit. In expeditione pro episcopatibus tum infinita cœpit exigi pecunia, ad quadraginta, quinquaginta, sexaginta, octoginta millia aureorum. Anticipator fuit iste nostrorum temporum: necdum enim erant annatæ.

*Ecclesia vel multi vel indigni præficiuntur.*

CAP. 46. HILDESEMENSI ecclesiæ post Gerardum præficitur nobilis, vir venerandus, Ioannes, natus comitibus de Hoia, præfuitq; ecclesiæ suę per annos viginti sex varia fortuna. Confregit præsidium sub arce Winsenburg. Prælio magno victus est apud Gronden. Ministeriales quoq; eius temporibus bis hostibus victi subiacuerunt. Præfuit iste pridem annis quinq; ecclesiæ Paderburnensi, & ab ea translatus est ad hanc Hildesemensem. Literæ autem super translatione eiusdem D. Ioannis in Romanà curia expediebantur, & ipse parabat profectionem, & transiit ad ecclesiam Hildesemensem. Quo tempore domus fratrum Carthusiensium in Arensbokc, & in vicino Rostock loco sunt inchoatæ, ad annum Christi millesimum trecentesimum nonagesimum octauum. Begardi, & secta Flagellantium renouatur in Italia, qui se nodosis flagellis cruciarunt, transiitq; in Germaniam, ac per cæteras regiones graues & intolerabiles errores disseminarunt. Mirabilisq; populorũ motus per hæc tempora fuit in Italia. Nam omnis ferè multitudo in Cisalpina Gallia vno motu, vestes albas & lineas, ad pedes vsque protensas, cum capitiis more religiosorum, quibus facies velabant, induit. Qua commotione & nobiliores viri simul & fœminæ, principes, episcopi, prælati, clericiq; ac religiosi cuiusq; ordinis & ẽti, incredibili deuotionis ardore in simili habitu incedere tentauerunt. Horũ deambulatorum longa agmina ad vicinas vrbes commeabant, & processionaliter bini ac bini pergentes, pacem & misericordiam supplici clamore sæpe ac sæpiùs inuocabant: hymnos cantabant, quàm maximè repetentes orationem rhythmicam, *Stabat mater dolorosa*. Durauitq; is motus menses ferè tres, incertum vnde initium sumpserit. Primi in Italia Lucenses fuere, vtriusq; sexus induti albis ad tria millia. Compertum est, quendam sacerdotem fuisse authorem, qui tanram modestiam in vultu & verbis præ se ferebat, vt ab omnib. sanctus haberetur. Illum tamen Bonifacius pontifex apud Viterbium iussit comprehendi, & tanquam superstitiosum, ad se perductum, igni iussit exuri. Horum autem crucifixi imaginem, quam ante se ferri fecerant, Lucenses hodie cum maxima veneratione conseruant. Catharina quoq; de Senis, tunc floruit, quæ anno ætatis duodecimo, Prædicatorum ordinis tertii regulam subiit: & mirabiles victorias in abstinentia & visiones habuit, quam Christ⁹ desponsasse dicitur annulo quatuor margaritarum, & in summitate adamantẽ habente. Dominus illi cor dicitur extulisse, reddens illi suum. Mansit in latere cicatrix. Anno ætatis trigesimo, peractis multis miraculis, Romam deuotionis gratia inuisens, finem ibi fecit viuendi, & in monasterio de Minerua, tumulatur. Quam Papa Pius anno sexagesimo intra sanctarum collegium iussit adnumerari. Festum eius quàm sanctè percolunt fratres Prædicatores.

1398.

*Cisalpini Galli deuotione moti, vestem mutant.*

*Auctor vestiũ Monachalium iussu Bonifacii pontif. exuritur.*

CAP. 47. LVBICENSIS autem ecclesia post Euerhardum, alium accepit pontificem, dominum Ioannem de Dulmen, ecclesiæ Lubicensis scholasticum, Decretorum doctorem, sacri palatii Apostolici causarum auditorem. Datus est autem prouisione pontificis, non electione capituli. Erat vir miræ probitatis, pacem vbiq; zelans, etiam cum suo detrimento. Venit ad ecclesiam, susceptus perbenignè, vir dignus eo loco. Emit curtem cum pertinentiis in villa Gamel centum marcis, & tres alias curtes in eadem villa sexaginta marcis impensis: & perinde plenè liberauit villam à militaribus, qui multum antè dominabantur in ea. Et quoniam per indiligentiam,

gentiam, zelo pacis quo feruebat, multa dissimulanter transiuit, quæ prædicium ecclesiæ ferebant, insecutor eius conuenit exequutores eius, & omnia ferè ab eo relicta, sibi obtinuit consignari. Sedit annis viginti vno, regens ecclesiam, & quieuit in pace. Exorbitabat eo tempore supra modum Romana curia in exhauriendo prouincias auro, inauditas indulgentias & gratias incredibiles conferendo. Curiales autem Apostolici impetrantes, miserabiliter iactabantur. Litigabant coram auditore. Sententiæ duæ ferebantur pro vna parte. In tertia instantia mandatur audiri, vt imponat parti perpetuum silentium. Neq; per cancellariam opus erat literas expedire: compendiosior erat via per cameram, dato quod sonaret & fulgeret. Res tum noua, sed nostra ætate bene inolita, vt hoc seculum adinuenisse credatur, quo hoc nostrum modò vtitur. Sed hæc frustrà querimur.

*Pontifex indulgentia conferendo, prouincias exhaurit.*

*Pecunias emungit.*

OSNABVRGENSIS ecclesia, post dominum Melchiorem translatum in ecclesiam Suerinensem, electione libera assumpsit in episcopum suum, pridem præpositum, D. Theodoricum de Horne, virum magnanimum, sed qui duras haberet partes ecclesiæ gubernãdæ, quòd D. Theodoricus de Marca, magno ære erat quietandus, quia de suo plurima impendit ad redemptionem capti D. Melchioris episcopi, & ad reliquas ecclesiæ necessitates. Mira res, cur in electione non sit habita ratio eiusdem D. Theodorici de Marca, qui tàm bene meritus esset de ecclesia Osnaburgensi: quam etiam altera vice pene solus exemit miris difficultatibus, vnde emergere suis viribus nunquam potuisset. Sed coniicio de temporũ ratione, quod non legi, fuisse non paucos, neq; eos de minoribus, qui virtuti eius inuiderent, quive timerent asperitatem eius, si pontificatum accepisset. Potuit & illa causa fuisse, quòd episcopatum illum tantis perplexitatibus inuolutum non ambiret, cùm sciret quid illi immineret. In summa, cùm pecuniam accepisset, aut pro non accepta teneret pignora, venit episcopus Theodoricus ad administrationem. Sed maior illi aduersarius fuit Otto de Tekeneburg comes, qui dotalitio teneret ecclesiæ prædia, quę à nobili de Lippia socero accepisset. Postulauit episcopus reddi ecclesię iura sua, comes detrectauit. Fit durissimũ bellum atq; atrox, adeò vt de sanguine certaretur, captosq; inuicem necabant (suspendio. Sed ea res placito partium antiquatur. Capiuntur, emunguntur inuicem argento: & vsq; adeò fit atrox bellum, vt nullus exitus videretur. Fiunt inuicem inter partes tractatus. Inuentus est, qui auderet depossere, episcopum solo ministerio ecclesiastico occupandum, ordinaret clericos, consecraret ecclesias, & reliqua quæ sunt ordinis exerceret: comes Otto esset patronus & defensor ecclesiæ, cum filio Nicolao. Sed inter patrem & filium tanta erat concordia, vt sæpè conaretur patrem capere filius. Id quod ætate nostra factũ recolimus in eadem domo. Theodoricus verò laborando, circumspiciendoq; effecit, vt de manib. comitum ea, quæ sunt iuris ecclesiastici, extorqueret. Orta simultate inter clerum & populum Osnaburgensem, super oneribus quæ diu portauere ciues, per bella & redemptiones prædiorũ, voluere à clero de patrimonialib. subsidium. Clerus allegauit priuilegium: res per arbitros est terminata. Theodoricus autem episcopus senio fractus, emigrauit.

CAP. 48.

*Patri filium insidiatur.*

MONASTERIENSIS ecclesia tum pontificem habebat Ottonem, ex comitibus de Hoia, qui pridem ecclesiæ præpositus talem se gerebat, vt episcopatu dignus ab omnibus iudicaretur. Hic vir erat armorum amator, bellis gerendis, quàm ecclesiis administrandis, aptior. In armis satis fuit fortunatus, hostes Monasterienses ecclesiæ ferè ad exterminium profligando, & capiendo: ex quorum bonis, prædiis, arcibus & oppidis fines ditionis ecclesiasticæ mirificè ampliauit. Potentiã comitis de Tekeneburg, qui semper grauis erat ecclesiæ, ad vltimũ eneruauit, vt deinceps Monasterienfis episcopus facilè cum illo agat: coegitq;, vt eum in ciuitate Monasterienfi supplex adiret, conditiones pacis sibi dictandas acceperus: alioqui illi formidandum fuit, quod in aliis cernebat, totale exterminiũ. Talibus enim op⁹ est pontificibus per vices, qui, postquam ecclesia gladium temporalem accepit, di stringant: ni facerent, quæ est audacia militarium, non sinerent vel vnum ecclesiis manum pacificum. Nam gladi⁹ iste spiritalis, si solus sit, multis contẽptus est: si accesserit alter, erit vt duplici manu pugnãs, facili⁹ superet: quomodo olim Bẽiamitę

CAP. 49.

*Episcopus belli quàm Theologia peritior.*

AD nouum, quod cursus monstrat, seculum, iure bono, nouo ordi mur libro, tempora pontificum sequentia recensentes. Ad annũ quadringentesimum post mille, sedente Ottone archiepiscopo Bremensi, inchoata est instrui in summo altari tabula argẽtea insignis, ad honorem Dei & patronorum, ex oblationibus fidelium, quæ prouenerant ex indulgentiis tum datis ecclesiæ, vt diximus, Bremensi. Animaduersum est à nonnullis prudentibus, bellorum tempore thesaurum illum comparari, vt mutuum inde sumatur ad ecclesiæ necessitatem. Inde conuenit inter Capitulum & senatum, vt nulla ecclesiæ necessitate quicquam ex ea tabula contingeretur: idq; literis firmatum est. Sed quid faciesposteris? Bremenses inde Phrisonum querimonias audiere, qui nouissimo bello in ius & ditionem ciuitatis concesserant. Querebantur autem de his, qui Iadam fluuium accolunt, Buttiadas vocant: & cùm æquis conditionibus accusati non parerent, vrbis gubernatores vocabant in partem Aldenburgenses comites & ministeriales diœcesis, & hostilia nunciauere pertinacibus, quòd terram tribus agminib. ingressi, tripartitam prædam agerent. Coegerunt incredibiliter multa pecora. Homines verò terræ incolæ, qui primùm ingredientibus se obiectauere, facilè cesserunt, cæsi, capti, fugati. Pontem instruunt, connexis in ordinem nauigiis: appositoq; præsidio custodientium, & diuiti prẽda locupletati, reuertuntur. Sequenti anno Bremenses, necdum bello pacato, assumptis de Delmenhorst & Depholt comitibus, iterum terram ingrediuntur eandẽ: vicinis Frisiis iam vltione saturatis, quòd sanguinis effusionem horrerent. Ingressi autem, non minorem, ac priùs, prædã abegere. Otto autem archiepiscopus, vt Hadalerios in fide cõtineret, nouam molitur arcem, quam etiam congruo vocabulo Nouam domum appellauit. Tempus hoc illud erat, quo Gerard⁹ dux Sleswicensis in Thietmarsia cæsus, cum copiis suis, qđ in Saxonia diximus, reliquit tres filios impuberes, quibus tutãdis Henricus, frater Gerardi, comes Holsatię, electus Osnaburgensis, properauit in Holsatiam ex Osnaburga. Cumq; Bremam pertransiret, aditus à Bremensibus, audiuit eorum querelam, quòd vectigalibus præter consuetudinem in terra Holsatiæ, in Todesloe grauarentur: rogãtes, vt quoniam ille rerum administrationi succederet, daret operã, vt antiquis libertatibus fruerentur. Nam per omnem illius prouinciam, vt ferebant, semper illi liberi habebantur & immunes. Poterat quidem fieri, vt quoniam ministeriales nonnulli Holsatiæ, cùm ciues eorum ob nescio quas causas insectarentur, nemo se Bremensem audebat profiteri: & proinde vectigalia cum cæteris dependissent, ea res in consuetudinem versa, nunc illos pristina immunitate destituisset. Promisit ille operas suas, & effecit vt in veterem libertatem denuo restituerentur. Multa hic pontifex Otto, vt ad illum reuertamur, veteris relaxationis errata emendauit, nihil omittens eorum quæ ad optimi pontificis dispositionem pertinere viderentur. Ad finem verò & nouissima eius tempora suggerebat senatui Bremensi præpositus Hadelerię, is qui in pontificatum successerat, vt quoniam dimidiũ prefecturæ in Bederek ossa iam teneret, reliquam dimidiam, data põtifici pecunia, redimerent ab illo, futuram ciuitati magno commodo, quãdo permixtum dominiũ nouam semper perturbationis materiam induceret cum pontifice. Moti proconsules verbis eius, rem aperiunt archiepiscopo, hortantes, vt accepta æquabili pecunia, totum illis permitteret dominium arcis memoratæ, cuius iam tenerent dimidiam. Quam rem adeò tulit indignè & iniquo animo, vt morbum, quo clam ille laborabat, vehementer augeret indignatio: ex qua viam est ingressus vniuersæ carnis, morte absumptus, circa annum Christi MCCCCVII. cum iam duodecimũ pontificatus annum contigisset: sepultus in ecclesia media, ad dextram Alberti patrui.

CAP. I.

1400.

Deus & sancti, hominũ placitis honẽtantur.

Bremenses priuilegiis libertatis de nouo donantur.

1407.

HALBERSTADENSI ecclesiæ post Ernestũ, à summo pontifice ob nescio quas causas depositum, & sequenti anno mortuum, Rodulphus ex comitib. de An

CAP. 2.

halt præficitur. Præfuit autem annis ſolis ſeptẽ, tumulatus in eccleſia ſua. Quo tem
pore, cùm iam indoluiſſent principes Germaniæ, ferre infelicem pecudem nomine ſupra ſe regem, adunati, deſtituunt imperio. Cogitantes quem præficerent, inuicem cohortati ad cœtum & conuentum in Francofordia, magna illic frequẽtia
*Principum & Archiepiſcopi de Imperatore eligendo diſſenſio.* conuenerat. Fridericus dux Brunſwicenſis pro ſe ac fratribus ad Imperii cœtum aſcenderat. Erant qui magnificum principem, veterum Imperatorum à Saxonia ſanguinem dignum Imperio faterentur, anniterenturq; vt aſſumeretur. Sed archiepiſcopus Moguntinus, incertum ex quibus cauſis, ei aduerſabatur. Poterat memi niſſe ex annalibus, quòd ante plus quàm centum annos, Albertus dux Brunſwicenſis prædeceſſorem eius archiepiſcopum Moguntinum cepiſſet, cùm illius ditionẽ armatus exercitu hoſtiliter introiſſet, carceri mancipaſſet, & magno ære mulctaſſet: quod tamẽ non ipſe, ſed pro eo Richardus Cornubiæ ex Anglia comes, qui ambiret regnum Romanorum, pro illo ſoluiſſet. Solent enim principes eiuſce cauſas in longam mittere memoriam. Sed tum Rupertus Palatinus comes, rex eligitur: Fridericus cum duce Saxoniæ Rudolpho & Sigiſmundo comite de Anhalt domũ reuerterunt. Cumq; ad vicina Friſlatiæ in Heſſia à militaribus incurſantur, ignorauere qui eſſent, & ad quid veniſſent. Cùm omnia cernerent hoſtilia, parabant ſe tueri: in qua tumultuatione tranſuerberatur gladio Fridericus, princeps optatiſſimus, manu militis de Hattinghuſen. Capitur Rudolphus dux. Sigiſmundus pernicitate equi elabitur. Ferunt archiepiſcopum Moguntinum authorem fuiſſe ad captiuitatem eorum, fortè ob cauſam memoratam. Intererat comes de Waldegge. Corpus cum omnium maximo planctu Brunſwicum aduehitur, & ibi tumulatur. Fratres eius Henricus & Bernardus, vindictam intulerunt: ſed nihil ad rediuium.

CAP. 3. VERDENSI autem eccleſiæ præficitur magiſter in theologia, dominus Conradus, cognomẽto Soltow, plebeio genere, oppido Lunenburg: cui fortunato accidit, vt ambo eius competitores meliores prouiſiones acciperent. Nam magiſter Conradus de Vechta, factus eſt Pragenſis archiepiſcopus, cùm adhuc in Romanæ eccleſiæ obedientia permanerent. Cæterùm temporibus illius inoleuit peſſima illa Huſſitarum ſecta, de qua plura in Wandalia noſtra. Dominus Theodoricus de Nym, alter competitor eius, peruenit ad eccleſiam Cameracenſem, ad cõfinia Brabantiæ & Flandriæ, & vacuefacta eſt ſedes Verdenſis, domino Conrado, qui ita vixit apud eccleſiam ſuam, vt homo venter & gulæ deditus accuſetur: idq; ferunt eſſe Theologorum, quieti inſiſtentium, & proinde non alium, quàm ventrem, deum colentium. Eam infamiam illatam profeſſioni, meritò ingemiſcunt boni Theologi, quibus aliud ſtudium eſſe ſolet & debet, quam vt ventri ſeruiant. Quid tamen facient fabulis hominum? Iſte Conradus cùm eccleſiæ neceſſitatibus non ſatis circumſpiceret, nec conquirendis aut cumulandis rebus inuigilaret (vtinam reformandis moribus inſtitiſſet) dum vni ſibi viueret, & ventrem paſceret in crapula & ebrietate, eccleſiam magnis oneribus grauauit, & in maximo ære alieno reliquit. Arcem etiam Rodenborg, quam manibus alienis extorſit, in alienis etiam manib. impignoraram reliquit. Credo tamen, quòd ille magnum aliquid pro redemptione eius non impenderit, cùm acceperit de manibus optimi pontificis, domini Ottonis archiepiſcopi Bremẽſis: qui ea fuit integritate, vt eccleſiam Verdenſem, quã primùm gubernabat, non grauaret. Functus quidem vita, mortem obiit Conradus in arce eccleſiæ, ſed apud eam tumulari non curauit: tranſportatus eſt autem Luneburg, & ad ſanctum Michaelem, ad fratres eſt tumulatus, ad annum Chriſti ſeptimum, poſt MCCCC.

*Eccleſia quò locupletior, eò plures inuenit miniſtros, & in his qui potentior & prior, nõ potior.*

*Epiſcopus luxurioſus.*

1407.

CAP. 4. RACEBVRGENSIS eccleſia poſt Detleuum, meruit pontificem, inſignem & memorabilem virum, dominum Iohannem, hominem plebeio genere natum, ſed ætate, moribus, & virtute probatum, vt verè pater eſſet filiorum, quos accepit in eccleſia commendatos. Fecit pro eccleſia ſua quæ potuit. Multa prædia & preciоſa clenodia, & eccleſiæ volumina, à prædeceſſore ſuo, quòd pauca ſumptibus illius non ſufficerent, in pignus data, & quaſi ab eccleſia alienata, redemit. Quamuis ſpolia, deprædationes, incendia atque iniurias paſſus ſit, in non modicum eccleſiæ

damnum

damnum & grauamen: ea multiplicantur à magistris scelerum, cùm adesse nemi-
nem videant ecclesiæ, qui tueatur, qui abigat. Sic vindicant præreritionem minis-
terialis generis virorum, quos assumendos volunt, moribus, vita & ingenio de-
generes, vt habeant ex familiis qui tueantur, non dicam qui deuorent ecclesiam,
quod crebriùs cernimus. Hoc tempore corpus sancti martyris Viti, plusquàm se-
ptem mensibus stetit in arce *Lappenspringe*: quo in loco honoratæ sunt sacræ reli-
quiæ à multis vndecunque venientibus. Causa translationis de Corbeia, fuit, quo-
niam inter Abbatem & conuentum orta est discordia: corpus sacrum à Corbeien-
sibus abstractum, eo more quo solent sacræ reliquiæ ab ecclesia deduci in discor-
dia patronorum, donec inter se conueniant. Simul & hoc vereri poterant, ne per
discordiam, insigni furto tantus thesaurus abduceretur. Bohemi constantissimè lo
quuntur, sancti Viti reliquias esse in arce regia Pragensi, ibique religiosissimè co-
luntur. Non est pernicioſa credulitas in talibus: honor defertur non ossibus, sed ha
bitatori spiritui, qui regnat cum Christo: vbicunq; fuerint ossa, in fine seculorum
colligentur.

*Cadauer S. Viti Corbeia translatum.*

*Lappenspringe sacræ reliquiæ aliquandiu.*

BREMENSI ecclesiæ post Ottonem præficitur insignis vir, dominus Ioannes *Slampstorpff*, genere ministerialium ortus, diu in ecclesia & diœcesi versatus, omnibus notus, notscens & ipse vniuersos, qui in rebus agerent. Archidiaconus erat, nunc vocant præpositum, Hadeleriæ, atq; Wursatiq; xxx. annis. tantam sibi sapien-
tiæ & bonitatis famam contraxit, vt omnium consensu archiepiscopatui succe-
deret electus. Hoc ministeriales, hoc vrbes à capitulo petiere, hoc viri fama latè
diffusa, quam præsertim magnam meruit in compositione pacis inter dissidentes,
quocunque aduocabatur. Non magna literatura, sed ingens rerum experientia,
& facundia non vulgaris, & in primis promptitudo ingenij versatilis. Rarò inter-
uenit dissidentibus, quos non pacatet. Vnum in moribus videbatur cæteras eius
obscurare virtutes, tenax erat supra modum, & parcus rerum dispensator: vnde
illi cognomen indidere, vt, quoniam omnes quos blandè appellabat, cognatos vo
citabat, *maach* vernacula lingua, quod sonat cognatum, appellarent. Qui ad infi-
morum quorunque mensas vocatus, adire non dedignabatur: neminem contem-
nens, omnes in commune cognatos appellabat. Initium illi dissensionis cum ciui-
tate, super eo, quòd prædecessoris tempore ipse suggessisse videbatur Senatui, de
redemptione dimidiæ præfecturæ in Bederecossa. Eam cùm memoratus Senatus in-
sinuasset futuram intra annum, prædecessor decessit, & iam annus circumuoluit
tur. Illi deposcunt à capitulo verba rebus firmari. Hic tum præpositus Hadeleriæ,
cùm esset & senior in capitulo, de cæterorum assensu respondit placidis verbis:
Breuem esse moram ad futuram electionem: eam expectarent, ne quid vacante se-
de, nouasse viderentur. Quieuere donec ille omnium consensu, quo diximus, eli-
geretur futurus pontifex. Electione facta, renouant pristinâ postulationem. Tum
electus respondit suauiter & placidè, Illos hunc diem expectâtes, feciſſe legaliter,
supereſſe ius confirmationis à summo pontifice: qua pendente, non libenter rem
in ecclesia nouaret. Iterum illi cedunt postulationi, differentes, sed iam confirma-
tus, denuo super ea re interpellatur. Non tum, vt prius, placidè respondit, sed omis-
sis verborum delinimentis: Perplacceret, inquit, expectare diem nõ longinquum,
præstitæ ab omnibus de more fidelitatis. Illi indignantur, toties dilati, frustratiq;.
Tum ille: Nolite (inquit) mirari, si differimus rem non minimi præiudicij, in qua
supereſt nobis quod interponamus. Hæc prima dissensionum semina. Quoties
autem deinceps super ea re verba fierent à Bremensibus, reiecit ille accusationum
capita in quendam Didum Lubben, hominem Frisium, Bremensibus cohæren-
tem, vt distenderet eorũ postulata. Nam & ipsi Bremenses multũ indignati in eun-
dem Frisiæ capitaneũ, deliberauerũt imponere fortalitiũ terræ sibi parenti, in qua
ille administrabat, vt frenum insoleſcens haberet, quo reuocaretur, idq; de consi-
lio & voluntate archiepiscopi: quoniam desuper adeuntes, & interpellantes, au-
diunt illi rem non displicere. Orant, ad vim hominum reprimendam, quos scie-
bant reluctaturos, aliquot ministerialium lanceas sibi attribui. Promittit. Illi
cuncta ad rem ex ordine præparant. Ministeriales promissos ad diem non venire

CAP. 5.

*Bremensium propositio per Episcop. magis ac magis impeditur.*

mitantur. Audiunt ab archiepiſcopo edictum, ne quis ſinat noua fortalitia in terra eccleſiæ firmari. Hac, vt ferunt, altera accedente cauſa, non ſincerum in ſe domini ſui affectum deprehendunt. Aliunde militares vocant, rem perficiunt ex ſententia, inſtituto fortalitio, Burgum pacis appellant. Sed & inſimularunt archiepiſcopum, dominum ſuum, quòd occultè cum comitibus de Aldenburg ageret, vt ciuitati bellum intentent.

CAP. 6. CHRISTIANVS vnus ex comitibus memoratis, miſſis in vrbem Bremam literis, hoſtilia illis & capitis periculum denunciauit, quòd in ſuum præiudicium nouam arcem erexiſſent. Eadem nocte dimittit ſuos ad prædã in Bremenſium ditionem. Res Bremenſibus non innotuit, niſi poſtquàm prædatores in ſua rediſſent cum omni præda: nam literas ſequenti demum die in ciuitatem accepere. Conqueſti ſunt, vt debuerant, archiepiſcopo domino ſuo. Pollicetur ſe interuenturũ, ſi modò cauſam omnem conſtituant in manus eius, vel in amicitia, vel iure terminandam. Dubitauerunt Bremenſes hîc quid agerent, inſtanterq; auxilium in publicos hoſtes poſtulauere, repetẽtes omnia, quæ ad cauſam ſuam arbitrabãtur pertinere fulciendam. Tum archiepiſcopus produxit literas comitum, quibus cauſam omnem ipſi in eius manus conſtituiſſent, feciſſentq́ue illum arbitrum de ſua parte volentes: adiecit: Quia poteſtatem mihi fecere totius controuerſiæ finiendę, non licere in eos hoſtiliter agere. Quando bella ob hoc ſolum permittuntur, vt ad iuſtitiam contumaces in vias eius perducantur: Amicitiæ, inquit, vias omnes perquiram mediator: nulla in eos arma producere fas eſt, quamdiu in ea perſiſtũt ſententia. Multis deinde diebus in medio ad tractatum tempore conſtituto, atque nunc hac, nunc illa parte fruſtrato die, affecti tædio Bremenſes, bellum viciſſim indixere comitibus Chriſtiano, Friderico, Mauritio, non valentes dirimere vnà habitantes fratres, quamuis ſolus Chriſtianus in eos hoſtiliter ageret. Egreſſi turmatim ciues cum apparatu bellico per brumam, omnia quæ ad ripam Weſeræ fluminis comitũ erant, incendio & rapina fœdarunt. Otto de Hoia, & Otto de Delmenhorſt comites, ciuitati acceſſere: ex quorum ditionibus valida manus collecta, per glaciem ibat in terram comitum memoratorum. Multa præda vndiq; circumacta: ſed nulla niue interueniente, per lubricãtem glaciem prædam abigere potuerunt minimè. Altera vice hoſtilem terrã petere conſtituerant, ſed audiunt hoſtes diuerſo itinere graſſari in eorum ditionibus. Ducunt in Chriſtianum, qui belli erat incentor & ductor: inuadunt, proſternunt, eundem Chriſtianum capiunt, Bremam introducunt: ſed poſt non multos dies, interuenientibus communibus amicis, res tota pacatur. Aperiunt comites, cuius inſtinctu res omnis ſit cœpta, & peracta. Exinde archiepiſcopo ſurrexit cõtrouerſia ex Wurſatiis & vicinis accolis de Le, (ſic enim vocitant pagum) quorum contumaciam domare volens, arcem & illis imponere cõſtituit: ſed aduerſantes illi in hac re Bremenſes, prætendunt literas iamdudum ſigillatas, nulla præſidia imponenda Viſurgo (Weſeræ) niſi aſſentiente ciuitate. Cùm id certis rationibus archiepiſcopus declinaret, ſuggeritur habitatoribus & accolis, vt clàm demoliantur noctibus, quæ per diem erigerentur. Animantur ad factum, cur ſe fruſtrà patiantur redigi in perpetuam ſeruitutem. Nonnulli ex his gnari nandi, noctibus riuum tranſeunt: nam ratibus iſſe nimis apertum erat. Bombardas, quæ aduectæ fuere à pontificis obedientiariis, deuoluunt ſilentio in fluuium, ferramenta fabrorum deiiciunt in profluentem: & niſi vis algoris viros confregiſſet, omnia fuiſſent demoliti, priùs erecta. Inde tamen fortiùs ab archiepiſcopo iubetur inſtari labori: ſed interuenere, qui rem, ne in bellum egrediatur, dirimerent tractatibus, vt demoliretur nouum opus. Conuenit: ita res tum eſt compacata.

*Iuſticiæ defenſoribus eſt bellum inferre.*

CAP. 7. MAGDEBVRGENSI deinde per hæc tempora eccleſiæ, in locum demortui Alberti, ſurrogatur dominus Guntherus, ex comitibus de *Swartzburg*: præfuitq́; eccleſiæ varia fortuna per annos quadraginta vnum. Quo tempore magnæ rerum mutationes erant in regionibus multis. Cæſus in Thietmarſia cum cohortibus Gerardus, dux Sleſwici, captus Henricus dux Brunſwici, pater Wilhelmi, qui ad noſtram vixit ætatem. Bellum *illi* erat in nobilem, de Lippia dominum.

Tranſierant

Transierant altrinsecus, vt est fluuius ille vadabilis, Wisaram, & magnis inuicem damnis suos vicissim afficere. Couenerant aliquando fortè obuij in agris ad prælium, ad vicina montis *Oderberg*. Inito prælio, fortuna sic voluit, vt Henricus dux caperetur. Dominus erat duorum ducatuum Brunswici atque Luneburgi. Magno ære expromisso (millia centum aureorum fama fuit) laxatur. Sed ex tam magno ære non magnum prouenit. Nam ipse Henricus Romam deuotionis causa profectus, cum conscientiæ suæ prospiceret & honori, detecta qualitate captiuitatis suæ, declaratur, non esse obstrictus iuramento quod præstitit. Surrexerunt deinde graues controuersiæ inter hunc pontificem & comites de Anhalt: accesserepartibus amici: in longum dilatata est hostilitas. Gunthero accessere, parens eius, episcopus Mersburgensis, de Mansfelt ac Querfurde comites. Comitibus exaduerso suppetias tulere (fratres enim tres erant) tria belli capita, episcopus *Halberstadensis*, Rodulphus omnium germanus frater, Rodulphus dux Saxoniæ, de Eghelen comes: confœderationes durissimæ horum in illos, & vicissim. Diuturnum ac latè vagans bellum, quod partibus nihil inuexit, plurima detraxit. Nihil enim ex vniuerso sumptu & labore prouenit, præter vastationem agrorum, pecorum abactiones, leuia prælia, mutuæ captiuitates, latrocinia multa sub apparatu publici belli. Sic vadunt, ita vorantur pauperes de sola superbia nobilitatis. O dum rum, in futurum, iudicium malè potentibus, quando de omnibus ad nouissimum quadrantem est luenda ratio. Sed hæc quibus auribus accipiant, incertum est, si futurum credant.

*Henricus dux Brunsuicensis a Comite Lippiensi capitur.*

*Bellorum certus effectus, est populorum pernicies.*

HALBERSTADENSI ecclesiæ per ea tempora post Albertum præficitur insignis vir, dominus Henricus, ex comitibus de Werberge prognatus: præfuit ecclesiæ solis quatuor annis. Quo tempore cùm Pragæ tumultuarentur Bohemi in studio literarum aduersus Teutonicos, qui in ea doctorum & scholasticorum vniuersitate, & numero & merito prævaluere Bohemis indigenis, dissimulante ad omnia, imò suis Bohemis ad omnia adstipulante ignauissimo omnium regum Wenslao: qui iam infensus erat Teutonicis, pro eo quòd destitutus per summam ignominiam esset regno Romanorum: si quis sensus in pecude somnolentissima: Bohemi Teutonicos nouis constitutionibus & priuilegiis ab rege impetratis vexauere. Sed & nouis & hæreticis dogmatibus, ab Anglia aduectis per quendam, de veneno perfidissimi hæretici Wicleff, in eo regno etiam post mortem concremati, turbauere. Sed omnium erat grauissima, quæ per tumultum & incursiones agebatur, turbatio. Vnde adducti magistri & doctores, prius collato sermone cum marchionibus Misnæ, priuilegium ex vrbe Roma à sede Apostolica impetrarunt, ad sui translationem in nouum gymnasium Lyptz: vnde factum est, vt populariter emigrantes ad duo millia scholasticorum Teutonicorum, concesserint in nouam studiorum vniuersitatem oppidi Lyptz: quod exinde in bonum modum efloruit in hunc diem, vt mercaturis & negociationibus adauctum, magnis vrbibus splendore rerum & opum certare videatur. Plausere sibi Bohemi, quòd soli in suo regno permanerent: gauisi Germani, quòd à consortio nequam hominum separati, secum agerent in tranquillitate. Interim verò venena sua Bohemi diffudere. Iohannes Huss, improbus calumniator, loquax, clamosus, blasphemias in omnem Romanam ecclesiam ausus proferre, conflare sibi cœpit authoritatem, malè augescentem in perniciem infinitarum animarum.

CAP. 8.

*Wenslaus Bohemorũ Rex ignauissimus.*

*Iohannis Huss ſij blaſphemiæ, ſi diis placet, in Romam.*

PADERBVRNENSEM ecclesiam, cùm iam impetrasset dominus Bertrandus Rauennas canonicus, decretorum doctor, Apostolici auditor palatij, & adductis literis esset per capitulum admissus, nec haberet locum, quò se hospitio reciperet, in curia Volmari de Brenken, qui eum fouere videbatur, residebat. Ministeriales verò ecclesiæ Paderburnensis, in ipsa ecclesia cõuenientes, in Wilhelmum filiũ ducis supradictum consentire se dixerunt, vt ipse dominus eorum esset, hunc Italicum penitùs execrando: ipsumq; adeuntes, dixerunt ei, quòd ipsi eum pro domino suo nequaquã essent recepturi, nec regimen suum eis posse prodesse: & hæc omnia per interpretem, quia non habebat commercium linguæ nostræ vernaculæ. Audentiùs ipsi quàm capitulum, quòd vererentur censuras. Ipse autem

CAP. 9.

bus, aliis etiam incipientibus iustificare partem pontificũ in Auinione, quòd Vrbanus de crudelitate, Bonifacius de auaritia insigniter notarentur.

IOANNIS interim in ecclesia Bremensi archiepiscopi, præcipua cura & singularis industria fuit, vt prædia ecclesiæ & arces impignoratas, quas Albertus onerabat, Otto ad plenum redimere non poterat. Hic vndecunq; seruatis & acceruatis sumptibus ad se reuocabat, vt ecclesiæ nõ inutilis pontifex haberetur, quicquid de illius rebus multi fabulentur. Bremenses deinde ad annum XIIII. Christi, stimulati multis malis, quæ Didius ipse, quem diximus, Frisiæ capitaneus, per multa tempora malignatus agebat, & ciuibus & amicis sine discrimine grauis: quę omnia longum esset percensere: Bellum indixere eidem, multis vndecunq; contractis in eum auxiliis, Comitum de Aldenborg, Ministerialium ecclesiæ, vt CCC. equites stipendio alerent, tribus ex vrbe millibus armatis, ducunt in hostem, terramq; hostilem, quam *Stadlandt* dixere: ibiq́ue diu varia pugnatum est fortuna, cùm incastellassent Frisij ecclesias suas: sed vi armorum coacti, se dedidere, pactũ iuramẽto firmantes, quòd Bremensibus in reliquũ in omnibus parerent, nec alios è suis capitaneos eligerent, quomodo hactenus Didij ductibus & monitis paruissent. Sed post multos annos nonnulli ex primoribus, numero quadraginta viri, transiliunt muros nouæ arcis, quam diximus fundasse ac firmasse Bremenses in ea parte, arcem pacis dixere: & iam intus oppugnauere manentem in ea de Bremis præfectũ, cùm nihil amplius efficerent, nisi quòd arcis prę fectum prospicientem è fenestra occiderẽt. Capti deinde, in Bremã sunt perducti, & suppliciis interempti. Nec longum tempus in medio, capitanei terrarũ Frisiæ, populo collectam indixere grauem: sed ille conspirauit, vt non pareret. Quidam ex capitaneis cùm audiret vicinos esse Cæsaris oratores, in occidua Frisia, ad dirimendas earum partiũ controuersias, adiit illos, & non sine graui impendio flexit eos, vt interponerent se medios inter populũ quinq; parochiarũ, & eorum capitaneos. Factæ sunt treugæ, conceptaq; forma compositionis, sed inter treugas, cùm opportunũ eidem capitaneo videretur, subductis clàm à Brema defluenti amne dromonibus, armatos imposuit, atq; terras inuasit, sed tamẽ populus ad arma cõclamans, fortiter restitit. Comperta ea magnatum suorum nimis potenti audacia, populus misit, qui senatũ Bremensem imploraret in capitaneos, pactis conditionibus, vt seruatis terrarum pristinis libertatibus, senatui quotannis persolueret singula domus mensuram hordei, cuius tertia maneret apud terræ prouisores, idem in mulctis quæ indicerentur transgressoribus. Quibus ita firmatis, armamenta & bellicum apparatum Bremenses expediuut, ecclesias à capitaneis incastellatas magno labore capiunt. Blexem, Berhoue, domus inde suas lateritias, quas firmabãt, dedidere: iurãtes, cõmunis patriæ salutem tueri, & pacta seruare, quæ populus pepigisset. Ibi controuersiæ finis. Cap. II.

HALBERSTADENSI interim ecclesiæ post breue m pontificatum Henrici sufrogatur Albertus, natus comitibus de Werningrode, præfuitq; ecclesiæ suæ annis septem. Cuius temporibus ortũ est bellum in ministeriales de Zwichelden. Nam qui arcem Hercyniæ tenuere, Conradus, Brandanus, & Henricus, citato agmine ex diœcesi Magdeburgensi vaccas abegere. Secuti expedito agmine Conradus de Egelen comes, & D. Otto de Warberge baro, conuersis latrunculis, juxta Derneburg ex insidiis cæditur dominus Otto memoratus. Indignatus dominus Gunthe rus archiepiscopus, cum principibus, qui perpetuã pacem firmarunt, ad obsidionẽ memoratæ arcis sunt profecti. Oppugnauere plus quàm mensem. Extruxere etiã præsidium in vicino monte, vnde facilè arcerentur ingressus & egressus ab arce: & cùm iam immineret bruma, relicto satis valido præsidio, soluerũt obsidionem. Ad prima autẽ redeuntis veris tempora, redierunt fortiores archiepiscopus memoratus, episcopus Halberstadensis, Henricus & Bernardus duces Bruniwicenses: & constructo etiã nouo ad aliã partem præsidio, ictibus & iaculis primùm deformauere mœnia: inde perduxere in eam necessitatem, vt deserta arce, fuga sibi consulerent. Fecere, quod multis ante vicibus legimus factitatũ: munitionem fregerũt, vt æquata solo videretur, & abierunt. Imminebat iam tempus concilij Constantiensis, ad reformandam vnionem Catholicæ ecclesiæ. Iam enim Sigismundus Cap. II.

rex

*Segismundi Romanorum regis in reformandis ecclesiis opera.*

rex Vngariæ, filius Caroli, rex Romanorum, circuibat reges ad reformandã vnionem in ecclesia: peragrabat Franciam, nauigabat in Angliam, vt sedato grauissimo inter reges bello, Ecclesiasticæ vnioni, & hæreticorum nascenti proteruiæ, simul & Turcorum augescenti Imperio occurreretur: cùm hæresiarchę Ioannes & Hieronymus, conuicti in concilio, flammis vindicibus vrerentur: alter post alterum, anno interposito. Tum verò immaniter fremuerunt Bohemi blasphemiis, inde gladiis fœuientes in omnes, qui Romanæ ecclesiæ in eum diem paruissent: sanctos illos, & Deo dilectos viros, sine causa, ad iniuriam nationis cõcrematos: bene cum illis actum, qui Dei regnum gloriosè appræhendissent: iniuriam tamen nationi irrogatam, armis vindicandam.

CAP. 13. VIDVAT A per hæc tempora Mindensis ecclesia pontifice suo, successorem accepit apostolica prouisione per Bonifacium IX. insignem virum, dominũ Marquardum, de Rindeghen cognomento, ordine natum militari, virum primarium consilio & manu, natione Sueuum, numero pontificum XLVI. Introductus erat in ecclesiam suam solenniter, equitibus multis de more stipantibus, in crastino S. Thomæ Apostoli, anno MCCCXCVIII. sed non est diu permissus illi ecclesiæ, statim transtulit ad Constantiensem, quæ illi propter regionem patriam gratior erat: nescio, si etiam prouentibus, quod in primis quæritur, vberior. Ita nouo erat opus concilio pro nouo pontifice, quando contempta ecclesia, suo sponso iussa est carere. Liberalis ferebatur Bonifacius IX. ad faciendã gratiam supplicantibus: ideò crebræ sub illius pontificatu fiebant episcoporum translationes, crebræ indulgen tiarum collationes, vsque ad fastidium cordatorum virorum. Aliquid facere cogebatur præter consuetudinem, vt in schismate tunc currente sibi faceret partes ampliores: sed non erat in eo finis, continuatum enim est post illum.

*Episcopatus quo plures habent prouentus eo grauiores.*

*Vide supra cap. 10.*

CAP. 14. SVERINENSEM ecclesiam post Rodolphum excepit Henricus, vir sine controuersia præstans, electus à capitulo: peruenitq; gubernãdo in annum modò tertium. Interim post Bonifacium IX. in Romana sede fuit Innocentius VII. qui ad pontificatum prouectus, gubernacula vrbis, quæ Romanis Bonifacius ademerat, ipse reddidit: vnde elati in superbiam, insolentias ei consuetas intulerũt. Papa verò iuxta iuramentum, quod cardinales ad eligendum congregati præstiterunt, (in quorum numero hic erat, quo continebatur, vt quisquis illorum eligeretur, omni conatu instaret pro vnione ecclesiæ, etiamsi cedendum esset papatui) literas emisit per orbem patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & vniuersis ad eam rem idoneis, vocauitq; in concilium Romæ pro vnione celebrãdum: sed orto Romæ tumultu, in quo aliquot Romani cæsi sunt, dies concilij prorogatur: & toties frustratur, vt euanesceret, vt facilè appareret, quiduis malle pontificem, quàm deserere pontificatum. Illo verò decedente, cardinales numero quatuordecim in conclaui pro electione summi pontificis congregati, iterum iurauerũt, vt quicunque ex eis eligeretur, propter vnionem ecclesiæ renunciaret, vbi opus videretur, papatui, si & quando æmulus eius similiter renunciaret. Et quòd infra tres menses mitteret ad alterius partis cardinales, vt conuenirent de loco celebrandi concilij. Electus est Dominus Angelus cardinalis S. Marci presbyter, cardinalis, Gregorius XII. appellatus: statimq; misit solennes oratores ad Petrum de Luna in Auinionem, vocatũ in sua obedientia Benedictum XIII. Tractauere crebriùs, sed inuentum est in effectu, esse rem omnem frustratoriam. Vnde factum est, vt de concilio alio, dimisso vtroque pontifice, ordinaretur: idq; factum est Pisis, vbi duobus destitutis, tertius est electus, Alexander quintus. Sed hæc alibi.

CAP. 15. RACEBVRGENSEM autem ecclesiam per eam tempestatem gubernabat insignis vir, dominus Pardamus, ex ministerialibus terrę Luneburgensis, qui Knesebeck cognominantur. Rexit ecclesiam satis laudabiliter, in temporalibus satis ei omnia fuere prospera, spiritualibus quoque pro suo modulo intendebat: sed iam à retrò actis temporibus ita erant impignorata prædia, ita grauata ære alieno, vt non sufficerent prouentus ecclesiæ fratribus sustentandis. Per singulos annos vrgebãtur ad necessariam sustentationem CCCC. marcas in sorte vndecunque accipere, & prædiis imponere, ad redditus annuos inde persoluendos. Quæ res eo respexit, vt sin-

vt singulis annis profundiùs mersa debitis ecclesia, non haberet vnde resipisceret. Hoc cùm cerneret oculatus pontifex, nec videret humano consilio, quomodo rebus occurreret, ad implorandam diuinitatis opem, spem & animum intendit. Tota ergò deuotione ad implorationem diuæ virginis beatissimæ Dei genitricis se contulit: fratribusq; indixit, vt vnanimi voto ac humili prece implorarent auxiliũ ab alto. & statuerunt, vt, dum cantaretur Sequentia, AVE PRÆCLARA, versus illos, AVDI NOS, & SALVA NOS, flexis genibus in honorem & reuerentiã eiusdem sanctissimæ virginis, humilimè corda inclinarent. Quo diligenter impleto, non multo pòst sanctissima virgo, desolatorum consolatrix, supradictæ perturbationis causam & occasionem de medio sustulit, & seruos suos de his tribulationibus misericorditer exemit, immittens (credo) spiritum prouidentiæ prouisoribus, vt omnia cum singulari parsimonia dispensarent: & deinde tempora frugum bona fecit prouenire, vt paulatim ære alieno minuto, ad suæ sustentationis sufficientiam peruenirent. Sed est vna omnibus conuentualibus causa, si desertis spiritualibus, intendant in temporalia, omnia retrolabuntur: ediuersò, si spiritualia in primis curentur, crescunt omnia reliqua.

*Christo negla cto, mater eius invocari iubetur ab egregia scilicet episcopo.*

PADERBVRNENSIS ecclesiæ pontifex Wilhelmus, necdum consecratus, pridem de captiuitate liberatus, satis casuali prælio vicit comites de *Spegelberg*, & oppidanos de Hamelen, die beatæ Cæciliæ, & inito conflictu, sedecim ex hostili agmine ceciderunt: multi capti, plurimi fuga elapsi, intra oppidum se receperunt. Ex victoribus autem nemo cecidit, pleriq; fuere vulnerati. Et quoniã victoria non humanitùs videbatur prouenisse, constituit idem electus cum suo capitulo, vt dies Cæciliæ Dominico æquaretur in ecclesia. Quo tempore nobilis dominus Simon de Lippia, & Bernardus filius eius, cùm homagiũ electo præstare recusarent, armis sunt ab illo impetiti, facta obsidione oppidi Harne. Sed cùm nec sic mollirentur, duravit bellum, prælia leuia multa fuerunt. Ad summum, cùm quingentas lanceas ad oppidum Lemmegow produceret episcopus, cùm illis æquari non possent, descenderant in postulatas conditiones, homagiũ præstantes: & oppidum *Harne* & *Valckenborg*, & reliqua quæ ab ecclesia tenerent in feudum recepere. CAP. 16.

Quo tempore in Italiam peregrinantur, Ladislaus rex Neapolitanus, filius Caroli Duratij, eius qui in Vngaria cæsus occubuit, cùm iamdudum dispensatione Bonifacij noni legitimam vxorem dimitteret, aliamq; superduxisset. Per Italiã potens haberi cœpit, Senatoriam dignitatem Romæ exercuit: & cœpit iussum extendere in multas ciuitates ecclesiæ, & patrimonium diui Petri, præsertim cùm Gregorius Papa, iam suis cardinalibus male concordabat, tergiuersatus de tractatu vnionis. Nam intellexit non esse aliam viam, quàm quòd vterq; cederet: aut, si nollet, destitueretur. Miserunt ergò diuersi literas querimoniales in alterutros: & prouenit, quod dixi, vt Pisano concilio ambobus desistutis, tertius eligeretur. Concordabãt de hoc concilio cardinales vtriusq; partis, inuitis ambobus pontificibus, in Liburno marino oppido, sub ciuitate Pisarũ. Sed ad nostra reuertamur. Dominus Wilhelmus Paderburnensis electus, hoc tempore instituit reformare monasterium in *Budken* suæ diœcesis: erat enim Monialium dominarum, ad ordinem canonicorũ regularium referendo. Sed ibi sensit omnium hominum ordines sibi obsistere, ecclesiasticos, laicos, viros, mulieres. Mira fatuitas, & mortalium perplexitas, cùm rebus vndiq; suis angantur, se alienis immiscere, & pietati obsistere. Vtcunq; fuit fecit quod potuit bonus Wilhelmus. Tractabat resignationem, accepit, locum deputauit iam desertum patribus in Swollis, vt implerent fratribus: & tardè quidem, sed fructuosè tamen prouenit.

*Praeceptum Christi de correctione non aliter propter adulterium dimittenda corrigitur à Papa.*

OPERÆPRECIVM erit intelligere, quid egerit, quid controuersiæ passus sit idem pontifex in reformatione instituta monasterij sanctorum Petri & Pauli, in ea sua vrbe. Orta simultate, abbas Priorem destituit: ille appellauit electum: abbas, appellatione contempta, surrogauit alium: electus, vt debuit, animaduertit, respexitque secularem abbatis & fratrum conuersationem, nullam regularem disciplinam: incidit nobili viro zelus diuinæ religionis, vt visitaret & reformaret. Abbas vbi intellexit, amicos ex vrbe, proconsules, consulares, ciues magno numero, CAP. 17.

compotores & comessatores suos, aduocauit, adhærentiam postulans. Venit electus cum prælatis visitare. Aderant laici disturbantes negocium. Iussit electus exire laicos sub obligatione iuramenti. Non se antè exituros respondebant, quàm ab abbate finerentur: Non hoc præceptum subesse iuramento. Vrgebat electus. Retrahebant fratres cum abbate. Res in turbationem vertitur. Abbas appellationis vocem emittit: capitulum, & clerus, & populus adhærent. Vides diaboli regnum in impediendo Christi honore. Et iam in ecclesia schismate multiplicato, Alexander accessit Gregorio & Benedicto, appellauit Alexandrum. Miratus electus, conuenit capitulum, scisscitatus quam nunc obedientiam sequerentur. Solebant enim in illum diem Gregorio parere. Interrogati respondent, super his rebus consulenda capitula Hildesemensis & Halberstadensis ecclesiarum, sine quibus ob initam fraternitatem nihil solerent in grauioribus constituere. Electus ibi quiescens, rediit in sua. Vixille dorsum auertit, obedientiam Alexandri profitentur, adhærentes interpositæ appellationi. Mira diaboli ars in cordibus vanescentium hominum, vt vitet quisque reformationem sui status. Inde multis interuenientibus, electus spe meliore concepta, mandatum à quo fuit appellatum, cassauit, cœpitque secundò visitare. Non inuento abbate, neque monachis, instituit processum: & per excommunicationem interdictum loci, à speciali ad generale peruenit, quocunque loco essent: à quo quidem pro parte monachorum fuit appellatum, sed nemo adhæsit eorum appellationi, vtpote post censuras interpositæ. Abbas curiam Alexandri petit, multos conciliat sibi muneribus: electum facit euocari, reportat relaxationem interdicti specialis in monasterium, vnde clerus vrbis improuidè resumpsit diuina, non faciens discrimen in generali & speciali. Multa subinde facta sunt, quæ zelum electi & perfidiam monachorum testarentur: sed rebus grauibus intercurrentibus negociũ sanctitatis & religionis, profectus sine optato fine remansit. Intercessit enim bellum archiepiscopo Colonensi, cum ciuitate sua & capitulo, & domino de Lippia, quod semel pacatum recruduit. Interea vacabat ecclesia Colonensis, & ad eam multi prouehere tentauere Paderburnensem Wilhelmum: sed & illa res frustrata est, assumpto domino Theodorico de Morsa.

*Reformationem sui status omnes reformidant.*

*Monachorum Petropaulini monasterij perfidia.*

CAP. 18. EXITVM cauſæ præſtolatur lector, vbi, & quomodo terminata ſit controuerſia de eccleſia Colonenſi, nimirũ propter rei nouitatem relatu digniſſima, quamuis externa nobis. Poſtulatur Wilhelmus ab his, qui Colonię remanſerant, canonicis, eligitur Theodoricus ab his, qui Bonnam cõceſſerant. Omnia clenodia eccleſiæ, & nonnullæ arces, ab auunculo prædeceſſore tradita erãt in manibus Theodorici, ſuperabat ære, ſuperabat gratia apud pontificem Ioannẽ: quãuis non ceſſaret Wilhelmus à diligẽtia, quã pro eo frater dux Montenſis, quamq; alij faciebant. Quid multa? cõfirmatur Theodoricus, Wilhelmus appellat ad indubitatũ futurũ in concilio vnicum pontificem: nihil profecit. Interim æmuli eius in ſua diœceſi conſurgunt, cùm ille implicitus rebus magnis apud Rhenũ eſſet: amicos eius in anguſtũ coarctant. Capitulum declarat, cum decæterò Paderburnenſi eccleſiæ nõ eſſe deuinctũ: eſſe abſolutos iuramento, quicunq; ei obſtricti erant ratione eccleſiæ. Accipiunt in poſſeſſionẽ de eccleſia, quicquid occupare cõceditur. Interim mittunt ad Ioãnem pontificem iam profugũ a concilio, iam depoſitũ, poſtquã etiã hæreticus eſſet declaratus: poſtulant, & impetrant Theodoricũ Colonienſem archiepiſcopũ eis dari adminiſtratorem, literas reportãt, Theodoricũ archiepiſcopum vocant, ci ſe ſubmittunt, iuramẽto præſtant. Videns ſe Wilhelmus, vir optimus, vndique circunuentũ, quia tempus diſpenſationis ſuper annis cõſecrationis accipiendæ, penè expirauit. Et quoniam ſpe Colonenſis eccleſiæ decidit, à Paderburnenſi eſt excluſus, alia via inimicis ſuis occurrit. Conciliare ſibi properat archiepiſcopũ Colonienſem, quem æmuli ſibi obpoſuere. Ponit animũ ad res eccleſiaſticas: nec enim vllis erat ſacris initiatus. Neptem ex ſorore archiepiſcopi, filiam comitis de *Tekeneborg* accipit coniugem. Nuptiæ in arce *Arnsberg*, præſente archiepiſcopo, ſumma celebritate peraguntur. Ita vltus eſt aduerſarios. Eccleſia Paderburnẽſis in adminiſtratione Theodorici ad finem vitæ eius permanſit.

CAP.

LVBECENSIS ecclesia post Ioannem, aliũ assequitur Ioannem pontificem, cognomento Schelen, decanum ecclesiæ Bremensis, & Lubicensis ecclesiæ canonicum, licentiatum in decretis, in Honouer bona editum familia: & per dominũ Martinum est confirmatus, cùm esset canonicè per capitulum electus. Qui pro sua confirmatione ingressus est Iter Romam versus, cum tribus canonicis de capitulo Lubicensi, quo inter eundum in itinere & in ipsa vrbe ad M. aureos impendit. Descendens, cum attigisset Bononiam, doctoratus insignia noluit omittere. Post suam consecrationem, obtento iudice domino Balduino, Abbate sancti Michaelis in Luneburg, traxit in causam executores testamenti, proximi sui prædecessoris, quòd negligentia & dissimulatione sua episcopalis mensa & ecclesia in ter mille & quadringenta aureorum esset damnificata: obtinuitque sibi adiudicari omnia ab illo relicta à testamentariis. Illi ecclesiæ nomine consignata, statim in Vthin domum erexit necessariam ad cocturam potus & panum, & stabulis pro iumentis duodecim. Inde pro sua mensa incorporari fecit certa beneficia, præsertim salinaria in Luneburg, qualicunque conscientia imminuens cultum diuinæ maiestatis. Hic quoniam exercitatus, ac diu in maioribus erat causis principum versatus, assumitur in secretarium ab Imperatore: & imperij nomine perstabat in concilio Basileensi per annos sex continuos. Ibi ecclesiam suam, variis tribulationibus & horrendis casibus de morte præpositi laborantem, defendit: improbos adegit ad satisfactionẽm, vt vltra damna ecclesiæ illata, cogerentur hostes Magnopolenses duo marcarum millia expendere in satisfactionem. Vnde mille marcæ, ac duo beneficia pro memoria præpositi antè dicti, ad perpetuam sceleris ac innocentissimi viri memoriam, in arce Swan in carcere morientis, imponebantur. Comparauit in commodum ecclesiæ, intercedente Lubecensi senatu, loca congrua nutriendis equis: vbi speciem præbebat episcopus: senatus, qui fateri suum nolle interesse, pecuniam impendit: successor tamen eius ære suæ partis exoluto, satisfecit institeruntque iumenta in eam rem cõparare: sed euanuit res, nescio quomodo, vt sit hodie nullum vestigium, cùm per mortem Sigismundi ad Albertum generũ & successorem, in causa totius nationis mitteretur in extremos Vngariæ fines, vbi castra aduersus Turcas pugnans fixit Albertus, ex itinere fatigatus, febrem incurrit, mortemq; obiit idem pontifex in regno Vngariæ, sepultus Viennæ, anno sui pontificatus XIX. CAP. 19.

*Pontifex ad se transferens beneficia, cultus Dei minuere putatur.*

VERDENSI ecclesiæ præficitur post Conradum Henricus, natus comitibus de Hoia. Sustinuit aduersarium initiò, & in iure æmulum, dominum Vlricũ Albach, decretorum doctorem, cui per Papam fuit de episcopatu prouisum: sed idem dominus Henricus cùm causa in iure ageretur, superauit, & episcopatum est assecutus. Mallet ecclesia, si optio daretur, succubuisse: ita enim præfuit, vt non lætetur illum se habuisse pontificem. Nam arcem *Rodenborg* ita facili & vili casu è manibus amisit, vt nõ sit similis vnquam in re tali audita simplicitas: vnde ecclesia ad vicies mille aureorum, priusquam recuparet, impendit. Renunciauit ergò ante mortem suam episcopatum, cùm se prorsus inutilem ad recuperandum, aut aliis modis ecclesiæ iacturam compensandam, intelligeret. Quam dissimilis patruelibus suis, qui ecclesias vicinas, Hildesemensem Ioannes, & Monasterien sem Otto, magnis incrementis circa eadem tempora prouexerunt: vt quantum ista lamentetur de sui pontificis socordia, tantum glorientur aliæ de illorum pontificum insigni & semper memorabili vigilantia. Sed quid faciemus genio? videmus idem in fratribus. & ne longè vagemur, docuere Wenceslaus & Sigismundus Romanorum reges, quorum alter de infinita accusatur socordia, alter verò cum summa laude ecclesiæ vnitatem, & bonarum rerum incrementa laudatur excitasse. Idem tamen hic pontifex, etsi ecclesiam viuus reliquisset, apud eam tamen moriens, voluit requiescere, vt ei non alienus haberetur. CAP. 20.

ANNVS erat post MCCCCX. cum ex leuissimis causis bellum oritur inter Brunswicenses duces Bernardum & Wilhelmum (nam pater eius Henricus fatis concesserat) & archiepiscopum cum suis ex altera parte, quòd habitatores arcis *Tedinghusen & Languedel*, nonnunquam prædatum exibant in ducatus memoratos: CAP. 21. 1420.

sed aliquando retrò pulsi sunt à ministerialibus earum regionum, sequentibus, vt recentem prædam reciperent: cùm non possent, vicem reddidere in terram ecclesiæ. Domicellus de *Secke*, cum armigeris de *Tedinghusen*, inuectus in sequentes, ex ducalibus nonnullos prostrauerunt, & reliquos eeperunt. Quæ res inter priuatos aliquandiu tractata, peruenit ad principes, qui hostilia nunciantes ecclesiæ Bremensi, quingentis lanceis processerunt in comitatum de Hoia. Nam is archiepiscopo & Bremensibus tum belli societatem iungebat. Cùm etiam comites de *Oldenborg* & *Delmenhorst* in parte starent, magnam egerunt duces prædam, sed tamen in conflictu & arma & equos amisere. Verdenses, nuper iumentis per comitem de *Delmenhorst* abactis, infensi erant causæ: permiseruntque ducibus, inde 10
mouerent, cùm priùs impunè idem permisissent. Misere iidem duces clam spectatum in *Languedel*, si fortè illic gregata manus militum præstolaretur motum & incursionem, cumq; omnia quieta conspicerent, gauisi sunt, nescientes iam eorum comperta consilia: nam archiepiscopus omnia prouiderat. Iam duces nihil metuentes, reliqua pecora in pastum permiserunt. Egressi armigeri de *Tedinghusen*, inuenta abegere. Indignati duces speculatoribus, quòd falsum renunciassent, primo mane in *Languedel* mouerunt, sed præfectus arcis iam sagittarios ex vrbe Brema acceperat præsidio tuendo. Multa vtrinque illata damna. Supra triginta tum ex sagittariis Bremensium capti, sed totidem ex suis duces amisere. Itaque 20
interuentu consilij ac Senatus Luneburgensis, res tractari cœperunt: sed tamen egressi antè armigeri de Horneborg cum ministerialibus ecclesiæ in terram Luneburgensium, incendiis & prædiis omnia vastarunt. Cumque hoc bellum interuentu communium amicorum tractatibus pacis ac legibus patriæ finiretur, Ioannes archiepiscopus iam annum agens pontificatus sui decimumquartum, anno
1420. post natum Christum MCCCCXX. concessit in fata.

CAP. 22. SVERINENSI verò ecclesiæ præfuit tum præstans vir Henricus, cognomine Wangelyn: præfederat autem annis decem. Huius autem hoc est memorabile tem-

*Quando & per quem Rostochienses Vniuersitatem instituta fit.*

poribus, quòd principes Magnopolenses, missa ob eam rem bona legatione in vrbem, impetrarunt priuilegium studij generalis in vrbe *Rostoch*, loco in eam rem nõ incongruo, quòd aëris salubritas, & victualium omnis generis leui precio magna 30
est copia. Introducuntur magistri & doctores, potissimùm ex Erfurdia, quæ & ipsa recens schola fuit, necdum habens annos triginta ab institutione sua. Satis erat ab initio bona prouisio pro regentibus, cùm fiscus ciuitatis stipendia largiretur: nimirum principum largitione, & prælatorum cõtributione secuta. Sed proximo eius vrbis malo tumultu, cùm proconsules pellerentur cum publico consilio, & intus noui magistratus crearentur, coacti sunt censuris cedere, qui in eodem Palladio præsidebant, exulibus ad concilium Basileense profugientibus: sese tamen in Gripeswaldum contulerunt, & nimium ægrè redire anhelabant festinantes. Quòd si diem suæ vocationis expectassent, magnis vtiq; conditionibus inuitati redissent. 40
Nunc autem inuitante nemine, ipsi miserè pulsabant ad redituni, qua de re cogebantur ab aliis accipere conditiones, qui poterant ipsi aliis præ finiuisse. Pacti sunt igitur Rostochienses, ærario exhausto, salariis promissis vacare ad annos, vt fertur cc. Tum obligationem reuiuiscere: sed quid erit illi seculo? Illi verò, qui miserè festinabant redire, accipiebant conditionem, maiora promissuri, vt reditum mererentur. Quid facies hominibus ociosis, hoc solùm negocio occupatis, vt literis inuigilent? Habent mores suos, habent consuetudines: quibus contenti, leuipendũt cætera. Itaq; pacto, de nõ petendo, interueniente, reuertuntur. Ex illo die satis te-

*Obliptendij tenuitatem, Rostochienses viri docti discedunt.*

nuiter viros præstantes apud se habent: qui meliores cernit rerum conditiones, abiens amplectitur. Inde iurisconsultos apud se diu retinere, viros præsertim graues & memorabiles, non possunt. De reliquo satis bene institutiad omnia, præser 50
tim quæ philosophiæ sunt, & naturali, & diuinæ pertinentia.

CAP. 23. RACEBVRGENSI autem per idem tempus præfuit memorabilis dominus Ioannes: cuius quia non memoratur genus, plebeium accipimus, ex fratribus tamen assumptum: nam ministeriales solent ex familiis suis perconsere. Erat vir iste satis libero animo, dignitatem ordinis & episcopatus sui ad omnes splendidè conseruabat.

seruabat. Vnde factum est, vt à nonnullis in eam rem profusior videretur, & qui maiori potuisset parsimonia, rebus ecclesiæ attentatis consulere. Hoc tamen prospexit atque diligenter prouidit, ne ecclesiam alieno ære grauaret quouis pacto: amicis quidem notis & extraneis fauis erat munificentus. Per incendia tamen maiora quam per suos sumptus damna incurrit. Curiam suam *Clockstorff* arci contiguã, tum incinerata aduersa casu, in eum quo nunc sita est, locum transtulit, & a fundamento nouauit. Capellam in arce *Schoenenberg* etiam incendio consumptam, reformauit, satisque pro sua dignitate viri ac pontificis boni munera impleuit. Eius temporibus, Magnus dux Saxoniæ, episcopus Camincnsis, cum duce Pomeraniæ Casimiro contendit ad receptionem oppidi cum arce Tangermundæ, quod Fridericus iam marchio Brandenburgensis, ante Burgrauius Norenbergensis, manu cepit, iam deflexum a Marchia, cui ab antiquo pertinebat. Cumque Marchio ab vna parte ingressus, oppidum occupasset, illi ad portam arluersani a ciuibus admilli, media vrbe conligunt. Cessere tum Pomerani, & aliquot amissis per capuitatem, nonnullis vero cæsis, abierunt, quá venerant, ducenta ex hostibus stellata tumenta ceperat, cum aliquanti s militaribus.

CAP. 24.

CVM Mindensis episcopus ad Constantiensem ecclesiam esset translatus, arbitrati canonici, hi esse iuris ecclesiæ suæ consulere de nouo pontifice, vsi veteri libertate electionem ineunt, præpositum suæ ecclesiæ præficiunt, vt esset in ordine & numero pontificum quadragesimus septimus. Wilhelmo de Busch nomen erat: hoc enim militari familia traxit, sed ea tum non erat facultas ecclesiæ libera. Nam apud sedem Apostolicam, vnde est impetrata translatio, etiam obtenta fuit ecclesiæ relictæ prouisio. Sic enim statuerunt pontifices, vt quotquot ecclesiæ maiores vel minores apud sedem eandem vacuentur, prouisio spectare debeat ad summum pontificem. Bene Petrus laxauit retia, bene duxit in altum, & traxit rete plenum magnis piscibus: vnde merito audiuit etiam in hoc casu à communi Domino: Modicæ fidei, quare dubitasti: num potens sum tibi dare prouincias & regna? tu dubitasti. num potui orbem sedibus tuis subiicere? quare dubitasti? nónne Domini est terra, & plenitudo eius? Ecce magna pars fraheribi tributaria est: per vniuersam Germaniam & Hispanias de ecclesiis & maioribus beneficiis disponis: in Francia idem facturus, nisi noua adinuentio pragmaticæ sanctionis obsisteret. Ex Anglia & Polonia vber tibi prouentus est, quia omnia inde capita tibi sunt censualia. Vngaria mittit aurum, nec detrectat Illyricum, ergo laxa Petre retia: angusta interim sunt: laxa, vt fiant capaciora. Duc in altum, quia ad littora nulli sunt pisces: in altitudine maris, in profundo nationũ, ibi sunt pisces quos capies. Duc in altum: nam in ludæa angustiis non est quod implear sagenam. In omnem terram cum sono exiit imperium tuum, vt non sit vnde meritò possis dubitare. Amplificarunt per tempora summi pontifices magnifice ditionem ecclesiæ, non per eminentiam Constantini donationem, quæ nunquam facta est, sed per munificentiam aliorum principum, siue de Gottis, siue de Longobardis, siue per Magnum Carolum: quod latius alibi ostendimus. Amplificarũt in ecclesiasticis rebus per reseruationes, confirmationes & prouisiones, fimbrias suas. Laxarunt retia, & omnia in suam traxere potestatem. Mirabitur, quisquis annales antiquorum temporum legerit, temporum mutationes, tum in cæteris, tum maxime in ecclesiastica potestate. Sed nemo diffidat aliter ista, quam dante fieri spiritu sancto, cuius nutu iusta potentes decernuat, cuius est regnum & imperiũ: nec frustrà colluctati sunt Romanis Imperatoribus.

Constantiensis episcopus.

Cardinalis de Pisis.

Imperatores Romani.

Ecclesiarum patroni.

Imperatores ecclesiam adiuuantes.

CIRCA hæc tempora cum vigeret in Germania neutralitas, & staret contentio super summo pontificatu inter eũ qui Romæ, & qui Auinione pontificatũ administrabat, apud ecclesiam Osnaburgensem tum vacantem electus est nobilis vir, Henricus, natus in Holsatia, fratre Gerardo, primo ex eo genere duce Slesuicensi. Et cùm apud ecclesiam deliberaretur, vnde esset petenda confirmatio, venit fama de Gerardo duce Slesuicensi cæso in Thiethmarsia. Henricus electus festinabat redire in Holsatiã, propter impuberes ex eodem fratre nepotes: quos ille tres reliquit, Henricum, Adolphum, Erhardum. Venit ille, & administrauit, aduersan-

CAP. 25.

suntibus illi quatuor ex Hollatia militibus, qui simulabant defensionem pro paruulis. Sed Henricus noluit posthabere inuitis Hollatis, omnia curauit. Ciuitates ornauit pro dominis suis, auxilia properauit, & bellū a rege Danorū pro Slesuicensi ducatu curauit: vsque adeò se immiscens rebus Holsatiæ & cautis nepotū, vt ad ecclesiam Osnaburgensem seruus rediret. Inuento in literis missiuis, quòd se recipisset principem Stormariæ: quod nusquā alibi legi, si fortè ius electionis in episcopū ibi significauerit: cum tamen non electio, sed confirmatio, tribuat dignitatem.

Henricus Slesuicensis pacauit, & Stormariæ principem se fecit.

*Quærite, quos agitat mundi labor.*

CAP. 26. BREMENSI autem ecclesię tum vacanti, præficitur nobilis vir, Nicolaus de *Delmenhorst* comes, Ogonis filius, iam patre eius polliciente, quòd præter illum quod habueret filium alterum, comitatum illum Apostolorum principi procuraturus in. Quæ spes plurimum conciliauit fauorem electo, qui etsi alias dignus pontificio haberetur, optatior tamen cœpit esse, postquam per eum tam lata spes ecclesiæ proueniret. Accepit autem diœcesim cum omnibus pertinentiis & prædiis liberam, & nullo ære alieno obligatam. Ita dominus Ioannes vniuersa redemit, quæ alienis pridem manibus tenerentur. Initia pontificatus satis illi fuere prospera, nisi quod tertio eius anno incidit vniuersalis calamitas. Nam æstas tota pluuia fuit, vt nihil fœni, parū frugis colligeretur. Excrescens Wesera fluuius, omnia inundauit, corrupitq; collecta per agros, si qua viderentur asseruata. Sed tamen ciuitati a Frisiorum bus pax nulla fuit. Nam Occo atq; Focco obliti fœderū, cùm capitanei essent terræ, quæ Bremensibus iureiurando firmassent, indixere ciuitati bellū, quod conterraneos suos, Frisios homines gladio & notis puniuissent: expediti isq; milites bus opportuna loca clam impleuerunt, quæ prima Bremenses videbātur aggressi. Sed tum circunspicientes vrbici, auxilia nulla militarium elicere potuerunt. Nam archiepiscopus ipse propriis rebus implicitus, aliena curare nō potuit. Friſij, cum nemo incurreret, quiescere nō poterāt. Ipſi progressi fortalicium Goltzferden, solus minis deditū, acceperant: inde in Fredenburg, nouam Bremensium arcem, ducentes, simili terrore deditam acceperunt: sed cum a mari quoq; oppugnarentur memorati capitanei, pacem quærebant: nec tamen Bremenses vllam partis mentionem audire sunt passi, nisi demolitio promitteretur duorū, quæ Friſij proxime ceperāt, fortaliciorū. Submittitur ex Frisiis homo, qui videbatur ciuitati gratus, qui magnis promissis non potuit impetrare, vt finerent arces in manibus eorum. Itaq; effracta sunt valida duo præsidia, quæ pridem Bremenses in terra Stadij exerexerunt.

Archiepiscopo autem bellum per duces Brunſwicenses & Luneburgenses eis illatum, quòd Hornerburgenses prædæ assueti dulcedini per bella non se pacis tempore continerent. Ex tam leui scintilla grandis ignis exarsit. Duces in oppido Verden castra habuerunt. Archiepiscopus multis vndiq; contractis auxiliis, oppidum cinxit, oppugnauitq;: sed per riuum Alre ascendentes Bremensium drumones, in mora fuere, quòd aduerso flumine transirent: alioqui si rupissent moram, captum & expugnatum fuisset oppidum. Bis magno agmine archiepiscopus vastabundus terram ducum percurrit, super nullius prospicions, ne qua sacris locis ignominia irrogaretur: sed ea a ducibus sunt minimè curata. Nam Hertzfelde monasterium est vastatum, & direptum: ecclesia incensa: oppugnatur ab his oppidum Buxtehude: sed non cōsequente ventis, cantharata. Magno deinde exercitu Hornerburg cœperunt obsidere: sed ea est itinere ibi conditio, vt inuitis obsidentibus irent & redirent impune obsidi, quibus voluere: tantum inde obsidentibus incussere metum, vt plane dimissis impedimentis, fuga abirent. Ea tum belli flagrantia, per amicos in treugas redacta, conquieuit.

I in minimis verbis interdum inclusa sensa latent.

CAP. 27. HALBERSTADENSI ecclesiæ nouus per hæc tempora pontifex accessit, dominus Ioannes cognominatus de Hoym, ex ministerialibus ecclesię, præfuitq; ecclesiæ in annum XVII. Eius temporibus tumultuati ciues in ea vrbe, publicū consilium aggressi, disturbauere: captosq; viros primarios, in foro sub forma iudicij gladio occidere. Miserū est & pontifici & victimis vrbibus, quòd homines nequā inflammantes cōmunitatem, ea molirentur in vtros iniuriosissimè arma concutere episcopus & Brunſwicenses ciues, & de Gollaria, premebantque obsidione vrbem, machinis,

Ita minimis verbis interdum inclusa sensa latent.

machinis, bombardis, & omni genere tormentorum in ædificiorum infestantes, nihil aliud a ciuibus pupillere, quam vt conjurationis principes nominib. designatos, permitterent episcopo. Diu restitere: sed vbi malorum nullus est finis, crepere boni viri inter se conferre, cui ob paucorum impunitam nequitiam, tanta fuit mercē esse reipublicæ vtile, vt crimina puniretur. Tum vbi populi conuersionem senserunt, malorum capita clam vrbe egrediuntur, scientē nemine quo abiissent. Episcopus, vbi innotuit, tecit edictum per vicina loca, quicunq; ex cōiuratis nomine desi gnatis adduceret, mercedem constitutam acciperet. Itaq; per agros & villas quæsiti, reperiuntur, adducuntur, gladio cæduntur. Vrbium vicinarum oratores de ve nia pontificis vrbem ingressi, rem turbatam componunt, formam reipub. restituunt: & bene pacatis omnibus, reuertuntur in sua quisque. Eo quoque tempore Hildesemenses ministeriales prælio decertantes ad Grunden, aduersus Wilhelmum ducem, superantur, capiuntur, & magno ære mulctantur, cum antē duobus etiam præliis essent victi. Sic sunt rerum vicissitudines, nunc victi, nunc victores. Sed tamen in hoc nouissimo ad Grunden conflictu, cecidit Albertus dux Saxoniæ, & comes de Spegelberge: supra centum capti ministeriales. Wilhelmo tulit suppetias Otto patruelis eius.

Cap. 8.

HILDESEMENSI ecclesiæ tum ad annum vigesimum quintum, proyenit episcopus insignis & nobilis vir, D. Magnus, dux Saxoniæ inferioris, pridem episcopus Caminensis: de qua postulatus per capitulum Hildesemense, translatus est ad eam ecclesiam, magno multorum plausu, qui de illo ipsem conceperant optimi pontificis, quam apud eam ecclesiam impleuit, præsidens illi xxv. annis. Multa circumspiciens, ecclesiam suam semper defendit, vicinos vt ciuibus attulit. Wilhelmo duci insigniter decepto per ablegatum, adest ad vindicandam iniuriam, quam irrogauere Brunswicenses, cum illo exclusi, fratrem eius Henricum deduceret in possessionem. Statim iunxit ecclesiæ ditioni dominatum Hamburg, & oppidum Hamelen, vt ferūt, pro dimidia. Vrgebat tum Bohemorum multos, quia vicinis regionibus nimium graues incubuerant: quocunq; verterentur tegna, victores redibant. Non potuit resistere Sigismundus rex Romanorum & Vngariæ, non potuere totius Germaniæ principes, sæpe annisi. Exibāt in Bauariam & Austriam, & redibant victores, minati etiam peruagari Saxoniam. Ea res firmauit multas vrbes & arces: audierant quam crudeliter victis insultarent. Tum strunisecum, Luneburgum, Magdeburgum nouis muris, & fossatis, turribus ac mœnibus fulciebantur. Vicina Slesia, Marchia, Misna, grauissimē sub his hostibus laborabant. Infinita crudelitas in hoc hominum genere, sine miserationis respectu: omni ordini, vtriq; sexui, omni ætati infesti, religiosis autem infestissimi, quòd non bene sentirent de vlla religione repertitia: satis esse arbitrati, si quis Christi summam religionem impleuerit.

VERDENSI quoq; ecclesiæ per eadem tempora nouus pontifex præuenit, dominus Ioannes de *Asel* cognomento, natione Hildesemēsis, de cretorum doctor, & vir magnæ scientiæ pariter & prouidētiæ, diu Italiam incoluerat, diu Romanam secutus curiam, vsqueadeò, vt inter Italos Italus haberetur: ita imbiberat mores, ita calluit gentis linguam. Arcem *Rodenborg* per prædecessorem de manibus elapsam, & iam iure pignoris retentam, vndecim millibus aureorum impensis redemit, eandemq; roborauit, exornauit, & ad propugnandam bene instruxit. Multa illi aduersa fuere. Vicini per socordiam prædecessorum, iam assueti inde rapinis, locupletati etiam, tum venerant, cum ageret in diœcesi. Ille processum iustitiæ & iuris contra eos putauit instituendum, vt euocarentur ad iudicium. Tum quidam satis militariter: Nihil (inquit) opus est euocare, sua sponte veniunt, priusquam euocentur. Quid igitur faciemus? ait episcopus. Hoc, ille inquit, domine, quod nos solemus, vt induti lorica, lanceam brachio subiectam in eos dirigatis. Tentauit ille militare opus, post longas literarum operas: non alienum viribus eius robustis opus erat. Potuit, vbi tentauit. Exiere cum illo ex suis ministerialibus, qui iter præoccupantes, delituerant in sylua, qua erat transitus episcopus, volebant præludi quodam experiri animum, tentare vires domini sui. Vbi propinquauit, meurrunt

Cap. 9.

hostiliter. Ille impiger hastam quoq; suam vibrat. Vix illi præteribant, & ecce cuneus alius eiusdem militiæ procurrit in eundem. Ille, quod necesse videbatur, venientibus aciem hastæ prætendit, statimq; aperiunt qui sint. Sic (inquiente) necesse est fieri. Tum ille, Non putabam (inquit) ex angulo bis armatos prodire. Illi subsequuntur. In ludo, inquiunt, militari omnia necesse est prouideri. Non habere res certas obeuuntias. Ecclesiam laudabiliter vir fortis & magnanimus multis annis gubernauit, donec senecta defectus, & fractus viribus, etiam ingenio deficere, 1470. ecclesiam ipsam anno Domini MCCCCLXX. ne ex impotentia eius dispendia pateretur, libere dimisit. Scdit ante renunciationem annis XLV. erat vir doctissimus, expertus, magnanimus, bellicosus, & supra multos suos prædecessores sumptuosus: & vt erat rerum scrutator acutissimus, alchimiæ quoq; operam & sumptus impendit: variisq; artibus singularibus tentamenta per ingenium impendit. Infestationes, controuersias & prælia multa sustinuit. Lunæburgensium, Burgensium caussa dum consulit, ipse censuras incidit & toleruit. Finem viuendi fecit, postquam per nouissimos aliquot annos ad pueritiam relapsus, parum, quid egerit, intellexit. In arce *Rodenburg* concluſit moriens, anno Christi LXXII. posteaquam ante biennium ecclesiæ renunciauit, & sepultus est in atrio maioris ecclesiæ, in sepulchro quod pro se & suis successoribus ante fieri curauit.

*Episcopus Alberto studiosus.*

CAP. 30. MONASTERIENSI ecclesiæ post Ottonem, optimum & victoriosum pontificem, quærebatur tanto decessore dignus successor: & inuentus est Henricus, natus comitibus de Morse, germanus Theodorici archiepiscopi Colonienſis: vir illo, & maiori loco dignus: qui ecclesiam per sua tempora gubernauit in omni tranquillitate, quippe cui prædecessor vias strauerit. Pertinaces humiliauit, inquietos elecit. Cui etiam frater, archiepiscopus Colonienſis, auxerat dignitatẽ, formidandus, si quis se aduersus Henricum commouisset. Pontifex, & maiori ecclesia, & longiori vita dignus: sed nõ est in homine via eius. Stabat iam pro vnione ecclesiæ plenaria concilium Constantiense, in quo Romanorum rex Sigismundus aderat, fulciens seculari potẽtia patrum authoritatem: ni faceret, vt erat multorum tergiuersatio, res in diuturna perplexitate permaneret. Tergiuersatur Ioannes XXIII. præsens in concilio, sperans quòd propter præsentiam corporalem (quia inter tres solus in concilio comparerer) authoritate concilii confirmaretur. A qua spe dum excidisset, cernens rerum inclinationem, mutato habitu, fugit: sed medio in itinere tentus, aufugere non potuit. Interim vocatus ad respondendum articulis terribilibus, non venit. Admittitur probatio, deponitur papatu. Gregorius duodecimus, misso nuncio solenni, de Malatesta comite, renunciat, & decernitur à concilio primus esse Cardinalium, perpetuus per Marchiam legatus. Petrus de Luna, vocatus in sua obedientia Benedictus XIII. aditur per solennes à concilio oratores, ab ipso rege Sigismundo missos, nihil proficiunt. Redeuntibus illis accussatur pertinaciæ, deponitur. Tum animaduersum in Pragenses Ioannem & Hieronymum. Cita ti veniunt. Horribiles articuli noui erroris leguntur, non diffitentur. Primus Ioannes crematur. Hieronymus dein de renunciauit, abiurans articulos: pòst ad vomitum reuersus, quosdam pertinaciter defendit, & eundem, quem magister superiori anno, habuit exitum. Eius constantiam & animi fortitudinem scribit in epistola Florentinus Pogius, vt agnoscamus diabolum quoq; habere martyres suos. Pragæ vbi renunciatum est, fremuerunt, freduerunq; blasphemantes, sæuientes, immo furentes.

*Non Pragenses tantum errarunt ipsi Pontifices.*

CAP. 31. BREMENSIS archiepiscopus per idem tempus D. Nicolaus, cùm in Frisios, & suæ ditionis, & vicinos, iustæ indignationis causa in animum induxisset, collectis armis vicinorum nobilium de *Aldenburg*, de *Dydeneburg*, de *Hoia*, & de *Retberge* ac *Dephole* comitum, ipse cum ministerialibus in persona & memoratis comitibus, armato quanto poterant exercitu, Frisiam petunt, die Michaelis: & obuios facilè fugauerunt, prædam colligentes. Si ille feruor ac diligentia permansisset, magna inde lucra, multam prædam locupletati retulissent. Nunc verò per contemptum hostium victoriam, vt arbitrabantur, & qui se vltrà obiicere non auderent, fixerunt se ad obsidionem cuiusdam loci, malo consilio, pessimo exitu. In quo loco



mati,

firmati, spatium dederunt hostibus indigenis se colligẽdi. Vbi pauci Frisiorum ad arma concurrerunt: exiit fama, innumera venire Frisiorum millia. Nemo expectandum putauit: ita immisit illis nescio quæ res formidinem, vt qui pridem omnibus victores futuri sperabantur, tum solo rumore, & illo vano, currente, turpem fugam inierint. Igitur fugæ præsidium in suam perniciem quærunt, nihil periculi experturi, si ad pugnam viri fortes permansissent. Superuenere pauci, & qui numero illis æquales non essent, iam in fugam pendentes abegerunt: facilè enim qui fugit, fugatur. Cæsus comes de *Depholt*, captus archiepiscopus & comes de *Hoia*: cæteri fuga abierunt. Ibi prouenit insperata Frisiis victoria. Ea tum fuerunt æstimatione capitanei Frisiorum, vt Occo teneret cõiugem Mauricii comitis de *Oldenburg* filiam, matre de *Brunswici* ducibus exorta. Quæ res cum in diebus nostris ciusdem domus puellis contigisset, visum est monstri simile, cum Gerhardi comitis filię, Heroni atque Edoni Frisiis nupsissent: sed auxit rei nouitatem, quod recenti memoria rex ex ea domo sit egressus, regum pater, Christianus, quem Dani dixere Christiernum: cuius nunc Ioannes filius regnat, filium habens Daniæ regem Christiernum. Senatus autem Bremensis, eum consiliis publicis vicinarum terrarũ, se interposuit: persuasit populo Frisiorum, coegitq; capitaneos subire concordiam, & pacis reformationem qualicunque conditione. Liberati captiui sine vllo redemptionis impendio, præsertim archiepiscopus & comes, quos alias pro multis millibus non emisissent. Interfari libet hoc loco: legenti & repetẽti in memoria, quæ de palustribus & limosis ad flumina & maria locis tradita sunt literis. Vna semper occurrit facies, eadem fortuna principum, ad ea loca & id genus hostium, infortunatos plerunque semper habuere successus, & exitus formidabiles, quotquot aciem verterunt in aquaticas limosasque terras. Cuius rei vna mihi vel maxima causa visa est, præsumptio militarium, cui socius est contemptus inermis populi: sed nõ prospicit tumor animi, quòd difficilem præbeant militiam disiuncti per fossata agri, plurima quæ terras ambit & munit aqua, quę inuiam facit exteris, præsertim equestribus, regionem. Sed hæc interim.

MINDENSIS ecclesia, quem non expectabat, pontificem accepit, ordine & numero XLVIII. si proximum Wilkinum, qui vltra electionem non est prouectꝰ, numeraueris, nobilem virum, dominum Ottonem natum comitibus de *Retberg*, maiori etiam pontificatu dignum. Nec erat in vniuersis, quod illi opponeretur, nisi quòd non per ostium legitimæ electionis, sed ascenderit aliunde. Ille autem verũ se petisse ostium affirmabat, dum per Christi Domini vicarium, qui verum est ostium, introisset. Vtcunq; fuerit receptus in ecclesiam, bene præfuit. Annales tamen sine incuria, siue certa scientia, nihil omnino ex rebus per eum gestis annotarunt: nec quantum præfuerit temporis, nec quando defecerit, quod in hunc vsq; pontificem diligenter annotarunt. Neq; nobis impositum est diuinare, neq; quod nõ reperimus, asscribere. Igitur ea nuditate contenti, cogimur abire. Tempora tamen schismatis durasse crediderim, quando sub IX. Bonifacio creatus est, cui in eodem schismate successit XII. Gregorius: in cuius persona est terminatum, cùm redierit sub Martino ad cardinalatum. CAP. 32.

*Otto comes Retbergię ad Mindensem pontificatum non recte peruenisse arguitur.*

SVERINENSI per idem tempus ecclesiæ præfuit vir insignis, D. Hermãnus Cappe, optimus in ea ecclesia pontifex, qui cùm bona illi plurima prouidendo, acetuando, constituendo faciisset, multa ecclesię prædia dudum alienata reuocauit, pignorata luit, & ad quietum vsum ecclesiæ sua prouidentia reduxit. Quo tempore grande & diuturnum bellum erat inter Danorum regem Ericum, & duces Slesuicenses, Holsatiæ comites: permolestumq; fuit maritimis ciuitatibus, quod dux Brunswicensis & Luneburgensis Wilhelmus, interim conflageret, dissidens cũ archiepiscopo Bremensi: nam ab vtrisq; sperabantur auxilia ventura Holsatis. Qua de re mota dictarum vrbium consilia, rem interceperunt inter ducem & archiepiscopum, quibus poterant modis ad concordiam reducturi dissidentes. Indictus erat conuentus in ciuitatem Verdensem. Ibi cum vtrinsq; partis instructis oratoribus aderãt maritimarũ vrbiũ Lubecæ, Hamburgi, Luneburgi, deputati causæ tractatores: & pacis authore donãte, inter archiepiscopũ & duces rem omnẽ cõplana CAP. 33.

uerunt, vt auxilia inde prouenirent Holsatiæ, sub graui regis Daniæ manu laboranti. Fouebant enim, quod in Dania & Saxonia monstrauimus, & plenius in Wandalia, dictæ ciuitates, tum iustis de causis partem ducum Sleswicensium. Sed dum illa tempestas in diœcesi Bremensi cõquieuit, intestino bello cœpit ardere ciuitas Bremensis. Seditiosus enim populus surrexit aduersus publicum ciuitatis consilium: & electis ex senatu prudentioribus, nec vrbe sunt passi concludi. Exulabant igitur aliquot proconsules vrbe, id quod multis vrbibus per proximam ætatem contigerat: & iniuriam irrogatam variis locis ostenderunt amicis. Is enim tum erat status vrbium maritimarum, vt ipsi consilio indigerent. Principes autem in tales causas trahere, est aureo reti piscari, & nihil prendere: cùm etiam rete permaneat in profundo. Ibant ergo boni viri quò poterant. Seditiosi intra vrbem nouum creauere consilium in sui perniciem, quod exitus ipse rerum comprobauit. Dum ita tumultuarentur, vnum ex proconsulibus pulsis, non longè ab vrbe, secretò, vt ille putabat, diuersantem, innocētiæ suæ fidentem, cùm sibi iustæ in reipublica administrationis conscius esset, appræhenderũt, & latronis in morem vinctum in vrbem pertraxerunt: iudicio qualicunq; condemnatum publico, cecidere gladio, sepultum in ecclesia sancti Pauli. Hæc sunt præmia, quæ sui laboris referunt boni viri, in congregatione tumultuantis vulgi. Durauit hæc tumultuosa vertigo per aliquot annos, cùm nouum reipublicæ præsideret consilium. Veteres autem consulares, qui non tanto in odio erant, domi sedebant ociosi, maiorib. exulantib. Graues erant illi oculis præsidentium, & efficta qualicunque causa, appræhensos sedecim ex illis viros, in carcerem misere. Sedebant diu in tenebris boni viri, vt iam feruescentib. annis laxior custodia cum obliuione vinctorum haberetur. Illi noctes atque dies, vt necesse est vinctis, de liberatione cogitabant. Inuenere viam, qua vnus consensis aliorum scapulis, reptans manibus pedibusq; testudinem, sub qua clausi manebant, comprehendit: ibi manibus vt potuit (nam ferrum deerat) fodit: vt vnum, deinde alium laterem, inde plures effringeret: capax hominis foramen aperuit. Conseruere ex tegumentis & stramentis funem, quo alter post alterum extraherentur. Remansit vnus: quoniam moles corporis & defectio virium educi non sinebant. Qui verò testudinem appræhenderunt, amicorum præsidio nauim in Visurgo habuerunt, in quam se de excelsa turri per memoratum funem demisere: prono flumine læti, non tamen securi, deferuntur in confinia *Aldenburg* oppidi & arcis. Ibi à Theodorico comite patre regis Christiani Daniæ, Mauricii & Gerhardi fratrũ, perbenignè excipiuntur, fouentur, recreantur. Sed hæc interim.

*Ciuitas Bremensis ardet intestino bello.*

*Captiui Bremenses mirabiliter è custodia liberãtur.*

CAP. 34. RACEBVRGENSI autem ecclesiæ per eadem tempora præsidebat alius Ioannes de genere ministerialium, ex terra Magnopolensi *Preen*: gnarus ille fuit ac diligens in administratione temporalium: vnde mensam suam episcopalem, onere debitorum grauatam, plurimùm releuauit: & inter cætera curiam & curtem *Roggelin*, cum stagnis & pertinentiis suis, iure pleni dominii perpetuo possidendam mensæ episcopali applicuit, & appropriauit. Qui etiam pio ductus affectu, attẽto quod ecclesia pro suorum iurium defensione & rerum eius administratione viris indigeret doctis, x x. marcarum annui redditus, x. apud capitulum, ac tantũdem ad mensam episcopalem suis pecuniis comparauit, studentibus suis canonicis pro tempore singulis annis perpetuò soluendas, alioqui in alia pietatis opera conuertendas. Fuit q; homo rigidus & austerus, zelator iustitiæ. Ecclesiam suo tempore bene gubernauit: sed vbi reformationi ac morum emendationi operam dare cœpit, inter corrigendum defecit, fatoq; æger succubuit, quiescens in pace. Cuius temporibus Bremensis vrbis priores viri, à conciuibus male habiti, & carcere dilapsi in *Aldenburg*, quod diximus, peruenere. Cumq; eo in rerum statu res aliquandiu manerẽt, maritimarum vrbium consilia iam respirabãt à grauissimo Danorum bello. Intentis ergò oculis statum Bremensium miserantur, & interposita opera, missis ad hoc oratoribus tractare cœperunt inter regentes de præsenti, & exulantes. Facilior inde res fuit, quod magna pars ciuium in vrbe, & præcipuè collegium mercatorum, fauebat exulantibus. Facta igitur inter dissidentes reconciliatione, veteres cum nouis consularibus reponuntur in consilium, magnisque pœnis decretis statuitur, ne veteris

*Bremenses inter se dissidentes reconciliantur.*


image
not
available

fluctuabant, qui appellantibus adhærerent, sed Vniuersitas scholasticorum & Doctorum grauiter angebatur: diu tamen fouit neutralitatem, neq; cõcilio, neq; pontifici adhærens. Quærebatur enim tum apud doctissimos, cuius authoritas præualeret, Pontificis ne, an Concilii? sed Balduinus iste, vir non in postremis doctus, autho-

*Authoritas Cõcilii pontificiã authoritati præfertur.*

ritatem concilii, cuius erat in ea causa commissarius, præferebat. Minus tum angebat Rostochienses ea res, donec Imperator & ipse manum apponens, coram se conuictos pertinaces, banno subiecit Imperiali. Sed nos ad Balduinum reuertamur. Archiepiscopatum ille cum Abbatia per annos sex Apostolica dispensatione commutauit: cumq; iam dimittenda erat Abbatia, vitam quoq; finiuit, ne dimissæ Abbatiæ diu superesset, anno à Christo nato MCCCCXLII. Amauit tamen in suo monasterio quiescere: sed relatus est in ecclesiam Bremensem.

CAP. 37. LVBICENSI deinde ecclesiæ vacanti, morte Ioannis sui, in legatione Vngarica, electus est per capitulũ dominus Nicolaus, primùm ecclesiæ Lubicensis scholasticus, deinde decanus, vir prudẽs, & in omni vita integer, versabilis ingenii, per capitulum in via scrutinii electus, per dominum Balduinum archiepiscopum confirmatus tempore concilii Basileensis, impensis quinquaginta aureorum. Eodem anno XXXIX. per eundem archiepiscopum ac Hermannum Suerinensem ac Raceburgensem, cum prouinciali suo in ecclesia sua Lubicensi est solenniter consecratus: fecitque impensas tam in die consecrationis, quàm sequenti die suæ primæ Missæ pontificalis, pro honore ecclesiæ suæ, ad mille eius monetæ marcas. Primo anno instituit eleemosynam solennem perpetuam pro pauperibus, de peculio suo ante episcopatum conquisito, de qua in porticu ecclesiæ Lubicensis, erogantur singulis diebus tredecim personis, qualibet die talentum butyri electi, & trium denariorum panes: pro qua perennanda assignauit perpetuos redditus ducentarũ quinquaginta marcarum, quater mille marcarum in sorte principali. Assignauit etiam monasteriis in Zegenberg & Cismaria ad vestimenta frattrum, cuique monasterio triginta marcarum redditus perpetuos, M. marcis ante episcopatum ex peculio suo coemptos. Introduxit in ea monasteria viros religiosos, ad reformationem collapsæ disciplinæ regularis. Reformauit quoque leprosarium in Swartow veteri Lubeck, ædificiis ac rebus necessariis coadiuuans. In eam rem tredecim marcarũ redditus pius pater deputauit. Simili pietate impensa ad leprosarium, quod est ad oppidum Oldenborg. Carthusiensibus quoque suæ diœcesis consignauit DCC. marcas, ad redditus perpetuos coemendos pro fratrum vestimentis. Redemit quoque de episcopali mensa onera quædam, quibus beneficiis aliquot adstringebatur. In quã rem CCCCL. marcas impendit. Ædificauit secundam domum lapideam in curia Episcopali Lubeck, cameris, solariis, cubilibus, aliisq; diuerticulis, vnà cum capella testudinata. Et in arce *Vthin* portalem turrim cum testudine: in quibus bis mille marcarum impendit. Stabula iumentorum & mansiones familiæ Lubeck in curia erexit, impensis in eam quoque rem vltra mille nummũm. Adiecit prædia, possessiones, agros, piscinas, vt augeret sumptus episcopalis mensæ. Legauit in testamento pro mensa episcopali CXVI. marcarum redditus, per eum de fructibus præsidii *Stinburg*, ab Adolpho duce Slesw icensi coemptos, sub pacto redemptionis, pro bis mille penè, ad relcuandam mensam episcopalem: quæ capitulo suo annuam illam debebat pecuniam. Ordinauit pro duobus capellanis Vtini in conspectu pontificis celebrantibus, cuique sex marcarum redditus: legauit pro mensa episcopali argentea vasa, in pondere quadraginta nouem marcarum, puri argenti, vt permanent in eos vsus in perpetuum. Libros quoq; notabiles, & vtensilia reliquit pro successoribus. Anno verò nono fuit idem præsul concorditer per capitulum Rigense in eorum archiepiscopum postulatus. Præsentato sibi postulationis decreto per dictæ ecclesiæ cellarium, & duos militares de diœcesi Rigensi, deliberauit apud sponsam suam, ecclesiam Lubecensem, remanere: recto consilio, quia paucis pòst diebus est euocatus, post anni reuolutionem, febribus occumbens: vir longiori dignus pontificatu. Sedit annos decem.

*Pontifex Lubicensis in ecclesia laudem, sumptu marcarum nulle facit.*

CAP. 38. MAGDEBVRGENSI ecclesiæ post Guntherum prouenit pontifex optimus, dominus Fridericus, natus comitibus de *Bichlinge*, antiquo Saxonum stemmate:

mate: præfuit ecclesiæ summo, sed fructuoso, labore, per annos viginti. Erat ad spetiem, cùm in curia sui prædecessoris ageret, vir seculo, vt apparuit, deditus, venari, aucupari, volare in iumentis, eius cura: capillis longis, veste breui, ad omnem secuIi vanitatem videbatur excomptus. Erant in extremis archiepiscopi, ad lectum eius viti, alloquio eius fruiti, vt semper, familiarissimè: oritur ipso inchoante sermo de termino, qui adesset, calamitosæ huius vitæ. Quis (inquiunt) post te hanc ecclesiam excipiet? quis tuebitur? Tum ille: Si me consulitis, ostendam vobis, ecclesia hoc ó; pontificatu dignum, successorem, Fridericum de Bichlinge, non hoc intus, quod foris, præferentem. Ego noui optimum cor viri ad Dei timorem, eius ó; religionem. Nolite, quod foris apparet, intueri. Illustrem virum habetis, animo & corpore integrum. Abiit archiepiscopus viam vniuersæ carnis, qui audiere sentẽtiam non horuit, non contempserunt. Fridericus eligitur, subitò in virum alium commutatur. Literis quidem non vsque adeò ad necessitatem erat imbutus: adhibuit magistros, sed magis animum: breui ó; profecit in eum modum, vt multis doctior haberetur. Officium diuinum ipse executus, deuotissimum se ad omnia præferebat. Maior illi cura in reformandis moribus, quam ædibus. In quam rem nullum recusauit laborem. Aggressus est ductu bonorum, & zelo Dei viuẽtium virorum, à religiosis vtriusq; sexus inchoare, vt ad seculares deinde perueniret. Dici nõ potest, quantus inde labor, quanta surrexit aduersitas: armis tueri, se multis locis contenderunt. Gaudebat, vbi maior apparuit cõtradictio: nam ibi rem benè processuram fidebat: & dicebat, ibi abundaturam gratiam, vbi exuberabat pertinacia. Non cessauit, donec effractis superbiæ ceruicibus, ad iuga humilitatis & religionis perduceret repugnantes. Interea sibi rigidus, nihil indulgebat: in victu parcus, ieiuniis assiduus, vestitu ad carnem cilicino, quam rem externa velabat honestas. Id egit, vt cardinalis de latere legatus, dominus Nicolaus de Cusa, testaretur, vnũ se per Germaniam reperisse pontificem, Fridericum. Vestigia sanctitatis & optimè actæ vitæ plurima repererunt eo moriente: ita vt sui desiderium diu relinqueret in ecclesia.

*Episcopum siculi vanitatibus esse deditũ rumor est.*

BREMENSI autem ecclesiæ post Balduinum successit in cathedram episCAP. 39.
palem Gerardus, natus comitibus de *Hoia*, quam tenuit annis viginti vno, vir per omnia pacificus: cui præstitit Deus, vt videret temporum suorum tranquillitatem. Ericus autem Osnaburgensis episcopus, fratruelis eius, ciicitur sede sua, odio fratris sui Ioannis, viri omnium viuacissimi. Implicatur etiam maioribus rebus, cùm à ciuitate Monasteriensi ad episcopatum illius vrbis vocaretur: etiam ibi frustrat⁹. Sed Gerardus propinquo bello non patitur implicari: consiliis, & quietis, vbi res poscebat, auxiliis, non destituit propinquum, sed in societatem belli pertrahi non potuit. Cuius temporibus memorandus diu vir, dominus Nicolaus de Cusa, cardinalis de latere legatus, venit in Germaniam, & multa in prouinciis constituit: quæ si obseruarentur, meliùs se in plerisq; res haberent. Literæ seruantur in archiuis ecclesiarum: hoc satis esse putant. Cæterùm in executione operis nihil apparet. Fertur idem interalia salubria constituisse de venerabili Eucharistia, cuius erat tunc (vt nunc) quidam abusus, cùm in publicum deferretur in diebus Iouis per anni circulum. Res, vt prima fronte prætenditur, deuotioni parata: sed vt euidenter claruit, per crebram eius ostentationem vilescente, quæ semper ardens & summa debuit esse, reuerentia. Constituit ergò, vt non in publicum efferretur, nisi infra octauam festiuitatis institutæ, ad honorem sanctissimæ Eucharistiæ: præsertim quia eius vsus à cœlesti magistro institutus est ad esum, nõ ad ostentationem. Sunt enim pleraque inter homines, quorum initia salutaria sunt, sed progressus non ita. Post duos annos venit ex Italia religiosus pater, Ioannes de Capistrano, ordine Minor, reformationis excitator acerrimus, Bernardini discipulus, eius qui primus de reformatione eius ordinis curauit in Italia. Venit (inquam) in Magdeburgẽsem prouinciam. Ipsius viri (vt ferebant) ad spectus moucbat adstantes, ipse dicentis apparatus (nam vernaculæ nostræ expers, Latina lingua vtebatur) in populo energiam fertur habuisse mirabilem, cùm post illum ex fratribus, qui cum multi & præstantes viri sequebantur, aliquis interpretaretur populo, quæ ille antè enunciasset, vtriusque sermone in quintam horam extracto, cùm prior Ioannes in tribus, & qui

*Crebra Corporis dominici circumgestatio prorsus contemnenda prohibetur.*

sequebatur, per reliquum tempus differeret. Commouit vsque adeò populum, vt omnia vana ludorum genera, scacos, aleas, quicquid id generis est, conferrent in forum, fœminæ toralia & structuras capitis, ac alia redimicula vana, vno igne, inspectante populo, concremarent. Turbulenta fuere omnia in circuitu per tempora huius pontificis. Sed hæc posteà: nunc, quod cœpimus, exequamur.

CAP. 40. MONASTERIENSIS ecclesia post Henricum pontificem incidit in grauissimam perplexitatem, quę in durum ac diuturnum bellum excreuit. Nam canonici electione legitima, vota emiserunt in dominum Walramum, germanum Henrici prædecessoris, & Theodorici archiepiscopi Colonienſis, cuius tunc erat nomen celeberrimũ per multas prouincias. Erant, qui se huic electioni clam opponerent: nam apertè non ausi, populum ciuitatis Monasterienſis, & quòsdam ex ministerialibus inflammarunt, vt vociferarentur, Walramum iam ab ecclesia Traiectenſi, de qua prídem contenderat, reprobatum, non paterẽtur sibi episcopari: esse Ericum Osnaburgensem episcopum sede sua pulsum, virum à maioribus commendatissimum, quòd patruus eius Otto, optimè de ecclesia Monasterienſi meritus, ab illis depoſceret, nepoti suffragarẽtur. Capitulo verò non est visum ex dignitate sua, cedere clamoribus populi, suo eligendi iure decedere, archiepiscopum Coloniẽsem aduersum se excitare. Igitur egressi vrbe, ad suos se quisq; propinquos, vt sunt omnes canonici ordine ministerialiũ orti: nec patiuntur plebeii generis inter se quenquam, etiamsi sit literis & eruditione excellentissimus. Asperum ac odiosum bellũ consurgit. Ioánes de *Hoia* comes, frater Erici à populo postulati, gaudebat vberem sibi datam exercendæ virtutis materiam. Itaq; ciues Monasterienſes, æquè ad causam feruentes, ille ducebat: nec illo contenti, conduxere stipendio ducem Brunswicenſem Fridericum, vt Theodorico Colonienſi per diœcesim vaganti, oppone rent principem. Meliùs aliquanto sibi consuluissent, si Ioannis ductibus contenti, ex ius sententia rem gessissent. Fridericus ferox ab armis princeps, cedere nescius, vbi vidit hostilem exercitum impunè vagari, egressus tuto loco, castra fixit in aperto, nolens hoc crimen gloriæ suæ inferre, vt vel cederet, vel lateret. Potuisset extraxisse tempus, quoad auxilia illi, quæ erant non longè, venissent: sed efferbuit indignatione, in prælium exiens cum paucis, aduersus triplo maiorem & expeditiorem hostium exercitum pugnaturus. Ibi quanquam fortem operam & dux & milites nauassent, tamen, quod necesse fuit, conclusi in manibus multorum superãtur. Capiuntur dux ipse & multi sub ipso militantes. Abducitur captus Coloniam: ibiq; diu manens, laxandum se Monasterienſium ære est arbitratus. Illi verò, ad rem minimè properauere, arbitrati, præter mandatum se iniecisse periculo non necessario. Cogitur post multa se suo ære laxare: mansit querimonia ad posteros. Interim variis casibus in octauum annum extrahitur bellum: quum illustris dominus Ioannes ex ducibus Bauariæ in Italia agens, intelligeret contendentium neutri magnum ius esse: & curiam petens, ecclesiam impetrauit vacantem. Literas expediuit, & venit in loca vicina, de iure suo insinuans. Iam partes ambæ bello fessæ, gaudebant inuenisse se quo malum terminarent. Suscipitur cum honore, introducitur: per illum omnia pacantur. Iam enim in fata concesserat Walramus. Præfuit ecclesiæ in summa religione, donec ad ecclesiam Magdeburgensem postulatus, cò concessit.

*Canonici Minister. plebeũ genere nati de suo non patiuntur quam tumultuosissimum.*

CAP. 41. OSNABVRGENSEM ecclesiam per hæc tempora suscepit gubernandam insignis & nobilis vir, dominus Conradus, natus de nobili domo de *Depholt*, cui se duces & comites inseruerunt: præfuitq; cum summa laude ecclesiæ huic vsq; in vberem senectam. Multus illi labor ad reparandum disiectum ecclesiæ statum, per tempora turbulenta prædecessorum suorum. Libertatem ecclesiasticam defendit vtroque gladio, opponens se murum pro domo Israel: exerens quandoque gladiũ, pro rerum ac temporum necessitate, prout cernebat vel hunc vel illum magis formidari: peregitq;, vt sub illius regimine satis refloresceret mirè depressus status rerum ecclesiasticarum.

CAP. 42. MINDENSIS ecclesia post Ottonem, pontificem meruit Wullebrandum de *Hallermundt*, virum & religione & natu primarium: erat enim, vnde assum-

ptus

ptus est, abbas Corbeiensis, nullo in ditione pontifice inferior, ordine & numero pontificum quadragesimus nonus. Arces & prædia ecclesiæ occuparunt vndecun que vicini nobiles ac militares, incuria superiorum pontificum: præsertim dum va leret illa controuersia de pontificibus non electis, sed per sedem Romanam immis sis. Reposcebat hic pontifex ecclesiæ iura: non audiebatur. Militari manu occupata, militari nihilominùs erant manu reuocanda. Contemptui erat ecclesiastica po- testas, igitur corporalis gladius exerendus fuit. Armauit quotquot potuit, ciues suos eduxit, amicos implorauit. Et egressus, arces ecclesiæ vt recuperaret, oppu- gnauit. Primò quidem *Wedekenschen* de manu tulit nobilis viri Bernhardi de Lip- pia, *Reinnenberg* de manibus Nicolai comitis de *Tekeneborg*, & *Roden* de manibus Io- annis *Bock*. Non est promptum, neq; dulce, possessioni cedere. Igitur quod sponte noluerunt, armis erant cogendi. Proinde magno labore & sumptu ecclesiæ suæ iu- ra recuperauit, ecclesiam magnificauit in temporalibus, nec quod ad religionem pertinet, negligebat. Sed durum & difficile est, viros militares sub leges mittere. Non cedunt suasionibus, subtractione prouentuum redigēdi sunt ad qualemcun- que ordinem. Quantum autem temporis hic pontifex præfuerit, non annotatur: neq; dies obitus, vt solet, signatur. Ita ad finem, vt ignauꝰ poeta, torquit iste scriptor annalium, vt vetera signarit, recentia non annotauerit.

*Ecclesiæ clami- bus neglectis, gladius arri- piendus ēt mundanus.*

*Annalium scri- ptorum ignauia*

SVERINENSEM autem ecclesiam, post Hermannum, susceпit gubernandā Cap. 43.
insignis vir, dominus Nicolaus, *Bæcker* cognomento: præfuitq; annis tredecim cum summa laude. Et iam fessus rerum, quum ambiret quietem, renunciauit in manus summi pontificis, & concessit in ciuitatem Lubecēsem: ibiq; priuatus vixit aliquot annis, & requieuit in Domino, in eadem ecclesia tumulatus. Ad cuius pontificatus primos annos iam concilium Basileense paulatim defluxit. Nam Eugenius Ferra- riæ, deinde ob metum pestis Florentiæ, concilium egit. Mortuo enim Sigismundo Romanorum Imperatore, à quo Basileense concilium incrementum habuit: creato Alberto duce Austriæ in locum eius, concilium Ferrariense eius nomine cardi- nalis sanctæ Crucis inchoauit. Eò, pficiscitur & Eugenius, eò quòd aduentare Con stantinopolitanus diceretur. Is Ferrariam ingrediens, non aliter ab Eugenio susce- ptus est, ac Romani imperatores susciпi consueuerant. Verùm quum pestis Ferra- riæ increuisset, Florentiam transferre placuit concilium. Ibi habito sæpiùs conuen tu, discussaq; Græcorum ac Latinorum contentione, tandem eò ventū est, vt Græ- ci rationibus victi, faterentur & Spiritum sanctum à patre filioq; procedere: vtq; in azymo sine fermento, triticeo pane corpus Christi consecraretur: ac Purgatorii lo cum esse crederent. Postremò verò, vt faterentur Romanum pontificem esse verū Christi vicarium, Petriq; legitimum successorem, primum in orbe locum tenere: cui & Orientalis & Occidentalis ecclesia meritò pareret. Abeuntibus autem Græ cis vigesima secunda Nouembris, re hoc modo composita, gaudentes in patriā re- diere: Armeni etiam cum fide nostra conuenere. Papa, vt partes augendi conciliū Basileensis infirmaret, eodem tempore octodecim cardinales creauit: quorum de numero fuerunt duo Græci, Ruthenus & Niceпus: vt eorum authoritate, Græco- rum semper vacillans natio, in fide contineretur: quæ tamen haud ita multo pòst in antiquos mores recidit.

*Græcorum in concilio Ferra riensi confessio*

GERARDVS autem in Bremensi ecclesia vidit turbulenta tempora, ipse, vt Cap. 44.
potuit, quieti deditus: quum duces Brunsvicēses, Wilhelmus pater, & Fridericus filius, pro prælatis aduersus contumaciam Luneburgensium agerent: Bernardus autem dux Luneburgensis, senior Friderici filius, qui posteà administrauit eccle- siam Hildesemensem, cum Ioanne Verdensi episcopo stabat pro Luneburgensi- bus: causam eorum non frustrà tutatus. Gerardus iste conspicere potuit: sed le om- ninò noluit implicare, pacem præferens omnibus rebus. Vidit propiora, quib. ab- stinuit: quum fratres duo Gerardus & Mauritius, comites de *Aldenborg*, pro rebus patrimonii contenderent, super dominio *Delmenhorst*, qui olim erat diuisus comi- tatus, in quo plurimùm iuris haberet ecclesia Bremensis. Mirum autem, cur ponti- fices dissimularent Balduinus & Gerardus, cùm per mortem Nicolai archiepisco- pi, donatione patris eius peruenirет ad ecclesiā Bremensem, siue eā donationē non

probauerit imperator, ad reclamationem legitimorum hæredum: siue super ea re transactum sit inter ecclesiam & comites memoratos. Res enim in obscuro est: sed hoc certum est, neq; Balduinum, neq; Gerardum, successores Nicolai, vllam super ea re mouisse quæstionem. Tum verò fratres de *Oldenburg* comites, super ea re magnis odiis contendebant. Mauricius ad eam rem commouit ciuitatẽ Bremensem, vt suæ parti adesset: comites de *Hoia* eidem accessere. Archiepiscopus se rebus minimè implicuit. Gerardi partes Christiernus Daniæ rex, amborum frater, quibus potuit modis fouit, adiuuit, prouexit: & quoniam in persona adesse non potuit, cõmouit Wilhelmum seniorem Brunswici ducem, vt pro se Gerardo accederet: nec detrectauit operam. Obsederat Mauricius cum auxiliaribus *Delmenhorst*: & iam facile visus est expugnare, quando armis nocere non potuit. Et iam penè rem confecit, vt inedia compulsi, deditionem facere cogerẽtur. Quum Wilhelmus dux, qui Gerardo suppetias tulit, magno apparatu contendit obsidionem soluere, vt commeatus importarentur. Id vbi persensit Mauricius, quòd esset ipse in numero militum, & robore longè superior, geminam vno in prælio victoriam meditatus, obuiam contendit venientibus, vt illo agmine fuso, fugato, vel capto, vel excisо, alacriores rediret ad obsidionem (Diis aliter visum) spe plenus, non posse in longum differi deditionem. Wilhelmus dux rei bellicæ peritissimus, instructa suorum acie, vbi hostes appropinquare sensit, euocatos fortissimos militaris generis iuuenes, gladio de more cædens, militari cingulo decorauit, vt essent aurati milites in cuẽtum victoriæ. Erant ex grandioribus natu, quibus consideratione periculorum lachrymæ in genis conspicerentur. Quorum vnus interpellatus à proximo iuuene, quid sibi velint lachrymæ illo in tempore, quando audacia sola pro muro est: Non mei (inquit) mihi capitis periculum lachrymas extorquet, sed tui, similiumq; me commiseratio tangit, qui pro ætate & mentis leuitate, qualia vaditis in discrimina non videtis: tamen audendum est alacriter, vt decus hodiernæ diei sit nostrum. Commissum est prælium durissimum, varia dimicatio. Ipse dux aliquando sub pedibus penè captus erat: vt ei imminens in eius corpore hostis cæderetur. Ibi tandem stetit victoria, vbi minimè putabatur. Capti comites de *Hoia*, cæsi, fugatiq; Bremenses. Mauricius ipse vix elabitur. Gerhardus autem archiepiscopus hæc quietus intuens, vbi vigesimum primum episcopatus sui annum attigit, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio in pace quieuit, tumulatus in ecclesia sua. Quem ea sequuta sunt tempora, vt non tam, quum viueret, amaretur: quàm, quum obisset, desideraretur. Nam bellis vndiq; tonantibus, ecclesia vicinis motibus est concussa: quod sequentia tempora monstrabunt.

*Delmenhorst armis inexpugnabile, fame vexatur.*

*Inopinata victoria.*

*Archiepiscopꝰ nõ tam viuus amatꝰ, quàm mortuus desideratus.*

CAP. 45. HILDESEMENSI ecclesiæ, Magno moriẽte, optimo & desideratissimo pontifice, præficitur administrator dominus Bernardus dux Brunswicensis & Luneburgensis, filius Friderici, fratrem habens Ottonem. Is Bernardus quum ab annis iunior esset, postulatur à capitulo: & apostolica dispensatione cœpit administrare. Fouit, vt diximus, aduersus patrueles suos causam Luneburgensium, Burgẽsium, & annis aliquot administrauit: nunquam tamen animum ecclesiasticæ disciplinæ adiecit: vtpote qui haberet in animo, cùm ex commodo proueniret, coniugalem amplecti vitam: quod & fecit, dimittens ecclesiam. Duxit coniugem, speciosissimam (vt ferunt) puellam, comitis de Schowenborg filiam. Sed ea viua non diu fruitur, subtractus è viuentibus. Eandem verò senior dux Wilhelmus, iam diu viduus, captus (vt ferunt) specie mulieris, multum reluctantibus filiis, quòd iam vetulus esset, duxit. Sustulit autem ex ea filiolum, non diu superstitem. Quo tempore quum Fridericus marchio Misnensis expeditionem haberet in Bohemos, cum multis in eo exercitu sequebatur dominus de *Gera* baro: cui hostis erat Henricus de *Swartzborg* comes, qui per absentiam eius ingressus illius ditionem, hostilia omnia peregit, gladio & incendio sæuiens. Id quum resciisset Fridericus marchio Misnensis, & iam dux Saxoniæ, grauiter infestus comiti de *Swartzborg*, in eum constituit vindicare. Id verò non passi Wilhelmus frater Friderici, ac Fridericus marchio Brandenburgensis, susceperе Henrici defensionem. Inde implacabili odio fæuitur: frater in fratrem, socer in generum tendit: mutua irrogauere

*Bernhardus Brunsuicensis Episcopatum Hildesemensem dimittens, vxorem ducit*

damna.

damnà. Sæpe leuia prælia, semel magno agmine certabatur: & factus superior Fridericus Saxonię dux, marchionis Brandenburgēsis captiuos multos in suam transtulit victor potestatem, vt redempti magno ære luerent captiuitates.

LVBICENSIS ecclesia post optimum pontificem Nicolaum, meruit insequutorem nihilo minorem, dominum Arnoldum, cognomento Westphale, decretorum doctorem, in legibus licentiatum, qui ab ineunte ætate in studiis generalibus, publicisq; gymnasiis diuersatus, legendo, docendoq; magnum & celebre nomen sibi conciuerat. Is, missis ad vrbem oratoribus duobus, ex capitulo præstantibus viris, confirmationem apostolicam promeruit, impensis in eam rem supra mille aureis (sed nihil ad hæc nostra tempora. Necdum enim annatæ valuerunt) per dominum Nicolaum Suerinensem & Ioannem Raceburgensem, Gerardo archiepiscopo se excusante, & pro se vicarium in pontificalibus mittente, in ecclesia Lubicensi est consecratus. Varius illi labor in ecclesia. Cùm curreret odiosa Lunebur gensium causa, in qua finaliter arbiter electus, pronunciauit cum rege Daniæ, ita vt non multum inde gratulentur partes. Causa quoq; Prussiæ, cùm Ordo in ciuitates, & illæ vicissim in Ordinem Teutonicorum belligerarēt: missus & rogatus mediator, nauigabat: & cum eo consulares de Lubeca oratores, tractauere fideliter & laboriosè causam. Sed non datum est, illo tempore finē rebus dari: sequenti tamen anno, cùm ille rediisset, per eos qui remansere, iisdem capitibus, quæ ab illo concepta & proposita fuere, pax composita est. Nec caruit ille laboris sui mercede apud Deum: non enim exitum, sed animum, pensat Deus in remuneratione. Reuersus ad ecclesiam suam bonus pontifex, in arce Vthin, quæ necessaria videbantur, exædificauit. Ecclesiæ maioris sacristiam plumbo texit, suo impendio: comparauit episcopali mensæ plurima in villis, prædiis, annuis prouentibus. Moriens reliquit in testamento argenti facti plurimum, ad ornamentum episcopalis mensæ, non minùs quàm prædecessor eius. Libros insignes, & quod omnia exuperat, magnum sui desiderium. Sedit in pontificatu ad decimum sextum annum, sepultus in ecclesia sua. Cap. 46. Episcopus Lubecensis, cōtra Luneburgenses regis Daniæ partes, defendit.

PADERBVRNENSIS ecclesia in hunc vsque diem commendata archiepiscopo Colonienſi, alium pontificem non habuit per eius tempora. Nunc autē mortē eius viduata, per legitimam electionem episcopum suum meruit D. Simonē, natum domicellis de Lippia. Fratrem habuit Bernardum, vsque hodie viuentem, virum supra multos militarem, satis ad bella fortunatum, animosum, constantē, procerum, fortem, & omnibus virtutibus militaribus præminentem. Simon autem episcopus, cùm non careret æmulis, initio sui pontificatus laborem habuit non modicum, luctatus cum his qui prædæ assueti dulcedini, quæstū fecere de rapina pauperum, vicinorum nobilium. Multa bella subiit, ob societatē initam fideliter agebat, & summam apud omnes cum fratre fidem promeruit, perdurauitque in extremam vsque senectam. Cuius tempore cùm multa experiretur, hoc vnum habuit sua ecclesia nouum, quòd præpositum sustinuerit, & vsque hodie veneratur, plebeio genere, vtriusque iuris doctorem, virum sine controuersia præcipuum: cùm inter canonicos non patiatur, nisi ordinis ministerialis. Seruant idem multæ ecclesiæ, Magdeburgenſis, Hildesemensis, Halberstadenſis, Mindenſis, Osnaburgenſis, Monasterienſis. Sed nulla inter oēs obstinatior est in illa re, q̄ Monasterienſis. Aliq; patiūtur Doctores, aut Licentiatos, ob doctrinā egressos natalitia, vt ministerialib. cōparentur. Ea verò nequaquā sinit quemuis inseri, præter hoc genus: inuentusq; est, qui cùm maioris ecclesiæ præbendā non haberet, præpositurā tamen aduersus ecclesiæ statuta in quodā collegio impetrasset, possessionemq; esset assequut⁹. Sed non exibat prouinciā, cæsus à nescio quo, qui indignationem canonicorum intelligens, etiam sine iussu gratificatus est eis in re nimiù crudeli. Paderburnenſis aūt & Osnaburgēsis hodie etiā venerantur quem dixi virū, plebeii sanguinis, doctorē, in vtraq; ecclesia præpositi dignitatem non solùm portantem, sed etiam implentem. Cap. 47. Quæ Ecclesia ad Canonicatum nō admittant, nisi qui se ministeriale. iu.

HALBERSTADENSI ecclesiæ, post Burchardum, præficitur præstans vir, D. Geuehardus, cognomento de Hoym, ordine ministerialium eius ditionis nat⁹: præfuitq; ecclesiæ suę cum summa laude per annos viginti vnū. Tum fessus labore, Cap. 48.

permisit ecclesiam suam Ernesto, iam Magdeburgensi, vt cumularet. Cernebat enim crescere cõtumaciam & pertinaciam tam ministerialium, quàm vrbicorum, vt non facilè parerent, nisi principi potenti, & nisi forti manu in viam iustitiæ dirigerentur, proteruituros, quod exitus ipse docuit. Per cuius tempora ortum est & gestum grauissimum bellum inter Brandenburgenses marchiones, quibus adstitere Misnenses, aduersus ciuitatem Norenbergensem, quæ & ipsa inuenit auxiliatores. Nam Bauariæ nonnulli principes ex veteri simultate aduersus marchiones de Brandenburg, diu sæpeq; conflixere. Varia fuit eius belli fortuna: nunc victi, nunc victores alternabãt. Albertus ex fratribus vnus ductabat exercitus, princeps ad arma natus, & inter arma educatus. Victus magno prælio, nisi celeritate sibi succurrisset, consuluisset q; diu sensisset detrimenta accepta. Sed dum nemo hostiliũ partium hoc suspicaretur, dum omnes viribus exhaustis quieturum arbitrarentur, ille præter omnium opinionem armatum agmẽ produxit, & non expectantibus hostibus repentinus superuenit: adeò territ, vt vinceret, compensans lucrum posterioris victoriæ detrimẽtis fortunæ superioris. In Magdeburg tum erat occulta multorum conspiratio in caput aliorum: res in tegumento agebatur, nec debuit in lucem propalari, posteaquàm non processit instituta proditio. Constitutum fuit, vt præfinito die ad horam septimam in vesperum signum fieret de turri per campanam ad arma vocantem. Qui suscepit id ministerii, Deo volente, errabat: vt signum daret ad eam horam manè. Stupuere omnes qui audiuere. Ipsi coniurati mirantur, statim deprehendentes errorem: cæteri magis stupuere quid esset. Cumque se nemo commoueret, voluere boni viri, vt acceptus ille malignus interrogaretur, quid in animo haberet, cum terribiliter vociferaretur, Huc huc contubernales in latam viam. Sed impediuere alii, quibus detecta veritas maculam inussisset. Placuit tegere malum, ne apertum in deterius abiret.

*Halberstadensium ministerialiũ, & vrbicorum cõtumacia.*

*Occulta Magdeburgensium quorundã conspiratio.*

CAP. 49. HILDESEMENSIS ecclesia tum accepit pontificem, nobilem virum, D. Ernestum, natum comitibus de *Scowenborg*, dum Bernardus Luneburgensis, administratione dimissa, vxoriam vitam est aggressus. Quandam videbatur inire permutationem vterque: nam Bernardus accepta coniuge Mechtilde, germana sorore eiusdem Ernesti, reddidit illi sponsam suam Hildesemensem ecclesiam. Gubernabat illam per annos duodecim, & inter agendum, nonnullis, vt in ea gente, implicabatur aduersis. Moriebatur tum sine hærede D. Adolphus dux Slesvvici, & comes Holsatiæ. Tum comitatus hæreditario iure per lineam masculinam videbatur relapsus ad comites de *Scowenborg*: nam ex illa domo prodiere comites Holsatiæ, ab vsque primo Adolpho de *Scowenborg*, cui, vt suo loco diximus, Luderus dux Saxoniæ dedit comitatum Holsatiæ. Sed iam nunc comites de *Oldenborch*, ex quibus erat Christianus rex Daniæ, nati Adolphi memorati sorore, propiores erant, si gradus numeres: sed non solet transire feudum per lineam fœmineam. Comites autem de Scowenborg, etsi lineam tenerent masculam, longè tamen distantiores erant. Interuenit autem pactio, & inter partes transactio, quòd rex moratus dabat comitibus multa nummũm millia, quæ tamen à populo terræ indicta, collecta recepit: fratribusque suis satisfecit, vt sibi & posteris suis permitterent Holsatiam. Hoc etiam tempore Fridericus dux Brunsvvicensis, Willelmi filius, represaliarum iure currus de Lubeck onustos mercibus tenuit, non longè à *Gotting*, quòd Luneburgensibus præstarent auxilia, commercia, & sodalitia. Sed Bernhardus dux Luneburgensis ad arma concurrit, sequutæ vastationes hinc atque inde. Peruenit deinde res ad placita, conuenitque vt principes Brunsvvicenses arcem *Morinck* darent in pignus, quoadusque cognosceretur, iure, an iniuria res acta esset. Comes quoque prouincialis Hassiæ, tum vehementer infensus Embecensibus, expedito in eos mouit exercitu. Ciuitas ex vicinis vrbibus mutuabatur auxilia, & à suis principibus equestrem militiam, exceptura venientem. Ille vbi intellexit præparatos ad pugnam, retrò abiit, ponens quod in animo habebat.

*Feudum per lineam fœmineam transire non solet.*

CAP. 50. RACEBVRGENSI autem ecclesiæ per ea tempora præfuit insignis vir, D. Ludolphus, eius nominis secundus, qui per oĩa erat vir Apostolicus, moribus, vita, veram

veram præferens pontificis normam. Fuit nanque pius, prudens, humilis, manſuetus, pudicus, ſobrius, caſtus, iuſtus, & quietus, neque dolus aliquando eſt inuentus in ore eius: & inter affligendam carnem ſuam, ſpirituique ſubiiciendam, cilicio ad nudam cutem vtebatur. Hic ante epiſcopatum præpoſituram in ea ſua eccleſia diligenter adminiſtrauit, cui ad longos annos laudabiliter præfuit. Cumulauit in ea in pios vſus eccleſiæ bonam pecuniam, quam, adeptus epiſcopatū, menſam epiſcopalem leuare, adhuc ære alieno grauatā, inſtitit, impendens. Alia quoq; eccleſiæ onera, grauiter illā prementia, ademit, profuitque in quàm plurimis. Hic inter cætera præclara facinora, præpoſituram narratam, de qua aſſumptus fuit, cōpetenti prouiſione, pro introitu cuiuſlibet ſucceſſoris dotauit equis, vaccis, porcis, ouibus, ſatis, frumentis, cæteraque ruſtica ſupellectili in opus neceſſaria, in valore quadringentarum marcarum Lubecenſis monetæ: quæ deinde quiſque præpoſitorum decedentium, vel cedentium, ſuo ſucceſſori relinquere habet neceſſe, prout in literis de ſuper conceptis pleniùs continetur. Ordinauit quoq; viginti marcarum perpetuos redditus: decem apud capitulum, & alias decem apud menſam epiſcopalem: ſequutus prædeceſſorem eodem inſtinctum ſpiritu, pro canonicis eccleſiæ ſuæ in publico literarum ſtudio ſuſtinendis. Opus per omnia laudabile, cùm vbique viris doctis eccleſia opus habet. Moguntia per illa tempora miſerabilem paſſa eſt ruinam: ex libera facta eſt ancilla, dum duo de archiepiſcopatu contenderent, vterq; à ſede Apoſtolica confirmatus. Intus erat Dietherus de *Iſenberg*, foris pugnabat Adolphus de Naſſaw: qui ope Palatini, & occulto conſilio intus proditorum, ciuitatem cepit, traditoribus in primis ſua præmia perſoluit, aduerſæ partis factionem abduxit: vix ipſe Dietherus elabitur. Iudæis præcipuè adempta ſunt iura, cùm victorum arbitrio cuncta gererentur.

*Ludolphi II. Raceburgenſis eccleſiæ præſulis incredibilis ſanctimonia.*

*Studioſis in Vniuerſitatibꝫ alendis reddituꝫ conſtituit epiſcopus.*

SVERINENSI autem eccleſiæ, cùm eam Nicolaus feſtinans ad quietem, dimitteret, præficitur D. Godfridus de Lange, Luneburgenſis, antè loquutus cum Nicolao, quid diſcedenti Nicolao à ſuccedente eſſet erogandum. Hæc quum Apoſtolica eſſent prouiſione roborata, per procuratorem renunciauit in Romana curia. Et non ignorante capitulo, fit Godfrido de eccleſia prouiſio. Sed breuis erat iſte pontificatus: vix anno expleto, conceſſit in fata. Ioannes Capiſtranus, ordine Minor, exuſcitans obſeruantiam, de quo ſuperioti quodam loco diximus, tum erat in Germania, prædicans, miraculis coruſcans, ritum vitę illius operæpreciū eſt agnoſcere. Veſtitus ille de more dormiuit, ante lucem ſurgere, penſum diurnæ ſeruitutis, ſacrificium labiorum deuotiſſimè per interualla perſoluit, diuinum altaris ſacrificium peregit, tum ſermonem ad populum latinè habuit, poſteà per alios interpretatum: ſermone expleto, ad cœnobium ſui ordinis reuertenti, ſexta ac nonis completis, infirmos viſere, apud eos morari, manus omnibus imponere. Biretum ſancti Bernardini, cruore de naribus profluente poſt mortem tinctum, ſingulis admouit ægrotantibus. Precari ſupplex pro omnibus, exinde cœnare: deinde his qui ſe accedunt, audientiam præſtare, moxq; veſpertinum officium dicere. Quo expleto, ad ægrotos reuerti, atq; cum his ad mortem præparandis, ad necem vſq; exercere. Tum demum cōpletorio & aliis precibus peractis, quieti ſe reddere: minimum eſſe quod ſomno dedit: tum reuidendis ſacris codicibus operā dare, vbi puſillū temporis furatus eſt. Hic homo in terris cæleſtem, ſed occupatiſſimā & laborioſiſſimā, vitam peregit. Arido & exili erat corpore, annos natus ſupra LX. Quum inter Germanos ageret, ſola cute & neruis oſſa hærebant, ſpiritu vegetante.

CAP. 51.

*Pontificæ papæ lo latine lingua vsi latinè concionantur.*

BREMENSI interim eccleſiæ, moriente Gerhardo, Henricus natus comitibus de *Swartzburg*, præficitur, annitente D. Ioanne Roden, eccleſiæ maioris præpoſito, bullarum Apoſtolicarum correctore. Qui tranſiens & rediens crebrius itinere ſuo ad vrbem, vel ab illa, quadam familiaritate vſus eſt comitis ſenioris, qui numeroſa prole prędituſ, à correctore póſcebat, vt in vacatione eccleſiarū quibus adeſſet, vnius filiorū eius rationem haberet. Ergò vacante Bremenſi eccleſia, cùm de electione noui pontificis ageretur, in ſui ipſius perſonā vota inclinātia, q̄ locupletiſſimus & Romanæ curiæ expertiſſimus, multorum magnatū amicitia prædituſ eſſet, in hunc à ſe Henricū deriuauit: qui cōfirmatus ab apoſtolica ſede, à mul-

CAP. 52.

*Proles numero ſuos epiſcopatus petendi cauſa.*

*Quarum rerū in epiſcopis eligendis præcipuè ſit habita ratio.*

tis principibus,& plurima nobilitate ſolenniter eſt introductus. Inuenit autem paratum ſibi laborem apud Gerhardum de *Oldenburg* comitem,qui recenti bello victor fratris ſui & Bremenſium,victis duras fecit conditiones. Sedata eſt tamen illo anno inter fratres omnis controuerſia. Prouenit autem *Delmenhorſt* Mauritio, cùm Gerhardus opulentiorem partem haberet in *Oldenburg*. Satis gauiſi ſunt omnes,quòd Gerhardus malè pace affectus, de via regia in occiduas partes diſcederet. Erant tamen in commilitio eius,qui ſiue ſciente, ſiue ignorante eo, crebriùs cernerent,quid per viam ferrent mercatores,quàm illis commodaret. Poſt duos annos,cùm multa Bremenſibus medio tempore incommodaſſet,ſuum ciues imploraſſent archiepiſcopum,vt rebus finem daret:nam Viſurgum, ſiue Weſerá fluuium malè pacatum habebat. Eccleſiam vicino loco firmauit in morem caſtelli,vt ab incurſione ciuium immunis eſſet. Ergò archiepiſcopus motus ſuorũ querimoniis,magno exercitu duxit in Gerhardum. Non ſperabat Gerhardus eum tam eſſe promptum ad arma,quem irriſoriè notauit,vt atramentarium appellaret. Sed iam conſpiciens armatum,curauit interponere amicos,vt primùm in treugas,deinde in compromiſſum res peruenire. Compromiſſarij facti ſunt epiſcopus Verdenſis, & Otto dux Luneburgenſis,qui neque bellum promiſere,neque tum cauſam terminarunt:ſed diſtinuerunt Gerhardum, ne facto in ſe prouocaret, quos difficile fuit iratos ſuſtinere. Cùm autem proximis annis in Holſatia rem ageret Gerhardus,quod in Saxonia diximus, tranquilla fuere omnia trans Albiam in Bremenſi ditione.

CAP. 53. MINDENSI eccleſiæ tum præfuit nobilis vir Albertus,natus ex comitibus de Hoia,homo ſatis ventri deditus,pluſquàm religioni. Ruſticam ferè vitam egit,totos pene dies agens in conuiuio,aut ruſtica communione: familia pariter & reliqua plebe ſe gerente ad epiſcopum,quaſi vnum ex ipſis. Ad hoc ſe natum reputabat,vt ederet:ad hoc nobilitate prouectum,vt in deliciis ageret: quod tamen magnoperè non requiſiuit. Ad hoc prouectum in epiſcopatum,vt ſumptus, quo minùs poſſet de patrimonio,de eccleſiæ prouentibus haberet. Sic animatum,ſic viuentem,viderunt illum ſua tempora:de diuina religione in eccleſia, de prouentibus epiſcopalis menſæ adaugendis,de arcibus ſuis firmandis,nulla ei cura. Viuebat in diem. Etiam ſi de pecoribus abactis quid veſceretur,non recuſabat. Tali viro ad finem penè regiminis ſui enaſcitur cum vicinis comitibus de *Schawenborg* bellum,quod voluntate miniſterialium & denunciatur & geritur. Epiſcopo nullius rei magnæ curam ſuſcipiente, acceſſere partibus auxilia: leuia fiunt crebra prælia,mutuæ ab inuicem rapinæ. His rebus dum vtraque pars æquè fatigata eſſet, compoſita res eſt æquis cõditionibus,& quieuere viciſſim arma. Nec multò pòſt, Albertus viuendi finem faciens,dormiuit cum patribus ſuis. Eius temporibus monaſterium,nunc inſigne,Molenbeccenſe mutatum eſt, poſt canonicas excipiens fratres regulares,anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo. Nam ſub manibus dominarum dum labitur religio,omnia pariter collabuntur:ruerunt ædificia,perierunt prædia,ad mendicitatem verſa ſunt omnia: nunc ſub manibus fratrum regularium omnia refloruerunt.

*Epiſcopus ventri plus quàm religioni deditus.*

*Monaſterium Molenbeccenſe ſub virginibus collapſum ſub fratribus reſtauratur.*

# ALBERTI KRANTZII METROPOLIS, LIB. XII.

CAP. 1. 

VMMORVM pontificum,qui ad noſtra vſque tempora ſuperſunt,lineam exequamur: quòd omnis à capite edenda ſit ratio, vt pleniùs ſibi conſtet. Poſt longæuum ergo ſchiſma,quod duraſſet annis quadraginta, quum vtriuſque obedientiæ cardinales conueniſſent,opera maximè Sigiſmundi regis Romanorũ,congregata eſt ſynodus vniuerſalis in ciuitatem Conſtantienſem, vt eccleſia in capite & membris reformaretur. Ibi primùm de vnico

vaico pontifice, indubitato successore Petri deligendo, est deliberatum.

MARTINVS quintus, natione Romanus, familia Columnensi, *Odo* antè vo- 218.
catus, diaconus cardinalis de obedientia Gregorij, omnium cardinalium, nationum, & præfatorum consensu, in concilio Constantiensi deligitur pontifex: ibique rebus necessariis ad ecclesiæ compositionem constitutis, per Mediolanum, Ferrariam, Rauennam, venit Florentiam: Bononiam cuitauit. Ibi consedit duobus annis, deinde Romã expectatus venit: vrbem reformans, anno decimoquinto quicuit.

EVGENIVS quartus, patria Venetus, nepos ex sorore Gregorij duodecimi, 219.
à quo repugnans penè Romam ducitur. Primò suum fecit thesaurarium, inde Senensem episcopum, postea etiam cardinalem. Vir non magna literatura, sed integris sensibus. In principio pontificatus vacillabat, Romanos ad arma prouocando, & Basileensi concilio dedit authoritatem. Pòst meliori sensu omnia prouidit. Concilium Florentiæ peregit ad vnionem Græcorum. Vixit in pontificatu ad annum decimum sextum. *Episcopus quidem bene cordatus sed malè literatus.*

FELIX quintus, dux primus Sabaudiæ (nam antè comites erant) in concilio Ba 220.
sileensi depositio Eugenio, quorundam instinctu pontifex creatur. Vir prouectæ ætatis, iam seculo relicto, cum sex viris equestribus secedens mundo, seruire velut in eremò instituit Deo. Quum se audisset creatum pontificem, tonsus, multa statuta nobilitate venit: pontifex consecratur, diuinum peragit officium crebriùs, creat cardinales, nouem annis se pro pontifice gerit. Eugenio mortuo, cedit Nicolao, manens cardinalis legatus.

NICOLAVS quintus, Sarzana oppido Lucensis agri, patre physico, humili 221.
genere natus, non mediocri virtute & eruditione vir, vno anno episcopus Bononiensis, cardinalis, & pontifex creatur. Ita ascendit repente, vir certè dignus ecclesiastico throno. Doctus amabat doctos, ditauit, & in precio habuit: Græcè scientes honorauit, codices vndecunque pretiosos conquisiuit: multa exædificauit ad præsepe, & in palatio, quòd muris & turribus firmauit. Moritur pontificatus anno octauo.

CALIXTVS tertius, Hispanus, patria Valentinus, gente satis nobili, vtriusq; 222.
iuris acutissimus doctor; vir omni vita integer, in senecta vberi pontifex creatur. Turcorum acerrimus hostis, quibus bellum indixit pòst creationem suam. Misit legatum, qui biremes à se factas duceret. Excitauit principes Christianos, & infideles Persarum & Tartarorum reges. Plura facturus, si longior illi vita fuisset. Moritur pontificatus sui anno tertio. *Calixtus acer Turcorum hostis.*

PIVS secundus, patria Senensis, Corsinio ortus, Æneas Syluius antè dictus, cui 223.
Pij nomen congrueret. In concilio Basileensi enituit: Friderico Imperatori innotuit: ab eo in secretarium, deinde in consiliarium assumitur. Episcopus Tergestinus, inde Senensis, à Calixto cardinalatus in numerum vocatur, post cum creatus pontifex. Concilium Mantuæ celebrauit: bellum Turco indixit, quod etiam in persona obire decreuit. Vir facundissimus, Anconam delatus, moritur, anno pontificatus sui sexto.

PAVLVS secundus, natione Venetus, Eugenij ex sorore nepos, iturus in mer- 224.
caturam, quum audisset Gabrielem auunculum creatum pontificem, literis animum adiecit: & Romam profectus, primùm archidiaconus Bononiensis, inde episcopus Ceruiæ, postea cardinalis sancti Marci, inde pontifex creatur. Vir corpore speciosо, animo virili: diligens in colligendo auro, diligentior in distribuendis beneficiis. Quum sibi longam vitam promisisset, die quo lætus cœnauit, nocte moritur, pontificatus sui anno sexto. *Pontifex inopinata morte moritur.*

SIXTVS quartus, natione Ligur, patria Saonensis, ordine Minor, generalis 225.
in eo, per omnes gradus in ordine creuit. A Paulo cardinalis creatus, ei successit in pontificatu. Integer vitæ, & doctrina clarus, nepotes magnificauit. Romam antè sordidam purgauit, sacella erexit, hospitale sancti spiritus, & in eo fraternitatem instituit. Mariæ de populo, & pace, templa renouauit. Anno pontificatus sui decimo tertio moritur.

226. INNOCENTIVS octauus, patria Genuenſis, Ciborum antiqua familia progenitus, epiſcopus pridem Melphitenſis, à prædeceſſore in numerum cardinaliũ adopratus, in datariũ aſſumitur: inde mortuo Sixto, pontifex creatur. Longa infirmitate impeditus, multa quæ conceperat, implere non potuit. Ornauit pontificiũ palatio, domum ſolatij miro modo inſtruxit, Belluidere vocauit. Diuturnæ infirmitatis finem habuit mortem, anno pontificatus octauo.

227. ALEXANDER ſextus, natione Hiſpanus, patria Valentinus, nepos Calixti tertij: à cuius memoria, & ab adoleſcentia ſua in cardinalatu diu vicecancellarius, omnem curiæ Romanæ ſtatum, procurſum, & totius Italiæ principum & communitatum conſilia callens, pontifex maximas res gerit hodie. Potentes in vrbe familias exterminauit, omnes penè potentatus Italiæ, ex tyrannis conſtitutos, ſubuertit, per Cæſarem, quem ducem vocant Valentinum: cuius geniturам neque pater, neq; filius diffitentur. Exitum multi præſtolantur in orbe Chriſtiano.

CAP. 2. NEMINI dubium, ſæcula decurrere nutu vnicæ maieſtatis, per quam reges regnant, & potentes iuſta decernunt: cuius ordinatione in ipſo voluente ſeculo, magnarum & illuſtrium rerum authores inuenimus præſediſſe pontifices. Nam ad annum milleſimum quingenteſimum hunc cernimus Alexandrum incomparabilia per vniuerſam Italiam facientem. Quadringenteſimum tenuit Bonifacius nonus, is qui primus frenum iniecit, antè ſemper inſoleſcere Romanis ſolitis. Trecenteſimus fuit Bonifacij octaui pontificis, cuius animum orbis non æquauit, qui pontificalem & imperatoriam mitram adhibuit capiti, teſtatus duos gladios in manu ſua. Ducenteſimo præfuit Innocentius tertius pontifex, cui patem multa doctrina, rerum magnificentia, ætas illa non habuit. Teſtatur hoſpitale ab eo fundatum, & à Sixto renouatum. Centeſimum poſt milleſimum tenuit Paſchalis pontifex, inſignis ea calamitate, quam illi Henricus quintus Imperator ingerebat: qua tamen vicit illam ferociam, & confregit.

*Magiſtratus omnis eſt à Deo.*

*Bonifacius VIII. pontifex & imperator ſimul.*

CAP. 3. MAGDEBVRGENSIS eccleſia poſt Fridericum optimum & religioſiſſimũ pontificem, promeruit æquè optimum principem, D. Ioannem epiſcopum Monaſterienſem, quem capitulum poſtulauit, papa permiſit: ſed dilata eſt in ſecundũ penè expletum annum eius inthronizatio, ſiue diſcordia poſtulantium, quod non videtur veriſimile: ſiue difficultate conſenſus ex illo, ſiue intricatione rerũ in Romana curia. Omnibus his, aut quibuſdam ex his, cauſis protelatio facta ſit, introductus eſt magnificè, gubernauit eccleſiam ſecundum Deum & formam, quam præfiniuit illi prædeceſſor eius Fridericus. Erat hic Ioannes ex ducibus Bauariæ. Frater eius D. Stephanus, Colonienſis canonicus, marchio Brandenburgenſis, cùm induceretur, aderant. Gubernauit eccleſiam pacificè annis decem, & tranſiuit ad meliora. Durabat illo tempore grandiſſimum bellum, quod erat ciuitatibus Saxoniæ in duces Brunſwicenſes, Wilhelmum & filios eius, ob cauſam ratardatorum in vim repreſſaliarũ, de Lubica cum mercibus venientium curruum. Incendia multa fuere in detrimentum principum. Oppidum Hardexe cùm arce capitur: pauperes maximè, vt fieri ſolet, luunt peccata maiorum. Fridericus autem marchio Brandenburgenſis interpoſuit ſe medium, & vocatis partibus in Quedelinburg, finem bello fecit. Damnis damna ſunt compenſata. Neque mercatores, neque ruſtica plebs, vt conſueuit, conſolationem vllam inuenit. Ioannes archiepiſcopus, vt zelum iuſtitiæ in ſe monſtraret, expeditis, quantos potuit ſuorum, vnà cum Burgenſibus ex vrbe profectus, ad obſidionem arcis Caleſordc. Inerant miniſteriales, qui nuper pannos ingenti precio tenuerant, cauſam vndecunque quærentes. Brunſwicenſes cum ſuo principe erant in itinere. Stetit ſententia arcem ſubuertere, vt iniuriam publicam vindicarent: ſed priuſquàm illi aduenirent, pacti ſunt obſeſſi reddere quæ iure, vt ipſi dicebant, tenerent, & direpta, ad extremum perſoluere. Ita rebus compoſitis, redeunt in ſua, quiad oppugnandum exiere.

CAP. 4. LVBICENSI eccleſiæ tum poſt Arnoldum præficitur pontifex D. Albertus, cognomento *Krummedyck*, ex genere miniſterialium Holſatiæ, canonicus Lubicenſis, in Romana curia diuerſatus. Cum prædeceſſore ſuo in Pruſſia cauſam ma-

gni

gni belli contrectauit. Præfuit ecclesiæ per annos viginti tres. Operosus quidem pontifex, à capitulo dilectus, ibique consecratus. Qui regi Daniæ nimis ad obsequia volens, suæ proindæ ecclesiæ grauis & onerosus, nimiũ sumptuosus, & splendidus. Legationes regias obibat, suis & ecclesiæ impensis, quod ipsum questus est: sed nihil eo res facta est melior. Potuit aliquando quicuisse, sed rebus assuetus magnis gerendis, scipsum quandoque videbatur ingerere. Cognationem suam locupletare voluit, sed vnde posset, non erat. Argentum formatum, quod duo eius prædecessores donauere magno pondere ad decorem & institutionem pontificalis mensæ, cum cæteris auolauit. Non est quòd glorietur ecclesia, cius temporib. aucta ecclesiæ prædia, ditatam mensam episcopalem, extructas ædes, vel in curia Lubicensi, vel in arce Vtinensi. Benè haberet, si, quæ habuit antè, etiam post illum teneret. Viginti millia marcarum æris alieni relicta sunt in ecclesia, quum moreretur. Creditum est, eum mœrorem auxisse morbum, & fata eius properasse. Pij cordis videbatur pontifex, cunctis beneuolus, nulli negans audientiam, ad omnia verbo promptus, vt nemo duritiem eius quereretur. Constantia aliquando desiderata est. Memoriam sui reliquit apud multos creditores, qui quererentur, & optarent vnde suum reciperent. Exornauit tamen magno sumptu crucem Dominicã in ecclesia Lubicensi, quæ hodie insignis visitur in medio ecclesiæ, vbi etiam tumulatus quiescit. *Episcopus nimiis sumptuosus & splendidus.*

SVERINENSIS ecclesia post breuem Godfridi pontificatum, accepit episcopum præstantem virum, dominum Wernerũ, cognomento Wolmers, Hamburgi natum, eius ecclesiæ canonicum, virum industrium, in Romana curia diu versatum. Qui cum magna laude præfuit ecclesiæ suæ, multa extruens in arcibus ecclesiæ. Nullis magnis impendiis ecclesiam grauauit, mediocris in sumptu, & omni apparatu: prouidus in omni opere, modestiam vbique seruauit, nusquàm exuberauit. Vidit in sua ditione tempora tranquilla. Per cuius tempora Gerhardus de *Oldenburg* comes, in Holsatia omnes penè arces accepit in deditionem, præsumpta, vt credebatur, regis voluntate: & fuisset facilè Rex illum pro gubernatore in commodum regis omnia agere, nisi in sua ille commoda rem deriuasset, hæredem se prætendens nulla parte fratre longinquiorem. Quo com perto, rex ipse aduolans, Gerhardum in arcem *Segeberg* ad se conuocauit: ibique in libera custodia habuit, tenuitque donec omni se terræ gubernatione abdicaret: expromissam tamen illi pecuniam, ab incolis terræ collectam, iussit illi prouenire. Ita miseri agricolæ non solùm annuis censibus dominos alunt, verùm etiam pacem illis suo emunt sudore. Sed quum finem non faceret Gerhardus in Holsatia dominandi, perurgeretque militares terræ aliquando de armis cogitare, Lubicam illi petiere, intelligentiam & mutua fœdera certis pactionibus fecere in Gerhardum, quòd dissimulante rege hoc moliretur, vt omnibus modis humiliaret militiam eius terræ: cui præter antiquam Æsopi de ranis fabulam, nihil competentius poterat respondere. Traxerunt in eam pactionem etiam Thietmarsos, ne grauior illis incumberet Gerhardus, quem omnes per Holsatiam agricolæ miris affectibus coluere. Nam hodie etiam in senibus viget memoria, & desiderium Gerhardi. Quum verò dominationem suam in id erigeret, vt regem etiam fratrem posthaberet, non est passus ille iniuriam. Arma etiam propulsando Gerhardo intentauit, auxilio ciuitatum Lubeci & Hamburgi. Ergò inuitus cedere Holsatia Gerhardus: exinde cœpit hostem in aperto agere Lubecensium & Hamburgensium, quòd illum armis hæreditaria possessione pepulissent, facilè se cum germano fratre in gratiam rediturum, nisi ciuitates malo suo se interposuissent. Iam enim secura memoratis ciuitatibus ab illo erant omnia. Non fuisset fortasse rebus vrbiũ memoratarũ ad profectum alienũ, si illum in Holsatia cum fratre quomodo possent agere fuissent. Nam inde, quoties opus videretur, gratiam regis aucuparentur, vt tamen Gerhardum nõ offenderent: nunc verò paratum sibi suisque hostem extulerunt in eam regionem, vbi maximè nocueret. *Gerhardus comes Oldenburgensis Lubecensium & Hamburgensium hostis.* CAP. 5.

MONASTERIENSIS ecclesia, translatione domini Ioannis in Magdeburgam viduata, postulauit in episcopum dominum Henricum, Bremensem archiepi- CAP. 6.

scopum, ea lege, non vt administrator sit Monasteriensis, sed vt sit ibi episcopus, si volet & poterit: Bremensem, permittente summo pontifice, in commendam retinere, facilè passuros. Quid non facit ambitio secularis, & maioris respectus in seculo potestatis? Propter hoc confunditur ecclesiasticus ordo, vt maiori dignitate amissa, arripiat minorem, quæ secundum seculum maiori prouentu, & armorum maiori esset potentia. Ille quidem transibat in Monasteriensem, & Bremensem nõ reliquit. Idcircò ad annum Christi septuagesimum primum, Gerhardus de *Oldenburg* comes, iamdudum fratre Mauritio rebus humanis exempto *Delmenhorst* tutoris nomine pro fratris liberis gubernabat, & in Lubicenses atque Hamburgenses, iam (vt ferebat) hostes suos, crebra commeantibus damna ingerebat. Pertæsum est Henricum Bremensem administratorem eius rei: nec arbitrabatur ex sua esse dignitate, latrocinia in suo districtu permittere, inita societate cum memoratis ciuitatibus, quibus se Gerhardus hostem esse præ se ferebat: simul repetens ius ecclesiæ in *Delmenhorst*, quod prædecessores eius dissimulauere, comparatis armis & necessariis apparatibus, arcem *Delmenhorst* obsedit, fratre eius Gunthero omnia pro militiæ magistro gerente. Et erat expugnationis spes non tam in armis, quàm fame. Sed quum essent itinerum minùs periti, qui oppugnationem vrgebant, importati sunt commeatus, inuitis obsidentibus. Quod vbi compertum est, iam in longum duraturã obsidionem, pater Henrici administratoris, comes de *Swartzburg*, missis ad hoc nunciis, rem intercepit, & ad concordiam perduxit, vt Gerhardus itinerantibus præstaret incolumitatem: quod ille pollicitus, malè impleuit. Nam fisi ea tum compositione, mercatores pannos suos per terram vexere Lubicenses. Venit nuncius, ipse mercator ad Gerhardum, saluum postulans conductũ pro pannis qui essent in itinere, iñ promptu numerãs aureos quinquaginta dono: acceptisq; literis, velut benè gesta re, adduci curat fasces pannorum memoratos. Vbi venerant, iussit Gerhardus in arcem perduci. Exclamat mercator, sibi suisq; rebus saluum esse præstitum conductum, literas paulo antè datas ostendit. Ille refert, nisi literas tradidissem, non venisses: abi, plura allaturus: & tamen intelligere debes, literas meas loqui de amicorum, non de hostium, rebus: quo in loco mihi dudum fuere Lubicenses. Abiit ille mœstus.

*Arcem Delmenhorst obsidet Henricus administrator Bremensis.*

CAP. 7. VERDENSI ecclesiæ, tum cessione grandæui patris, domini Ioannis, viri nonagenarii, eius adoptione, & capituli consensu, Apostolica interueniente authoritate, præficitur insignis vir, dominus Bertholdus, genere natus ministerialium de *Landesberg*, pridem ecclesiæ decanus, prædecessoris sui authoritate, vtriusque iuris eminentissimi doctoris, promotus in Decretis licentiatus. Anno septuagesimo, die decima octaua mensis Maij, à pontifice Paulo ad ecclesiã Verdensem promotus. Eodem anno in die Simonis & Iudæ Apostolorum, in ciuitatem & ecclesiã Verdensem honorificè susceptus, admissus, & inthronizatus est, regimenq; & administrationem ecclesiæ, quam iam duobus proximis annis, vt commissarius domini Ioannis prædecessoris exercuit, tunc vt verus pastor deuotè & humiliter inchoauit, pacem bonam ecclesiæ cum Dei adiutorio procurando. Post duos deinde annos, cùm domino Henningo, electo & confirmato Hildesemensi, quod statim dicemus, maxima controuersia excitaretur, hic aduersus omnium ministerialium ecclesiæ Hildesemensis, qui multi ac potentes sunt, voluntatem ad ciuitatem & ecclesiam quadringentis equis potenter introduxit, & posteà idem potenter ac fideliter adhæsit, quoad præfatus Henningus episcopus, propinquus eius, victoriã de hostibus sine contradictione possideret: licet ministeriales ecclesiæ suæ multa in eum mala sint machinati, potentes principes in eorum subsidium aduersus illum inducentes. Primò quidem D. Hermannum, prouincialem comitem Hassiæ, deinde ducem Magnopolensem, contra quos præfati episcopi Verdensis & Hildesemensis arma sumebant: & in subsidium aduocauere dominum Wilhelmum patrem cum filiis, duces Brunsuicenses. Idem dominus Bartoldus posuit primum lapidem in fulcienda parte occidentali, in ecclesia Verdensi. Adauxit prouentus mensæ episcopalis ducentis annuis marcis, apud senatũ Luneburgensem, prout in literis desuper datis plenius continetur. Idem pontifex arcem *Rodenburg* robustis-

robustissimo aggere communiuit,& fossatis penè insuperabilibus cinxit. Portam quoque nouam munitissimo opere,quæ ducit in oppidū, exædificauit: intus quoque firmauit ædes & ornauit. *Arx Rodenborg & tota fossis & communitur.*

HILDESEMENSIS ecclesia,moriente Ernesto,quum de successore ageretur, mirabiliter cœpit fluctuare,quum eligentium vota se diuiderent. Nam maior pars elegit D. Hermannum, Hassiæ comitem prouincialem, nunc ex multis annis archiepiscopum Colonien sem. Minor pars vota contulit in dominū Henningum decanum, cognomento de Domo. Hermannus quum veniret ad propinqua loca, videretq; paratū bellum, ob eam rem retraxit pedem, nolens implicari tantis malis. Interim Henningus vrbem Romam petens, qualicunque prætensa forma, obtinuit confirmationem à sede Apostolica: consecratusq; ibi rediit episcopus, & (vt statim annotauimus) armis propinqui sui domini Verdensis, & quos habebat in diœcesi amicos, fauore etiam ciuitatis, introductus est. Interim arces ecclesiæ seruabat præpositus cum ministerialibus ecclesiæ, & conuocans capitulum in tempore, postularunt in locum recusantis Hermanni, dominum Balthasar, iuniorem quàm vt eligi posset (nam & ecclesiam Suerinensem tenebat in commendam) ducem Magnopolensem, qui armis fratris introductus, consedit cum præposito in oppido & arce *Peyne*. Interim durum bellum exurgit. Erant tamen qui in vrbe laborarent inter Henningum & Balthasar memoratos, quandam fieri transpositionem, vt Henningus, dimissa in manu domini ducis Balthasar ecclesia Hildesemēsi, ipse transferretur ad Suerinensem. Sed defecerunt morientes in vrbe, qui eam rem promouerent, vt perficeretur. Durissimo interim bello intra diœcesim conflixerunt, leuibus præliis sæpè concurrentes. Ciues Hildesemenses vt suo Henninge gratificarentur, obsidione cinxerunt proximam vrbi arcem *Stuerwold*: & anno integro continuantes, fame pepulerunt custodes ad deditionem. Henningus illuc introducitur, & permansit in ecclesia sua septem annos. Tum quieti suæ cōsulens, voluntate omnium ministerialium & capituli, permisit ecclesiam suo cognato episcopo Verdensi, qui eam (quod dicemus) multis annis cū laude gubernauit. Henningus quieti se permisit, collocans se in arcem vnam illi permissam, cum reseruatione condigna ad vitam transigendam. CAP. 8. *Arcis Stuerwaldiæ custodes, hostibus se dedunt fame coacti.*

SVERINENSEM per eadem tempora ecclesiam, morte Werneri vacuatam, accepit commendatam illustris dominus Balthasar, dux Magnopolensis: præfuitque non multis annis, cùm illi spes de locupletiori Hildesemensi affulsit. Pro qua contentione armorum cum capitulo & ecclesiæ ministerialibus diu bellum gerebat. Sed cùm videret ad infinitum sibi esse contendendum armis, nec cerneret quem optaret exitum, haberetque in animo finaliter ab ecclesia declinare, & ad vxoriam vitam inclinabat, dimissa ecclesia Hildesemensi, reuersus est ad suæ Suerinensis administrationem: quam tamen non diu post & ipsam deseruit, accipiens coniugem, fraternæ vxoris germanam sororem. Vacabatque ecclesia ad nouam electionem. Quo tempore, mortuo Olrico Principe *Stargardiæ*, quem ducem appellauere: non quòd ducatus ille sit, sed quoniam conuentione inter se mutua conuenerant duces Magnopolenses, & Principes *Stargardiæ* & *Wandaliæ*, vt, qui sine liberis decederet, alteri relinqueret terram possidendam: commutarunt etiam titulos, vt iam viuentes principes *Stargardiæ*, dicerentur duces Magnopolenses, & vicissim ipsi duces, se scriberent principes *Stargardiæ*. Quocirca cùm principatus Magnopolensis iam multiplicatus inter plures diuisionem pateretur, inde permotus Balthasar, dimissa ecclesia, coniugium iniit. Conuenit tamen inter fratres, vt neque ipsi ditiones partirentur, sed communibus auspiciis gubernarent: quod in hodiernum diem ita obseruarunt. Quanuis opportunè acciderit huic ordinationi, quòd memoratus dux Balthasar nulla ex coniuge prolem susciperet: alioqui ipse successionis respectus inter fratres partitionem ditionum deposceret. Sed hæc interim. CAP. 9. *Dux Magnopolensis, episcopatibus relictis vxorem ducit.*

RACEBVRGENSEM autem ecclesiam morte Ludolphi viduatam excepit memorabilis vir, dominus Ioannes, cognomento *Stalkoper*, vir plebeio genere, sed medicinæ artis professor insignis, frater conuentualis in ea ecclesia, vir quietus, & CAP. 10.

(vt habebatur) locuples, qui artis suæ industria aurum conquisiuit, quod superioris sui voluntate in peculio & dispositione retinebat, cunctis non aliud præsumentibus, quam vt in ecclesiæ vtilitatem verteretur: nec aliud erat expectandũ, nisi casus interuenisset, quem præuidere nemo poterat. Deposuit enim pecuniã Lubeci apud ecclesiasticum virum, diligentissimum suarum rerum custodem, cũ quo vetus episcopo familiaritas intercessit. Depositarius eam in abditissimo loco supra caput suum dormientis collocauit, vbi nemo pecuniam recondi suspicaretur. Sic enim solent etiam auaritiosi custodes rerum suarum recondere locis inopinabilibus. Nam seras & clausura vel confringere, vel aliàs reserare, artis censetur industria, quæ à fabris ferrariis iam manauit ad multos. Suboleuit ex familia cuidam, reposituram ibi esse grandem pecuniam: is ascito foraneo, quem nouerat, socio, obseruabat tempus, quo in ecclesia depositarius esset occupatus. Confregere tectum, & inde subducto thesauro, abierunt vsque in Westphaliam: ibi sequẽtibus quibusdam ob eam rem missis, alter ex illis deprehensus, suspendio necatur in *Kloppenborch*. De furtiua autem pecunia incertum, si quid, aut quantum redierit. Depositarius is erat homo syncerus, talisq; fidei, vt nemo de illo malè suspicaretur. Nam effracto domus tecto, res eius saluæ non permanserunt. Ecclesia Raceburgensis damno feritur. Tradunt, eundem episcopum per occasionem sponsaliorum improuidè emissorum, de quibus posteà pœnitebat, ingressum ac professum ordinem, passum sibi desponderi personam pro suo gradu honestam, & se dignam. Sed vbi in mentem secus iam profundius descendisset onus matrimonij, retrocessit: & pœnitẽtia ductus, professione regulari rupit sponsalia antedicta, proficiens ad episcopatum, in quo dignè versatus, permansit in finem vitæ, appositus ad patres suos in senectute bona.

*Episcopus ob onus matrimonij rumpit sponsalia.*

CAP. II. HENRICVS interim Monasteriensis episcopus, administrator Bremensis ecclesiæ, ad annum septuagesimum quartum, cum Gerhardus de *Oldenborg* comes, finem non faceret rapinarum terra mariq́ue, renouata societate belli cum ciuitatibus, quas Gerhardus sibi duxit hostiles, expeditionem in Gerhardum renouauit. Deiectum primò præsidium, quod ad Visurgum fluuium ille erexit. Capta est tum quoque arx eius *Herpstede*, cum pertinentiis suis, bona terræ illius præfectura. Obsessum oppidum *Oldenborg*, & quatuordecim diebus oppugnatum. Gerhardi arma tanta non sperauit, vt illi viribus se opponeret. Interuenere vicini, episcopus Osnaburgensis & Verdensis, comites de *Hoia*, de *Tekeneburch*, ne ad omnimodã eius euersionem pugnaretur. Conecta primùm res in treugas. Constituta dies ad conuentũ: Gerhardus tamen ipse non aderat. Sumpta est dies alia, quòd qualicunque ratione prætensa excusauit necessariam absentiam. Prolongatæ treugæ in diem Walburgis, sed nihilo quietior Gerhardus erat. Interim germanus eius rex Daniæ Christiernus, ab vrbe Roma, quam inuiserat, descendit: & cœtu principum ad se Coloniam vocato, Gerhardum fratrem inter alios iussit adesse, vt in castris suis conuenirent Carolum Burgundiæ ducem, quæ tum ad Nussiam habebat, si posset tam graue intercipi bellum. Sed tum cassus fuit labor, & tamen impensæ non mediocres fuere venientium principum de longinquo. Reuersus in sua Gerhardus, Frisiis bellum intentauit vicinis, immisit satellites, qui prædam inde educerent. Ingentem quidem contulerunt: sed exituri, inuenerunt septum vndique aditũ armis. Ibi Frisij aggressi prædatores, ducentos & quinquaginta oppressêrunt. Erexit denuò Gerhardus præsidium ad Visurgum. Bremenses adnauigauere, & expugnata munitione, viginti quinque satellites ibi repertos, iam criminum reos, gladio ceciderunt. Annus tum erat septuagesimus sextus, cùm Gerhardus hostilitatis suæ in Bremenses finem non faceret. Renouabat Henricus Bremensis administrator, ope Monasteriensium, expeditionem. Ductum est in terram palustrem, quam vocant *Auerland*, & ingens inde extracta est præda. Iam omnibus expilatis, abire decreuerunt. Tum Henricus administrator admonuit Bremenses, vt, relicto cõpendio, quo ire decreuerant, secũ tuto itinere circuirent: néve se in angustias conijcerent, vnde exire non possent. Sed illi freti armorum multitudine, quòd totius terræ satis essent viribus, recto in

Bremam

Bremam itinere ibant malo suo. *Morn* vocant, angustum terræ exitum. Pauci ex Frisiis de latere, primùm cœptauere pugnam longo ordine, vt erat propter angustiam itineris necesse, ibant Bremenses. Cæsi, qui primi venerant, clamorem excitere. Quid facerent? angusto itinere neque cedere, neque fugere, neque retrò licebat ire, quòd currus medij impleuere omnia. Ibi fœdissima strage sunt cæsi Bremenses: qui superfuere cædi, capiuntur, & in *Delmenhorst* pertrahuntur, ingenti pecunia in eorum redemptionem Gerhardo persoluta. Hunc exitum habuit temeritas malè festinantium in patriam, quando licebat securo itinere per circumactum transisse. Hac fretus victoria Gerhardus, insolentior factus est, adiecitque vt caperet quotquot in vrbibus *Lubeck* & *Hamburg* vel originem haberent, vel domicilia, vel societatem fouerent. Viginti vnus mercatores iam in carcere eius fuere: & facta multiplici instantia, cùm septem essent pannorum fasces, adiecerunt pro sua redemptione sex millia aurcorum. Abeuntibus per iocum dixit: Ite, & aliis insinuate, vt redeant: insultans stultitiæ eorum, quòd manus eius non euitarent.

*Qui Bremenses fuerunt, capti, ui abducuntur.*

HENRICVS autem administrator Bremensis, quando Gerhardus toties cõmonitus non resipisceret, vt finem malorum faceret, ipse quoque expeditionem in eum renouauit. Anno enim septuagesimo secundo ducens in eum, aliquot munitiones eius deiecit. Periit ibi Hamburgensium capitaneus, ponte à suis inconsultè detrusus. Capta est arx *Westerburch*, ad Dominicam Quasi modò geniti. Sed nulla erat spes tranquillitatis, nisi Gerhardus *Delmenhorst* depelleretur. Iam filius fratris eius Mauritij Iacobus adoleuit: quem etsi pertæderet bellorum, gustans tamen prædæ dulcedinem, maluit adhærere patruo, quàm subesse archiepiscopo: quem Gerhardus crebriùs insultans irrisit, atramentario commemorato. Tum verò Henricus omnium armorum copia ex diœcesi Monasteriensi producta, quando Bremenses & ministeriales & ciues, iam bello fessi arma posuere: hoc solùm permittentes, vt ex sua ciuitate exercitum pro suo iusto precio aduherentur necessaria. Cœpit iam euastatione latè facta, obsidere arcem *Delmenhorst*, fratre Henrici Gunthero comite, quem prouisorem dixere, omnia in castris pro magistro militiæ gubernante. Nulla erat in expugnatione armorum spes: tanta est aquarum, atque latè circà paludum munitio, tanta inuiorum securitas: in sola fame stabat fiducia. Igitur omni parte obsidione firmata, omnes exitus & aditus, quantum poterant, præstruxere: diligentissimè prouiderunt, ne quis vlla de parte vel minimum importaret. Inerat arci non contemnenda manus militum, qui etiã ausi erumpere, proximis conflixere. Administrator autem cum fratre prouisore relicto, ad obsidionem sufficientibus copiis, ne ocio torperent, alias duxit *Oldenburg*: & institutta oppugnatione, videbatur Gerhardus cum filiis & Iacobo Mauritij filio rebus diffidere. Itaq; emissis Henrico oratoribus, obsecrabant, ne innoxios Gerhardi filios de paterno scelere faceret exhæredes: ipsum Gerhardum paratum arce discedere, & omni administratione abstinere, viuentem in monasterio quietem agere: tranquillitatem vitæ inire conuersum ad Deum, præteritorum emendationem facere: ipsam arcem ex illo die in potestate ipsi fore, vt quoties velit apertam illi domum esse. siue in pace, siue ad hostes ea vsurum. Placatur Henricus, & reducto inde exercitu, redit in castra ad obsidentes. Ibi Gunthertus frater, quem prouisorem dixere (erat enim in Moguntina diœcesi prouisor eius partis, quæ *Exfeldia* dicitur) olim à ducibus Brunswicensib. transyluanis diuendita ecclesiæ Moguntinæ, per Ottonem illũ, qui peruenerat in regnum Neapolitanũ. Tum Guntherus, vir armorũ peritissimus, audentiùs quàm cautiùs hostibus se opponit, plumbino ictus de bombarda iaculo, breui spiritum exhalauit. Sed nihil segniùs, imò etiã inde indignatior episcopus, obsidionem vrgebat. Extracta est autem obsidio per autumnũ atq; brumã ad vicina veris: famis extrema perpessi sunt, si qua aliunde spes affulgeret soluendæ obsidionis. Sed vbi spei nihil erat reliquum, iam omnibus absumptis, deditionem fecere qui inerant, pacta incolumitate & armis. Igitur ipso die sanctorũ Fabiani & Sebastiani arcem deditã Henricus ingreditur, abire permissis qui tuebãtur. Tum verò puella Mauritij comitis filia abstrahi non

CAP. 12.

*Arx Delmenhorst ob aquarum & paludum copiam munitissima.*

passa eiulabat: esse suum patrimonium, nullo se demeruisse crimine, vt suum amitteret sine culpa. Henricus episcopus, arcem belli iure captam, suam eam esse respondit: iret quò liberet, secum haberet omnem vestem, & omnem mulierem ornatum cum omni sua supellectile. Illa pertinaciùs renitente, auersus episcopus iussit inuitam cum rebus abduci. Igitur arcem tum reparabant, & signis ecclesiæ Monasterienſis de summo extentis, quòd illius ditio esset armis occupata, sancto illâ Paulo addixit. Bremenses, quòd nihil operis contulissent, causare non poterant: sed manet querimonia eorum qui extant, necdum iure eorum, vt arbitrantur, abolito. Ecclesia quoque Bremensis, si aliquando melioribus vsa armis conualuerit, sui iuris non obliuiscetur. Sed hæc missa sint.

CAP. 13. MONASTERIENSEM ecclesiam, quam tenebat in titulum memoratus D. Henricus episcopus, etiam quotidiana mansione decorabat. Ibi versabatur totis annis, rarò Bremensem inuiserat, omnia quæ iuris illius essent ex Bremensi ditione, in aliam aduehi curauit. Interim arces, præsidia, molendina, & quæcunq; iuris essent episcopalis in Bremensi diœcesi, nemine ad annũ curante, perierunt. Destituta sensit ecclesia quòd curatorem fidelem nõ haberet, faciebat quisq; quod sibi rectũ bonumq; videretur. Ministeriales suo ordine, & vicissim ecclesiastici suo omnia vendicabãt, nec ciuitas obliuionem egit sui iuris coaugendi, vt fieri solet per absentiã pontificis. Si quando in prouinciã post biennium vrgenteque Henricus, omnia in celeritate erant: festinabat enim redire: pacem tamen & securitatem publicorũ itinerũ ita seuerè iussit asseruari, vt ex eo tempore, quo ille *Delmenhorst* teneret, ne auditum quidem sit quenuis obgannire transeuntibus, quæ prima eius laus est. Peruenit autem viuendo ad annũ XCVI. & tum viuendi finem faciens in ea pace quieuit, postquã ecclesiæ Bremensi annis XXXIII. præfuisset, & Monasterienſi vnà cùm Bremensi iisdem XXX. Sequuta sunt illa statim tempora in diœcesi Bremensi, vt magnis desideriis quæreretur Henricus. Sic se res habet præsentia dum sunt in fastidio, sit vt redeant in desideriũ subtracta. Sed hæc alij alias.

*Viatorum sub episcopo Bremensi securitas.*

CAP. 14. MAGDEBVRGENSI autem ecclesiæ post Ioannem & Fridericum religiosissimos pontifices, præficitur postulatione capituli illustris D. Ernestus, annis pontificalibus minor, filius D. Ernesti ducis Saxoniæ, Misnæ marchionis, Comitis Thuringiæ prouincialis: & dispensatione Papalii interueniente, introducitur administrator vsque ad annos legitimæ ætatis. Principe potenti opus videbatur in eam ecclesiam, quòd videbatur sub minore non stare obedientia ministerialium & vrbicorum, ea quidem in Hallensibus proximè patuit. Nam tumultuante intus ciuitate, primariis aduersus plebem, proprietarij fuere sartagium in salina eius vrbis, honestum diu collegium, sed per opulentiam insolescens: non videbantur quiescere in opibus & vitæ deliciis, nisi etiam aduersus plebem superbirent, omnia in sua commoda vertere videbantur. Id cùm boni viri ex plebe ferrent indignè, oppositere se maioribus: & indignatione concepta, armis correptis libertatem defensitabant. Stabat diuisa ciuitas, archiepiscopus imploratus à plebe, superuenit, & quod Æsopiana habet fabula, murem ac ranam colligatos, vt tranarent, pariter abduxit, hoc est, proprietariis & plebi durus erat. Magnam salinæ partem in ecclesiæ opus conuertit, constituitque à se peti vacuatarum possessionem. Ita per ipsorum ciuium instantiam & propriam inter se tumultuationem, libertas vtrorumque magna ex parte est correpta: cœpitque extruere ad mœnia insuperabilem arcem domatricem in futurum insolescentiæ excrescen- firmata, cui Ecclesiæ altera non inde longè permaneat, ex antiquis temporibus ibi tis, cum arx nomen *Gebekenſten*.

*Intestina discordia libertatis amissio.*

CAP. 15. HALBERSTADENSIS inde ecclesia post annos quatuor per Gebehardũ iam grandæuũ, & ab ætate sessum pontificem, permittitur gubernaculis eiusdem Ernesti, & authoritate interueniente Apostolica, primam tenet in titulum, alterã in commendam. Ita vadunt res hodie, dum in pontificibus non iam religio, non doctrina, non vitæ sanctitas, sed secularis quæritur potentia, ad edomandas vires insurgentium ecclesiis ministerialium & vrbicorum. Ita proteruitur vbique, vt quem non gladius terret temporalis, neque timor Dei, neque vllius iusti respectus

*In episcopis nõ religio doctrina, sed potentia quæri solita.*

detinet

detinet ab oppressione cleri. *Halberstadenses* iam in vertiginem versi, inter se tumultum agebant, consulares videbantur non rectè ad ministrare rempublicam. Ciues hoc emendare conati, in eos arma verterunt. Ernestus episcopus, & pater eius Ernestus, illa qualibuscunq; oculis obseruantes, tempus esse rati sunt, quo intetuenirent pro suo iure, ad iniicienda frena libertati, quæ in ciuibus esse nimia putabatur. Iudicium & iurisdictionem in pignus tenuere ab episcopo, nec requisiti redemptionem sinebant, talia exquirebantur ad iustæ oppugnationis colorem. Obsidionem fecit vrbis episcopus, tonat bombardis, deformat muros & mœnia, vrget, minatur, & extorquet quæcunq; mandauerit in eam vrbem expleri. Tradunt victi manus, quippe qui nisi pareant, vrbem exire, agros colere, ire ad negocia non sinantur. Mittit deinde episcopus idem armigeros, vt educatur quidam ex canonicis, cui malè vellet. Vincitur, extrahitur: sed superuenere scholastici, chorales numero viginti quatuor, barbati & interriti viri, fustibus vrgent armatos vinctum dimitti. Et loci decanus, natus comitibus de Quarford, manum deposcit ab eius facti primipilario, & iure militari cogitur expromittere. Ita inermis, religione sola vestitus, armatos cœpit habere captiuos.

SVERINENSEM ecclesiam, posteaquam eam dimisit dominus Balthasar, excepit gubernandam dominus Nicolaus, cognomento *Pentze*, ex ministerialibus terræ natus, electus à capitulo: vir grandæuus, & regendis monasteriis in illũ diem exercitatus, vocatus ad hoc ministeriũ ecclesiæ, iam ære aliquanto grauatum alieno, quòd nummatus bene & locuples crederetur. Sed non is erat apud virum, qui putabatur, thesaurus: vnde ecclesiam triennio gubernauit tranquillè, neq; diminuens, neq; augens illius prouentus. In Franconia, quam (inquam) ita vocant ad discretionem Galliarum, quæ verum Franciæ nomen rapuit, Francia dicitur veteri & vero vocabulo, prouincia Teutoniæ inter Sueuos & Saxones. Sic enim appellauit diuus Hieronymus in vita Hilarionis: ita cæteri scriptores antiqui. In ea Francia tum motus erat religionis quidam insolitus. Tympanista quidam bubulcus, aut subulcus, mentitus sanctitatem, cepit audaciam concionandi in clerum & principes, quòd vita eorũ peruersa Deum auerteret à populo, nec audiret preces sacerdotum, nec reciperet ab his sacramenta plebi distributa: principes errare, & populo sine causa contra iustitiam telonia & vectigalia imponere, vt vsum itinerũ & aquarum natura liberum, illi grauarent. Ea sibi per diuam Mariam, vt publicaret, esse mandata. Cœpit frequentari, concurrebat ex omnibus agris, vicis & ciuitatibus, magna frequentia. Norenbergenses tamen magnis constitutis pœnis vetuere, ne quis ciuiũ aut habitatorum eò contenderet. Rodolphus episcopus Herbipolensis eò mittit armatos, & authorem malorum abreptum in vrbem, iussit cõcremari. Vides miram hominum audaciam. CAP. 16.

*Nicolaus Pentzius ob nummorum copiam fit episcopus.*

*Bubulcus concionator.*

HILDESEMENSIS ecclesia necdum ex sua perturbatione sub Henningo episcopo conquieuit: neq; enim ministeriales, neque de capitulo multi illum suauiter ad spectare: ipse q́ue laborum festus, & quietis appetens, cùm de competenti sua prouisione iam constituisset cum Bartoldo Verdensi episcopo, propinquo suo, & qui illi fidelis proximo bello adstitisset, illi Apostolica interueniente authoritate cùm faceret Bartoldi translationem, permisit Hildesemensem ecclesiam, Verdensi tamen manente, quoad viueret, in eius commendatione, & gubernatione. deinceps ambas omni cura & circunspectione gubernauit. Nascitur illi bellum post aliquot annos cum sua ciuitate Hildesemensi, plus iuris sibi vẽdicante pontifice, quam ab olim habuissent prædecessores. Arbitratæ sunt cæteræ ciuitates initium hoc esse multarum rerum, in vrbibus per principes nouandarum. Igitur cõmuni consilio suscepere bellum. Henricus dux Brunswicẽsis, Wilhelmi filius, iam gubernaculis à patre acceptis, partem episcopi defendit: magnis vtrinque motibus concurrere. Miserunt ex suis quique vrbibus arma: & magno exercitu cõflato, expugnauere oppidum *Sarsede*. Dux Brunswicensis cum expedito agmine non longè tendens, expectauit euentum, nõ ausus inire prælium cum oppugnantibus, quòd longè præstarent numero. De *Retberg* comes cõductus stipendio ciuitatum, quadringentis ad præliũ ductis, septus ibat *Petrehyldesheim*. Henricus dux præmo- CAP. 17.

nitus, venienti se obiectabat: & commisso prælio, comitem cum omni suorũ manu captum abduxit, mirantibus cunctis, quòd in ea tam docta manu armigerorũ, nemo in pugna cecidisset. Igitur capti suo se ære redimunt, querulante comite quòd pacta illi non ex fide sunt impleta. Bertoldus autem composita pace, deinceps nõ modò ipse tranquillus vixit, verùm multos dissidentes ad pacem reduxit. Vir magnis naturæ dotibus præditus, procera longitudine, & excelsa statura: humanitate pleno vultu, singulari ingenio, dexteritate pollebat eloquentiæ, & principibus & vicinis vrbibus charus. Vixit ad annum millesimum quingentesimum secundum, in vigilia Dominicæ ascensionis deficiens in arce *Rodenburg*, tumulatus in ecclesia Verdensi: cuius memoriã hoc epitaphio, pro insigni in me affectu, perennandam putaui: Memoriæ dignissimi præsulis domini Bertoldi de *Landesberg*, militari genere nati, optimis moribus & literis imbuti, quem rege digna proceritas, egregius animus, singulare ingenium, eloquentia non vulgaris, virtus eximia, exquisita in cunctis eminentia antecessori suo commendabat, vt illum adoptaret in ecclesia Verdensi filium, Papa consecrari iussit episcopum: sed maiori dignum loco abripuit Hildesemensis ecclesia, cui cum summa laude præfuit annis viginti duobus, priorem retinens commendatam, quam antè solam annis decem gubernauit: hoc sacrum ponitur.

10

*Bertoldi Hildesemensis epitaphium.*

CAP. 18. RACEBVRGENSIS ecclesia post Ioannem, alium accepit Ioannem etiam nunc episcopantem, genere ortum ministerialium, cognomento *Barkentyn*, electum à capitulo. Qui cum duce Magnopolensi Magno Romã petens, factus est Apostolicus executor Apostolicarum literarũ, super nouo collegio *Rostochij* fundato: aduersus quam rem oppidani se erexere cum multis aliis, omnia interpretantes fieri ad iuga illis imponenda, & ad minuendam pessimam, qua sæpè abutantur, libertatem. Optimum factu erat, iustitiam & modestiam in vrbibus dominari: sed ea res aliter consipicitur. Vbi principes libera potestate dominantur, multa fiunt per potentiam dominantis: nec res meliores sunt, vbi vrbici liberum tenent imperium, si non alios, certè in clerum superbientes. Sed hæc alibi per alios. Furem in arte conspicuum, in sua diœcesi deprehendit hic pontifex, sacerdotem, qui ordinario processu sua furta per vrbes explcuit, digesta habens omnium nomina locupletum, quibus minabatur, eos debitorum loco inscripsit libro suo rationali. Vbi furta expleuit, ibi soluisse signauit, numero adiecto. Omnis generis supellectilem comportauit: sacerdotis, mercatoris, rustici paratas vestes domi habuit, honesta per diem conuersatione *Wismariæ* diu commoratus, vsquequò, vt pastor ecclesiæ illi nonnunquam permitteret prædicationis aut Missæ officium in ecclesia. Depræhensus scalatur, & in *Schonenberg* carceri inclusus moritur. Idem pontifex Ludouicum de Pino, medicũ doctissimũ, quem de hæresi suspectũ habuit sibi aliunde per quendam Cyriacum de *Bizsmanck* Sueuum, ad quem Sueuus ipse Ludouicus confugerat, per eundem territurus nonnullos suos in vrbibus debitores. Is cùm nõ ignoraret episcopũ homini esse infensum, cum ex eo quę veller accepisset, misit in *Schonenberg* asseruandũ. Illic nõ inuitus accipit hominem grandæuum, podagricũ, exesum morbo. Vinctum habuit, & in vinculis periit nocte Laurentij, anno XCVII. quem sibi fatalem ille prædixerat. Huius pontificis temporibus proiecta est religio Præmonstratensiũ, quã vsque in hunc diem habuerunt. Apostolica dispensatione facti sunt canonici seculares, veruntamen professi regulã, à substantialibus nõ absoluuntur. Interiorem vestem nõ mutant, assumuntur seculares personæ canonici. Erigitur archidiaconatus in ecclesia: prior fit decanus, fit decanonico non canonicus: hoc est, de regulari non regularis: canon enim est regula.

*Sacerdos quidam subripiens de Racebvrgensi fur insignis.*

CAP. 19. MINDENSI ecclesiæ post Albertum præficitur Henricus, natus comitibus de *Schowenburg*: qui in ea præsidet cum summa laude in hodiernum. Vir tranquilli animi, modestus, pacificus, & qui nulli vnquam detrimento fuit, ita versatus inter 1480. omnes sine querela. Hoc tempore ad annũ MCCCCLXXX. Rhodij milites Hospitalarij, cùm post expugnationem Constantinopolis pacem nunquam habuissent, sed cõtinuis motibus vicinarũ partium, tum etiam in se factis cõcursibus sæpè maguis viribus hosti sint Christianitatis Mahometi, Turcorũ Imperatori, conflictati,

qui

qui post tot ingentes victorias animo inflatior, despiciebat paruam insulam suis victoriis repugnare. Angebaturq; animo, illam penè solam inter tot deuictas vrbes conspicere Christianam, imperia sua contemnentem. Igitur ingenti classe, maximaq; bellatorum via ad annum LXXX. Rhodum petiit, militeq; in terram exposito, primùm in monte S. Stephani, & circa eius montis colles, est castrametatus, & per tres fermè menses vrbem bombardis missilibusq; aliis indesinenter per duces suos lacerauit, & oppugnauit. Verùm magnus Rhodiorum militum magister, vir prudentissimus, integerrimus ac magnanimus, suę virtutis magnum dedit experimentum. Diuina enim illum protegente clementia, Turci prælijs funduntur, propulsantur, cęduntur, tantoq; impetu, domino formidinem immittente, terga vertunt, vt necem sibi ipsis afferrent. Fama satis constans est, Turcos visionis miraculo conterritos, cùm cælitus immissi milites Turcis terrori, Christianis fuere miraculo. Hanc victoriam non sibi magister ac suis, sed cœlo tribuit. Exactis igitur octoginta nouem diebus, Imperator Rhodiorum littore classem soluens, Pelusium nauigat, illic militem & impedimenta exonerat: vbi vndecim dies moratus, ad domesticos lares cum clade & ignominia reuertitur, breuiq; finem fecit viuẽdi. Petrus autem magister, Sixti Pontificis & cæterorum pecuniis adiutus, insulam & vrbem quassatam reparat, facitq; Rhodum celebriorem. *Turci prælijs victi sibimet-ipsis mortem inferunt.*

SVERINENSEM ecclesiam breui Nicolai pontificatu viduatam, regendam accepit dominus Conradus, cognomento Loften, Wismaria ortus, atq; in vtroq; iure doctus. Vir benè nummatus, annis multis grauatus: cùm non diu crederetur superfuturus, sedit in annum vigesimum, adhuc spirans ad Dei beneplacitũ. Multa ille ecclesiæ prædia pignore obligata, aut ære grauata alieno, redemit, & ecclesiæ libera reddidit. Hydruntum Apuliæ ciuitas maritima, ab exercitu Mahometi Turcorum principis oppugnata diu, capitur, cùm eius exercitus à Serfona in Apuliam transuectꝰ est. In colle qui vrbi imminet, hostes sunt castrametati: vallo & fossa munitissimum Hydruntum obsederunt, vt nulla spes auxilii ferendi remaneret. Tandem diruptis mœnibus, ad vesperam extracta pugna. Superati Hydruntini, ingressi vrbem Turci, archiepiscopus capitur, trucidatur, nec verbum sonat ex ore. Qui in hostium manus peruenerunt, omnes capite plexi sunt. Hydruntinorũ dux captus, exarmatus, medius est prosectus. Supra duodecim millia perierunt, euaserunt tamen bis mille & ducenti. Potiti prima victoria Turci, cœperunt statim vicina oppida solicitare ad deditionem, in primis Leucen & Tarentum. Infelix Apulia tota cessisset, nisi mors interuenisset Mahumetis. Quo mortuo, Alfonsus dux Calabriæ iam Turcis insessam vrbem obsidione cinxit. Turci vbi accepere principis obitum, sibi diffisi, saluis rebus suis, deditionem fecere. Qui vrbem ingressus, reparauit, & ex Turcis quidam in eius obsequio remanserunt. CAP. 20.

OSNABVRGENSEM ecclesiam per idem tempus insignis & nobilis vir, dominus Conradus, natus comitibus de *Retberg*, accepit, pontificio ibi præditus honore, electus à capitulo: vir industrius & humanus, maiori etiam loco dignus. Ecclesiam vsq; hodie non sine laude gubernauit, iam sedens in Monasterienſi, hanc tamen retinet, vt nunc mos habet, commendatam. Apud Suitenses montanos hac tempestate, non longè à finibus Lucernensium, in loco vastæ solitudinis, homo senex, solitarius, eremiticam vitam agebat, qui per annos viginti sine corporali cibo fertur victitasse, quem fratrem Nicolaum dixere. Vir corpore aridus, siccus, exhaustus, sola cute neruis ossibusq; cohærens. Et quanquam eremitæ diutius ieiunent, & propter ocium & vitam vmbrosam illæsi permaneant, sicut carceratis contingit: verùm hic homo cœlestem vitam in terris egit. Quanquam inuidi eum hominem gloriosum deterint, vitamq; eius sint ad iactantiam interpretati, & perinde mercedem illum suam hîc accepisse. Sed est quod semper fuit, sanctitati nunquam defuit obtrectatio. Cur virum calumniantur, qui vitam in arctissima paupertate & solitudine duxit, qui omnes se accedentes, spiritali consolatione plenos remisit, in abstinentia & humilitate perseuerans: qui nihil appetiuit, nulli vnquam iniurius fuit: certè in tantis laboribus & ærumnis, parua merces, laus ex hominibus. Tandẽ senio & viribus deficiẽs, senilem animã mollis soluit sopor. Sepultus in ecclesia sui *Eremitæ sine cibo per annos viginti viuẽs* CAP. 21.

pastoris, non sine miraculis quiescit: qui etiam vicinis populis vaticinia nonnulla, quæ rerum probauit euentus, prædixit.

CAP. 22. LVBICENSI ecclesiæ morte Alberti viduatæ, electione canonica surrogatur in eius locum dominus Thomas, cognomento *Grote*, ex canonicis eius ecclesiæ. Nam cùm ecclesia magno ære alieno grauissimè esset onerata, si quando emergere debuit, pontifice opus erat & frugi, & diuite: quæ ambo in memorato viro eminebant, vt præsenti pecunia debitorum onera abiiceret, & sequenti parsimonia hoc quod remaneret, curaret augere. Sed quod in specie lucebat, in veritate non est compertum: quia neq; thesauros habuit reconditos, neq; is erat qui prudentia sua ecclesiam releuaret. Homo singularis frontis, solitudinis amator, semper se inclusit, nullius passus alloquium. Qui anteà videbantur homini familiares, eos tum quoq; cœpit habere suspectos, nescio quam ducens in animum cogitationem. Orabat capitulum, dignaretur interesse tractatibus super omnibus, quæ illi imminebant, & à creditoribus & à cæteris, quæ multa sunt, accidentibus. Recusauit. Misere ex suo numero, qui cum illo loquerentur: non sunt admissi. Delegere, quos putabant illi gratos. Idem ille permansit, nolle se cum capitulo agere, circumuentionem quærerent, & illum implicarent maioribus perplexitatibus: deniq; visionib. agebatur, & nocturnis admonitionibus. Descendit in animum eius, vt quâuis impetrasset apostolicam confirmationem: tamen in Romana curia constituit procuratores ad renunciandum ecclesiæ, in fauorem domini Theodorici Arudes, in Romana curia causarum procuratoris, legum doctoris exquisitissimi, nulla desuper mentione ad capitulum facta. Cùm res percrebuit rumore, misere ecclesiæ decanum, vt rem omnem cum futuro pontifice transigeret, priusquam ille nosset. Facta renunciatione, dominus Theodoricus Apostolica prouisione facta, ibi accepit cõsecrationem: & ad ecclesiam suam descendens, honorificè suscipitur: vsq; in hunc diem & deinceps, Dei miseratione, cum magna laude præsidens, Ecclesiam suam paulatim debitorum onere leuat, de reliquo curaturus.

*Episcopus ab eo, qualis fore credebatur lõge diuersus.*

CAP. 23. BREMENSI ecclesiæ, post Henricum eius administratorem, electione legitima præficitur dominus Ioannes, cognomẽto *Rode*, maior in ea diu præpositus, Bremæ bona ortus familia, nepos ex fratre domini Ioannis, olim præpositi, bullarum correctoris, viri opulẽtissimi, cui etiam hic hæres extitit: qui respectus illum ad calamitosam ecclesiam prouexit subleuandam. Vir mansuetus & modestus, si fuq; studuisset tranquillitati, longè meliùs habiturus in præpositura, quàm sit expertus in archiepiscopatu. Subiit enim negocium laboris plenum, cùm multa ecclesiæ prædia impignorata essent per belli tempora, quæ illius prædecessor gerebat, cunctis ecclesiæ arcibus iam ruinosis, quod ibi annis xxx. fabricam nemo curasset ex animo. Vix inuentus est locus, in quo importuniùs delitesceret. Igitur quieto & locupleti viro opus erat, qui ære grauatam alieno ecclesiam, parsimonia & frugalitate, & præsenti solatio subleuaret. Obliqua inuidia id inspexere ministeriales, qui nũc vocari amant militares, qui maluissent ab aliquo ex principibus, aut nobilibus, aut suæ conditionis viro ecclesiam gubernari: ne plebeio homini, si diis placet, subderentur. Nam quod potuere, non longinquo principi quidam spem fecere. Respexit quoque in ecclesiam Otto comes de *Aldenborg*, Gerardi filius, eius ecclesiæ ob eam spem electus canonicus. Sed creditũ est vulgò, patris memoriam illi non profuisse. Bremenses ipsi iam initiò constituendum putauere, quo ordine agerẽt cum illo: itaq; difficiles archiepiscopo suo fecere conditiones. Suscitatis omnib. ab anti quo querimoniis, quas vel in ipsum, vel in terram ecclesiæ, vel in capitulum, vel in reliquum clerum quouis pacto inuenirent: vix multo labore communium vtrinq; amicorum, cùm se ciuitatum vicinarum consilia, Hamburgi & Luneburgi, interponerent, impetratum est, vt res tolerabilibus modis conquiesceret. Tum se statim alius turbo prodidit, impensis, quas pro confirmatione solito sumptuosiore, proq; consecratione & aliis ecclesiæ necessitatibus fecerat, releuandis, per singulos agros collectam de consilio capituli primorumq; in terra constituit indicere. Obiecere se multi ex ministerialibus, prætendentes, multis se sumptibus & oneribus grauatos à prædecessore suo: quæ nisi reponerentur, non se admissuros precariam.

*Archiepiscop. in Præpositura quietius quàm in Archiepiscopatu viuebat.*

riam. Aliasq; conditiones immiscuere, quibus satis declarabant, quo essent affectu in suum pontificem. Res tamen vtrinq; processit.

MONASTERIENSI ecclesiæ per eiusdem Henrici obitum, erat consulendum de nouo pontifice. Igitur capitulum matura deliberatione præhabita, postulauit insignem virum, dominum Conradum, ecclesiæ Osnaburgensis episcopum: iscq; apostolica permissione confirmatus est pontifex in illa ecclesia, cùm remaneret administrator in priore. Monasteriensis enim pro sua dignitate & opulentia, & armorum potentia, titulum requirit in suis pontificibus, non contenta administratione. Igitur Conradus, vir nobilis, doctus & prudens, ambas vsq; hodie gubernat ecclesias. A capitulo tamen suo & ministerialibus iniecto freno, satis (vt fertur) restrictus, vt nil nisi quod illi approbarint, in maioribus decernat, præsertim in rebus bellicis. Nec iniquum quippe, quia ea in re & opibus, & armis, & suorum periculo capitum, coguntur adesse. Itaq; fruitur temporum tranquillitate, & maxima nihilominùs inter magnos authoritate habitus est episcopus, armis, viris, opibus, arcibus, prædiis, reliquisque rebus ad splendorem abundantissimus. Frisia quidem illa contermina, magnis motibus agitata, deposceret arma auxiliaria, quòd comes Orientalis Frisiæ coniugem tenet neptem illius ex fratre: sed ille palustrium rebus se non immiscet. Eduardus, quem illi Frisio ritu Edizardum vocant, Groningensibus durus hostis erat, sub Alberto duce Saxoniæ. Quo in obsidione eius oppidi in castris mortuo, idem Edizardus hostilia continuauit: sed iam res pacata bonis modis, conquieuit. CAP. 24.

*Ecclesia monasteriensis in Episcopo titulum requirit, administratione solum contenta.*

BREMENSI interim diœcesi sicut ab antiquo, ita nunc nouus labor creatur à Frisiis. Diu cum illis actum est, vt archiepiscopum recognoscerent dominum suum, obtentu omnium quas habuere libertatum: tantùm, vt aduersante quocunq; illi parerent. Conceptæ literæ, illis ad rem maturè ruminandam traduntur. Videt, remittunt cum hoc responso, Liberũ esse populum à memoria Magni Caroli: eam quam à maioribus acceperunt, libertatem defensuros, & ad posteros esse transmissuros, proq; illa tuẽda morituros omnes. Tam magnifica verba facilè discussa sunt, vbi primùm se arma ostendunt: est enim populus ille palustris, vt vastus corpore, ita animo stolidus, sed ad arma non satis sibi constans: id tum monstrauere. Ioannes comes de *Aldenburg*, Gerhardi filius, quum gubernacula terræ sibi debita præferret, conductis aliquot satellitibus, ingreditur eam partem Frisiæ, sibi non longin quæ, Stadium dixere, *Stadlandt*. Ad primam ostensionem armorum, ignauæ pecudes se dedunt, ne vno quidem prælio pro ea, quam inflatis prædicant buccis, libertate pugnantes. Aliquot ille ecclesias muniuit, fossatis & pluteis circumducens, quibus vteretur pro arcibus, quo in deditionis fide conseruaret populum, semper fide fluctuantem. Id conspicatus dominus Magnus, Ioannis filius, dux Saxoniæ inferioris, cùm in vicinos Hadaleriæ suæ Wefatos Frisios iuris aliquid prætenderet, comparat & ipse pedites, occupare terram ambo studentes prolatandę ditioni, ambo contemptu in fratribus suis apud ecclesiam Bremensem vindicantes. Igitur in ecclesiam vlcisscentes contemptum suorum, simul studẽtes suæ amplificationi, terras ecclesiæ à diuersa parte, ad mare tamen sitas inuasere. Ministeriales ecclesiæ viderunt ista non inuiti, quòd archiepiscopo, cui non bene vellent, natum vndiq; laborem cernerent. Quid faceret archiepiscopus? Certè cum suo Bremensi senatu, itemq; Hamburgensi consilio interlocutus, quorum de maximo agi videretur præiudicio, fœdera & belli societatem iniit: non enim ecclesiæ solùm detrahi ius suum tentabatur, sed fluminum ripis & ipsi mari cœperunt imminere, quò libertatem nauigandi quibuscunq; modis arcerent, flecterentq; in sua commoda. Ea etsi fortè pars altera non meditaretur, ista tamen timuit, & sibi cauit. Igitur archiepiscopus & duarum vrbium consilia nunciauere duci Magno hostilia: & iam comparatis satellitibus, Hadeleriam penè sine conflictu deditam accepere, tripartitò diuidẽtes, archiepiscopus pro se, Bremenses, & Hamburgenses. Ibi Thietmarsi cùm essent in fœdere comprænhensi, aliquot etiam suorum in armis habuere. Populus per insciam contemptor cæterorum, conuiciis lacessiuere satellites cõductos. Illi inuecti, cùm à nemine possent, phiberi, ad LXX. prosternũt ex Thietmarsis, pstratos nudãt, CAP. 25.

*Bremenses mori malunt, quàm libertatem à maioribus acceptam amittere.*

Eam rem ſolis imponunt Hamburgenſibus cæſorum cognati, in hodiernum ma-
*Magni ducis de patrimonio ſibi per vim adempto querimonia.* nente querimonia. Magnus dux adiens omnes in circuitu principes, queritur per vim ſibi ademptum patrimonium. Omnes commouet, vt literis datis, communi ope ex ſuo fœdere conducant gregarios milites pedites. Guardiã dixere: quia multis annis Alberto duci Saxoniæ, deinde Romanorum regi in Geldriam, poſtremò Geldrenſi duci in vicinos Cliuenſes & Iuliacenſes duces militauerunt: quorum etiam opera ante duos annos rex Daniæ Ioannes, regnum Suediæ ad iuga coegit. Ex omni natione concurrebãt. Inerant Germani, & hi potiſſimùm ductores, & maior numerus ex ſuperiori & inferiori: Sueui, Bauari, Swiceri, Franci, Saxones, Brabanti, Geldrii, tum Lombardi, Hiſpani, Galli, Scoti, Æthiopes aliquot, promiſcuũ genus, cuius iam clariſſimum erat vbique nomen.

CAP. 26. CONDVCTI à Magno duce, vt diximus, appetente bruma, circa feſtum Eliſabeth, venere *Aldenborg*. Nonnulli ſe in vrbis ſtipendio exhibuere: contẽpti ſunt. Ex Aldenborg tranſmiſſo Viſurgo, conſtituerunt Bremenſem ditionem inuadere hoſtilem: ſed erant excubiæ in altera ripa, ſimul & tempeſtas, & cum niue frigora prohibuere tranſitum. Retrò tulere pedem, & per angulum vrbis Verdenſis, permittente epiſcopo Hildeſemenſi, eodemq; adminiſtratore Verdenſi, quòd alienã cauſam nollet ſuam facere, quodq; ſciret manum multorum principum eſſe cum illis: acceſſit, quòd non ſenſit aliunde promiſſam opem. Igitur parta incolumitate ſuorum, ire permiſit. Illi propinquarunt oppidis, Stadio atq; Buxtehudi. Virgines
*Monialæ relicto monaſterio in oppida confugiunt.* Moniales, deſertis monaſteriis, profugerunt in oppida. Experti ſunt ibi famem incredibiliter hominum quatuor millia & ſupra, quod arida regio vix nutrit ſuos habitatores. Expectarunt glaciem rigeſcentem: vt omniquaq; accedentes, oppugnarent oppida. Non hoc illis præſtitit rector naturæ Deus. Ita alternabat aura per biduum ac triduum, vt diu quod vellent, non poſſent. Duxere deinde per Tzenenã & mediam diœceſin in Hadeleriam. Animaduerſum eſt, prædia miniſterialiũ manſiſſe incolumia: ſola, quæ eccleſiæ & monaſteriorum erant, ſubruebantur. Ipſa, in quibus per brumam deliturere, monaſteria in diſceſſu conflagrare cœperunt: incertum an igne iniecto, vel ex ipſa negligentia. Hoc certum eſt, ciues Buxtehudenſes vicinis monaſteriis iniecciſſe manum, vt conflagrarent. Tanto erant perfidi odio in ſancta loca, quòd dicerent, oppido præiudicare monaſteria, cùm re vera oppidum monaſteriis præiudicet, quorum vetus ſine controuerſia prius erat oppido. Tum in Hadeleriam contendunt gregarii, ſine gladio, ſolo terrore eam recuperantes duci Magno. Nemo enim ſe oppoſuerat, nemo arma contrà ferebat. In vicinam quoque Phriſiam (Wurſatiam vocant) ſe conuertunt. Ibi inſigni clade accepta, retrò tu-
*Archiepiſcopi à ſuis deſerti, adiutorẽ quærit,* lere pedem. Interim archiepiſcopus à ſuis miniſterialibus deſertus, quòd pro duce Saxoniæ, vt compertum habebat, multa molirentur, nec à belli ſociis conſolationem accipiens, conſentiente capitulo ſuo, vt defenſorem haberet eccleſia, Chriſtophorum Henrici ducis Brunſwicenſis filium accepit adiutorem. Dux protinus arma contraxit, moturus in eam peditum manum. Omnia illi in promptu fuere, pedites, equites, bellica impedimenta. Ordinauit per opportuna loca defenſionem, & iam erat manſurus, cùm rex Daniæ, & frater eius Fridericus, miſſis oratorib. ducem auerterent, quòd illam manum ſtipendio cõduxiſſent. Pedites verſo itinere, per terram Luneburgenſem in *Eslinge*, tranſmiſſo Albi, venere in Holſatiam: inde Thietmarſiam inuadentes, ſepulcrum cum multis repererunt: quod in Saxonia diximus. Manet inde diu querimonia archiepiſcopi, & deinde ducis in Hamburgenſes, quòd debita & promiſſa auxilia non miſerint, in his aduerſis, durante ſocietate.

CAP. 27. PADERBVRNENSI interim eccleſiæ, morte Simonis vacuatæ, non peruenere ad legitimam electionem canonici, quòd viuente iam Simone, D. Hermanus archiepiſcopus Colonienſis eam eccleſiam obtinuiſſet apud ſedem Apoſtolicam in commendam: exemplum ſecutus ſui prædeceſſoris Theodorici, qui illam,
*Epiſcopi hoc tempore eccleſiæ negleclæ cauſa ſaltem temporalia.* quoad vixit, tenuit, tenebitq; iſte ſuo tempore: ſequentur exemplum eius poſteri, tardiùs redibit capitulum ad electionem legitimam. Et quoniam nullum penè epiſcopis hodie miniſterium remanſit in eccleſiis, nulla penè cura religionis, ad hoc ſolùm

solùm intendunt nostri temporis, præsertim in locupletibus ecclesiis pontifices, vt, quæ foris sunt, temporalia tueantur, arces & prædia defendant. Nullum perinde videtur ecclesiæ detrimentum, magis verò profectus, habere tam potentem defensorem, qui nutu & verbo plus, quam alius armis, imperitet. Quòd si modestia esset in summis viris, posset Colonicusis ecclesia suum pontificem impensis suis satis deducere. Sed quando erit, vt dicat infernus, Sufficit?

HILDESEMENSI, morte sui Bartoldi, optatissimi pontificis viduata eccle- CAP. 28.
sia, per legitimam capituli electionem sufficitur in locũ eius illustris princeps, D. Ericus, ducis inferioris Saxoniæ filius, qui vsq; ad illam ætatem in ecclesia Colonien si canonicatum tenebat. Satis diu dubius quid mallet, quietem in ecclesia Colonien si, an perturbationem & laborem plurimum apud ecclesiam Hildesemensem. Non est permissus suum in ea re sequi iudicium: cognationis suæ & amicorum stimulis adigitur subire non quod ille mallet, sed quod illi suasere. Igitur consensit electioni: & misso in vrbem oratore, Apostolicam confirmationem obtinuit. Nec dum expleuit in administratione annum, quin antiquæ deliberationis sententiam repetens, verbum fecit capitulo suo, esse sibi in animo quietis desiderium, cernere paratum laborem apud ecclesiam: si paterentur loco eius Ioannem fratrem, & in eum consentirent, vt pontificem haberent, mitteret ad apostolicam sedem, ibique in fratris fauorem renunciaret, postulaturus prouisionem pro germano. Quid faceret capitulum? Inuitum & repugnantem tenere haud poterant. Consentiunt. Ille sumptis documentis, mittit nuncium in vrbem: magnoque desiderio reuertitur ad locum quietis suæ Coloniam. Vides quò operetur educatio. Ex puero, innutritus Coloniæ ritibus, inclinari non potest, vt maiori subeat oneri: ponitq;, quod alii fatigatis omnib. notis & amicis, magna instantia noctes atq; dies cõsequi ambirẽt.

VERDENSI autem ecclesiæ eiusdem Bartholdi morte vacuatæ, postulatione CAP. 29.
capituli, dominus Christophorus, dux Brunswicensis, Bremensis ecclesiæ coadiutor, præficitur administrator. Nam cum dominus Henricus dux Brunswicensis iunior, pro suo quoque filio, sed annis minore instaret, vt postularetur, cessit filio senioris, permittens, imò & adiuuans, vt negocium pro domino Christophoro præfato procederet. Missus est in vrbem ad pontificem in eam rem nuncius: & non obstante, quòd adiutor sit perpetuus in ecclesiam Bremensem assumptus, certus de successione in eam ecclesiam, si superuixerit: nec obstante, quòd minor sit ab annis, vt agens decimum septimum, possit administrare Verdensem ecclesiam, sumptum in suum diem sacrum ordinem pontificalem, vt tam spiritualibus pontificalibus, quam temporalibus omnia gubernet. Inuenit nuncius iste faciles aures pontificis Romani. Solet enim sedes Apostolica petentibus se liberalem exhibere, *Aurum fro plumbo ferentem, Papa libenter audit.* permutans plumbum pro auro. Quod cum dictum est veteri seculo, quantum creuerit in hunc diem illa liberalitas, facilè intelligunt agentes in rebus. Sed hæc interim.

BREMENSIS interim ecclesia à suo archiepiscopo gubernatur. Nam conue CAP. 30.
nit inter placita à principio, quòd dominus coadiutor nullis in ea ecclesia rebus se immisceat, nullis interfit nisi inuitatus. Omnis inde administratio quandiu placitũ est, manet in manibus archiepiscopi. Sed interim per hunc annum post MDIII. le- 1503
gatus de latere cardinalis, dominus Raimundus, titulo sanctæ Mariæ nouæ, presbyter cardinalis, cùm superioribus annis per Germaniam missis commissariis iubileum publicari mandasset, & pro defensione fidei in Turcos collectam ingentem pecuniam per loca haberet, ipse inuisere dignatus insignia loca, præsentiæ suæ nõ parua dedit visentibus donaria, plenissimam remissionem, quoties in pontificali. celebraret: potissimùm peruagatus loca, in quibus bella vel tonare, vel cõsurgere intelligeret. Opportunè Lubicam ad Paschalia applicuit, vbi sæuissimũ bellum iam paratum inter regem Daniæ & eam vrbem extinxit, pacem reparauit, & felicissimis auspiciis tranquilla nobis tempora reliquit. Priusquàm inchoaret tractatum, per omnia vicina loca ab altissimo gratiã precibus iussit implorare, in eo loco solenni processione per vrbem habita. Ipse sacra ad aram peregit in suggesto, quod erectum habuit in cœmeterio maioris ecclesiæ. Ibi indut⁹ põtificalib⁹, ipse sacerdos ad

aram fuit: diaconus comes de *Kirberge*, iam diu presbyter: subdiaconus minister erat memoratus dominus Christophorus dux, coadiutor Bremensis, & Verdensis administrator. Eadem diuinorum formula, & Brunswici & Lubecæ, & Hamburgi & Bremæ fuit, plaudentibus & pro deuotione multis lachrymātibus, quòd pacem relinqueret, quòd indulgentias multiplicaret impensa benedictione. Hanc solennibus locis seruabat consuetudinem, vt expleto ad aram diuino ministerio, ipse in suggesto sede sua collocatus, statim in ambone ante conspectum cum comite memorato præferebat Latino sermone tractatum, quem inde conuersus ad populum comes, populo nunciabat: idq; tertio ac quarto in eodem sermone repetens, populo per benedictionem valedixit.

*Populus de indulgentiis per Raimundam concessis ita gaudet, vt lachrymetur.*

METROPOLEOS, HOC EST, HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SAXONIÆ, & vicinarum regionum & regnorum clarissimi historici domini Alberti Krantzii Hamburgensis, ab anno Domini 780, vsque ad annum 1504. finis.

# APPENDIX EIVSDEM KRANTZII MANV ADSCRIPTA.

CAP. 1. IOANNES ex ducibus Saxoniæ inferioris, patre Ioanne, matre Dorothea, ex domo Brandenburgēsi, filia Friderici quondam principis electoris, frater Erici memorati, libera renunciatione fratris, consentiente capitulo, authorizante pontifice Romano, ecclesiam Hildesemensem accepit regendam, & gubernat in hodiernum diem. Tranquilla reperit tempora, quòd satis rarum est in ea ditione. Multi militares in diœcesi ab armis non discedunt: nunc tamen conquiescunt, vexati spirituali gladio. Nam quidam ex maioribus ecclesiæ marscallus, cùm arcem Poppenborg assultu militari occupasset, nec respondisset iurib. pignoris, quæ mulier quædam in ea diceretur habere, causa in Romanam curiam perducta, censuris innodatur, & pertinaciter immoratur. Interdictum est sacris per omnem diœcesim: capitulum maioris ecclesiæ iustificans partes viri militaris patiēter tolerat, nescio quid expectans. Qui actoris sustinet partes, cùm ille dicatur niti fauoribus principum, & multorum sui generis militarium. Res in longum trahitur. Ita diœcesis armis sonat, lita vexari carnalibus, nunc laborat sub gladio spirituali, ne vnquam illi deesse videatur tribulatio. Scindit ille gladius, non subitò lanians, sed per longam moram vulnera infert atrociora. Neq; enim curari aiunt ictus ei⁹, nisi longa putredine inurantur. Per hunc gladium Romani pontifices sua iura tutati, obedientiam in prouinciis plenam, aduersantibus mundi potestatibus, sunt assequti.

*Diœcesis à carnali gladio liberata, subspirituali laborat.*

CAP. 2. SVERINENSI ecclesiæ, post Conradum, præficitur D. Ioannes, cognomento *Thuen*, vir militari genere, non tamen amplo, natus, sed illis præditus virtutibus, vt principibus Magnopolensibus semper esset commendatissimus. In conciliis & cœtibus, quos principes agebant, frequens: multa per illum principes memorati agebant. Singularis zelator reformationum in monasteriis virorum ac mulierum: quo merito crediderim eum apud Deum maiori visum dignum loco. Iam fertur cum suo clero luctari, vt ad continentiam illum redigat: sed ibi labor est plurimus. Difficile enim ab inolita diu consuetudine discedunt. Dissimulatione priorum tam altas egit radices hoc malum, vt nisi magnis conatibus non eradicetur. Vrticæ simile malum, quæ per segnitiem hortulani multa tacitè occupat loca, vt difficilè euellatur. Si in ea re non proficit hic pontifex, tanto fuerum principum fauore suf fultus: protinùs aliis desperandum, qui simili contentione laborant. Iam terror sacrorum canonum proiectus est: suspensio, & inde sequuta irregularitas, pro nihilo est. Tectis velut vultibus præcipites currunt in foueam. Causa tanti mali, dissimulatio prælatorum. Quid enim sunt leges sine exequutore? Metus diuini iudicii non mouet obcæcatos. Ita sibi blandiūtur de impunitate per multitudinem peccantiū, vt iam non sit quem terreat perditionis ęternę periculū, si non ilicò temporalis pœna subsequatur. Dubitari potest, si integra fide sentiāt recte de euāgelii pdicatione.

LVBI-

LVBICENSI ecclesiæ, post Theodoricum, qui annos XIIII. non impleuit, præficitur Wilhelmus, cognomento *Westphale*, pridem ecclesiæ decanus, bono genere natus in Lubica, nepos ex fratre Arnoldi quarti prædecessoris sui. Malè conciliatus defuncto prædecessori, impugnat eius testamentum. Defenditur ab eius cognatione. Ille legata prædecessoris satis solennia non agnouit. Ita viuitur: rarò probat successor acta præcessoris. Videat quisq; quid agat: tempus venit exigendæ & reddendæ rationis. Sat quietus in sede sua hactenus permansit. Curiam principum non sequitur: incertum, qua sit gratia principum modernorum. CAP. 3.

*Wilhelm⁹ Episcop⁹ Lubicēs. antecessoru sui testamentū irritat.*

SVERINENSIS ecclesia non diu læta permãsit, Ioanne suo gauisa: nam bien nio vix exacto, è vita migrauit. Eligitur in locum eius insignis vir, dominus Petrus, non magnis ortus natalibus, sed qui magna virtute & industria perfecerit Romæ, vt multorum officiorum esset gubernator: non paruo inde ære annuo diues. Magnas in sua prouincia & multas tenuit dignitates, nec amisit susceptо pontificatu. Episcopatum electus assumere nõ dubitauit, ne videretur ecclesiam commodi sui gratia contempsisse. Sed fertur inde fluctuasse, si absens, quàm præsens, illi fructum inferre posset maiorem, fecit quod omnes faciundum putauere: adesse maluit ecclesiæ. Venit honesto comitatu, dignãter à principibus excipitur. Apud ecclesiam manens, multorum magnatum & prælatorum Romæ per literas dirigit negocia, exactissimè sciens & tenens stylum Romanæ curiæ in expeditionibus causarum. CAP. 4.

MONASTERIENSIS ecclesia viduatur morte Conradi, eligitur de Colonienſi choro illustris princeps, dominus Ericus, ex ducibus Saxoniæ inferioris, qui nuper ecclesiæ Hildesemẽsi cedens, permisit illam germano fratri suo Ioãni. Hanc verò Monasterienſem maioribus subnixam viribus, & opulentiorem nõ contempsit. Latè enim imperat, multis abundans militaris ordinis viris. Ecclesia cùm multis rebus insignis, in hoc solo mirabilis, quòd ab initio ordines mendicantium non est passa, nisi paucissimis locis: prospexisse patres visi sunt multa ecclesiarum præiudicia, quæ se magis ac magis aperiunt in singulos dies. CAP. 5.

OSNABVRGENSIS ecclesia eiusdem Conradi morte & ipsa viduata (nam Conradus Monasterienſis episcopus, quamuis hanc ipsam tenuerit primam, acceпta tamen Monasteriẽsi, cogitur mutare titulum, & hanc sumere in commendam) assumitur ad hanc Osnaburgenſem illustris princeps, dominus Ericus, ex ducibus Brunſuici de *Grubenhagen*. Et vt captus est huius temporis, non illa contentus, tenet & alteram Paderburnenſem: incertum, quam priorem, & quam ex his præferat in titulo, siue commenda. CAP. 6.

*Episcopus non vna cõtentus, duabus præest ecclesiis.*

PADERBVRNENSIS ecclesia morte Hermanni Colonienſis archiepiscopi, meruit proprium iterum habere pontificem illustrem (vt statim diximus) domi num Ericum, ex principibus & ducibus de Brunſuico, de portione *Grubenhagen*: nulla re cedens nobilitati principum gubernantium, nisi quòd cum sui generis linea patitur damna auitæ electionis, cùm illa terra mineris argenti tunc abundaret, nunc exhaustis. CAP. 7.

MINDENSIS ecclesia hac tempestate, moriẽte Henrico, mutauit pontificẽ. Sensit adhuc viuens Henricus, cùm nonnulli ex capitulo suo agerent de illius successione. Tulit eam rem grauiter & indignè, sed placatur persuasione bonorum virorum. Succesſit ergò in ecclesiam illustris dominus Franciscus, ex ducibus Brunſuici, germanus frater illustris domini Christophori Verdenſis, administratoris amborum, patre Henrico procurante. CAP. 8.

FINIS APPENDICIS.

# CATALOGVS ROMANORVM PONTIFICVM, QVOS BREVITER IN HOC OPERE DESCRIBIT KRANTZIVS.

1 Petrus Galilæus
2 Linus Tuscus
3 Cletus Romanus
4 Clemens Romanus
5 Anacletus Græcus
6 Euaristus Græcus
7 Alexander Romanus
8 Sixtus Romanus
9 Telesphorus Græcus
10 Higinus Græcus
11 Pius Aquilegiensis
12 Anicetus Syrus
13 Soter Fundanus
14 Eleutherius Græcus
15 Victor Apher
16 Zephyrinus Romanus
17 Calixtus Romanus
18 Vrbanus Romanus
19 Pontianus Romanus
20 Anterus Græcus
21 Fabianus Romanus
22 Cornelius Romanus
23 Lucius Romanus
24 Stephanus Romanus
25 Sixtus II. Græcus
26 Dionysius monachus
27 Felix Romanus
28 Eutychianus Tuscus
29 Gaius Dalmata
30 Marcellinus Romanus
31 Marcellus Romanus
32 Eusebius Græcus
33 Melchiades Apher
34 Syluester Romanus
35 Marcus Romanus
36 Iulius Romanus
37 Liberius Romanus
38 Felix II. Romanus
39 Damasus Hispanus
40 Siricius Romanus
41 Anastasius Romanus
42 Innocentius Albanus
43 Zosimus Græcus
44 Bonifacius Romanus
45 Cœlestinus Campanus
46 Sixtus III. Romanus
47 Leo Tuscus
48 Hilarius Sardus
49 Simplicius Tiburtinus
50 Felix III. Romanus
51 Gelasius Apher
52 Anastasius II. Romanus
53 Symmachus Sardus
54 Hormisda Frusinonius
55 Ioannes Tuscus
56 Felix IIII. Samius
57 Bonifacius II. Romanus
58 Ioannes II. Romanus
59 Agapetus Romanus
60 Syluerius Campanus
61 Vigilius Romanus
62 Pelagius I.
63 Ioannes III. Romanus
64 Benedictus I. Romanus
65 Pelagius II. Romanus
66 Gregorius I. Romanus
67 Sabinianus
68 Bonifacius III. Romanus
69 Bonifacius IIII. Marsus
70 Deusdedit Romanus
71 Bonifacius V. Campanus
72 Honorius Campanus
73 Seuerinus Romanus
74 Ioannes IIII. Dalmata
75 Theodorus Græcus
76 Martinus I. Tudertinus
77 Eugenius Romanus
78 Vitalianus Signinus
79 Adeodatus Romanus
80 Donus Romanus
81 Agatho Siculus
82 Leo II. Siculus
83 Benedictus II. Romanus
84 Ioannes V. Syrus
85 Conon Thrax
86 Sergius Syrus
87 Ioannes VI. Græcus
88 Ioannes VII. Græcus
89 Sisinus Syrus
90 Constantinus Syrus
91 Gregorius II. Romanus
92 Gregorius III. Syrus
93 Zacharias Græcus
94 Stephanus II. Romanus
95 Paulus I. Romanus
96 Constantinus II. Romanus
97 Stephanus III. Siculus
98 Hadrianus I. Romanus
99 Leo III. Romanus
100 Stephanus IIII. Romanus

101 Pa-

101 Paschalis I. Romanus
102 Eugenius II. Romanus
103 Valentinus Romanus
104 Gregorius IIII. Romanus
105 Sergius II. Romanus
106 Leo IIII. Romanus
107 Ioannes Anglicus, fœmina Moguntinâ.
108 Benedictus III. Romanus
109 Nicolaus I. Romanus
110 Hadrianus II. Romanus
111 Ioannes VIII. Romanus
112 Martinus II. Gallus
113 Hadrianus III. Romanus
114 Stephanus V. Romanus
115 Formosus Portuensis
116 Bonifacius VI. Tuscus
117 Stephanus VI. Romanus
118 Romanus, Romanus
119 Theodorus Romanus
120 Ioannes IX. Romanus
121 Benedictus IIII. Romanus
122 Leo V.
123 Christophorus
124 Sergius III. Romanus
125 Anastasius III. Romanus
126 Lando Romanus
127 Ioannes X. Romanus
128 Leo VI. Romanus
129 Stephanus VII. Romanus
130 Ioannes XI. Romanus
131 Leo VII. Romanus
132 Stephanus VIII. Germanus
133 Martinus III. Romanus
134 Agapetus II. Romanus
135 Ioannes XII. Romanus
136 Leo VIII. Romanus
137 Benedictus V. Romanus
138 Ioannes XIII. Romanus
139 Benedictus VI. Romanus
140 Donus II. Romanus
141 Bonifacius VII.
142 Benedictus II. Romanus
143 Ioannes XIIII. Romanus
144 Ioannes XV. Romanus
145 Ioannes XVI. Romanus
146 Gregorius V. Germanus
147 Ioannes XVII. Placentinus
148 Sylvester II. Gallus
149 Ioannes XVIII.
150 Ioannes XIX.
151 Sergius IIII. Romanus
152 Benedictus VIII. Tusculanus
153 Ioannes XX.
154 Benedictus IX. Tusculanus
155 Sylvester III. Romanus
156 Gregorius VI.
157 Clemens II. Germanus
158 Damasus II. Bauarus
159 Leo IX. Alemanus
160 Victor II. Alemanus
161 Stephanus IX. Lotharingus
162 Benedictus X. Campanus
163 Nicolaus II. Allobrox
164 Alexander II. Mediolanensis
165 Gregorius VII. Saonensis
166 Victor III.
167 Vrbanus II. Ostiensis
168 Paschalis II. Italus
169 Gelasius II. monachus
170 Calixtus II. Burgundus
171 Honorius II. Imolensis
172 Innocentius II. Romanus
173 Cœlestinus II. Tuscus
174 Lucius II. Bononiensis
175 Eugenius III. Pisanus
176 Anastasius IIII. Romanus
177 Hadrianus IIII. Anglicus
178 Alexander III. Senensis
179 Lucius III. Lucensis
180 Vrbanus III. Mediolanensis
181 Gregorius VIII. Beneuentanus
182 Clemens III. Romanus
183 Cœlestinus III. Romanus
184 Innocentius III. Anagninus
185 Honorius III. Romanus
186 Gregorius IX. Anagninus
187 Cœlestinus IIII. Genuensis
188 Innocentius IIII. Genuensis
189 Alexander IIII. Campanus
190 Vrbanus IIII. Gallus
191 Clemens IIII. Gallus
192 Gregorius X. Placentinus
193 Innocentius V. Burgundus
194 Hadrianus V. Genuensis
195 Ioannes XXI. Hispanus
196 Nicolaus III. Romanus
197 Martinus IIII. Gallus
198 Honorius IIII. Romanus
199 Nicolaus IIII. Asculanus
200 Cœlestinus V.
201 Bonifacius VIII. Anagninus
202 Benedictus XI. Tarusinus
203 Clemens V. Burdegalensis
204 Ioannes XXII. Gallus
205 Benedictus XII. Tolosanus
206 Clemens VI. Gallus
207 Innocentius VI. Gallus
208 Vrbanus V. Gallus
209 Gregorius XI. Lemouicensis
210 Vrbanus VI. Neapolitanus

211 Bonifacius IX. Neapolitanus
212 Clemens VII. Gebennẽsis, in schismate
213 Benedictus XIII.
214 Innocentius VII. Sulmonensis
215 Gregorius XII. Venetus
216 Alexander V. Cretensis
217 Ioannes XXIII. Neapolitanus
218 Martinus V. Romanus
219 Eugenius IIII. Venetus
220 Felix V. Sabaudiensis
221 Nicolaus V. Sarzanus
222 Calixtus III. Hispanus
223 Pius II. Senensis
224 Paulus II. Venetus
225 Sixtus IIII. Saonensis
226 Innocentius VIII. Genuensis
227 Alexander VI. Valentinus
228 Pius III. Senensis
229 Iulius II. Saonensis
230 Leo X. Florentinus
231 Hadrianus VI. Germanus
232 Clemens VII. Florent.
233 Paulus III. Romanus
234 Iulius III.
235 Marcellus II.
236 Paulus IIII.
237 Pius IIII.
238 Pius V.
239 Gregorius XIII.

## EPISCOPI OSNABVRGENSES.

1 Wiho
2 Meyngardus, siue Meyngerus
3 Gesunus
4 Gosbertus
5 Eybertus, siue Egbertus
6 Egelmarus
7 Dodo
8 Drogo
9 Ludolphus
10 Dodo II.
11 } Desunt in archetypo
12 }
13 Thietmarus
14 Moncherus
15 Deest & hic
16 Eluericus
17 Wernicherus
18 Beno II.
19 Marquardus
20 Widó
21 }
22 } Et hi desunt in exemplari Krantzij
23 } manuscripto
24 }
25 Philippus comes de Cattenelbogen
26 Arnoldus
27 Gerhardus de Lippia
28 Adolphus
29 Bruno comes de Isenborch
30 Wedekindus comes de Waldeck
31 Baldewinus de Kusler
32 Conradus de Ritbech
33 Ludouicus comes de Rauensbergen
34 Engelbertus de Wepe
35 Gotfridus comes de Arnsbergk
36 Magister Ioannes
37 Melchior dux Brunswicensis
38 Theodoricus de Horne
39 Henricus dux Sleswicensis
40 Conradus de Depholt
41 Conradus de Ritberge
42 Ericus dux Brunsuicẽsis de Grubenhagẽ
43 Franciscus comes à Waldeck
44 Ioannes comes ab Hoia
45 Henricus dux Saxoniæ

Testatur alicubi Krantzius, se, cùm hæc conscriberet, non habuisse duarũ ecclesiarum, Mindensis scilicet & Osnaburgensis episcopos, quos postea nactus chartis inscriptos, affuit reliquo operi. Harum chartarum aliquot incuria asseruantium perierunt. Hinc aliquot episcopi harũ duarum ecclesiarum desunt. Sed hoc lectorem parùm mouere debet, cùm omnia ea quæ Krantzius maximè extare voluit, hic adsint.

## EPISCOPI HALBERSTADENSES.

1 Hildigrinus frater Ludegeri
2 Tiagrinus
3 Heymo
4 Hildegrinus
5 Euilpus
6 Sigismundus
7 Bernardus Burggrauius Magdeburgẽsis
8 Hildewardus
9 Arnoldus
10 Brandago
11 Burchardus comes Bauariæ
12 Bernardus Buko
13 Diethmarus
14 Herandus, vel Stephanus
15 Reinhardus
16 Otto
17 Rodolphus
18 Vlricus
19 Theodoricus
20 Bartoldus
21 Conradus
22 Fridericus

23 Ludolphus comes de Sladem
24 Meynerus Kransfelder
25 Ludolphus comes de Sladem
26 Volradus Kransfelder
27 Hermannus comes de Blanckenborg
28 Albertus comes de Anhalt
29 Albertus dux Brunfwicenſis
30 Ludouicus marchio Miſnenſis, & comes prouincialis Turingiæ
31 Albertus Rickmerſtorpe
32 Erneſtus comes de Honſtein
33 Rudolphus de Anhalt
34 Henricus comes de Werberg
35 Albertus de Werningrode comes
36 Ioannes de Hoym
37 Burchardus
38 Geuehardus de Hoym
39 Erneſtus dux Saxoniæ
40 Albertus marchio Brandenburgenſis
41 Sigiſmundus marchio Brandenburgenſis
42 N. marchio Brandenburgenſis

## EPISCOPI MIMIGARDEVORDENSES.

1 Ludgerus
2 Gerfridus, huius nepos
3 Alfridus
4 Lubertus
5 Bertholdus
6 Wilhelmus
7 Richardus
8 Rumoldus
9 Hildeboldus
10 Dodo
11 Suederus
12 Theodoricus
13 Segefridus
14 Hermannus, poſt hunc cæperunt vocari Monaſterienſes epiſcopi, qui ante hunc Mimigardenordenſes vocati ſunt.
15 Robertus
16 Fridericus
17 Erpo
18 Theodoricus
19 Burchardus
20 Egbertus
21 Wernerus
22 Fridericus
23 Ludouicus
24 Gonſcalcus
25 Hermanus II. comes de Cattenelbogen
26 Otto comes de Benthem
27 Theodoricus comes de Iſenburg
28 Ludolphus de Holſe
29 Otto de Lippia II. eius nominis
30 Wilhelmus de Holſe
31 Gerhardus comes de Marca
32 Euerhardus de Deeſt
33 Otto II. de Ritberg comes
34 Conradus
35 Ludouicus de Haßia
36 Adolphus comes de Marca
37 Ioannes de Werneborg
38 Florentius de Weuelkauen
39 Potho de Potenſtein, Bohemus
40 Heidenricus Wolff
41 Otto comes de Hoia
42 Henricus comes de Morshe
43 σχίσμα { Walram° frater præceſſoris / Ericus Oſnaburgenſis epiſcopus
44 Ioannes dux Bauariæ
45 Henricus Bremenſis archiepiſcopus
46 Conradus Oſnaburgenſis epiſcopus
47 Ericus dux Saxoniæ inferioris
48 Franciſcus comes à Waldeck
49 Wilhelmus Ketteler
50 Bernhardus à Raeſfelt
51 Ioannes comes ab Hoia
52 Ioannes dux Cluenſis

## EPISCOPI VERDENSES.

1 Suibertus
2 Patto
3 Tanco
4 Nortila
5 Lenilo
6 Kortila
7 Iſingerus
8 Harruch
9 Helgandus
10 Erlulphus
11 Walterus
12 Wichpertus
13 Bernarius
14 Adoluardus
15 Amelungus, filius Hermãni Biling ducis
16 Bruno
17 Erpo
18 Bernanus
19 Wigerus
20 Thitmarus
21 Bruno II.
22 Segebertus
23 Richertus
24 Hartwicus
25 Maſo
26 Thietmarus II.
27 Hermannus
28 Hugo

29 Tammo
30 Rodolphus
31 Iso comes de Welpa
32 Luderus
33 Gerhardus comes de Hoia
34 Conradus dux Brunſwicenſis
35 Fridericus
36 Nicolaus
37 Ioannes
38 Daniel carmelita
39 Rodulphꝰ cäcellariꝰ Caroli Imperatoris
40 Gerhardus de monte
41 Henricus de Langen Luneburgenſis
42 Idannes de Seſterſtiet
43 Otto dux Brunſwicenſis
44 Conradus Soltower Luneburgenſis
45 Henricus comes de Hoia
46 Ioannes de Aſel Hildeshemenſis
47 Bartholdus de Landesberg
48 Chriſtophorus dux Brunſwicenſis
49 Euerhardus ab Holle

## ARCHIEPISCOPI BREMENSES.

1 Willehadus Anglus
2 Willericus
3 Leudericus

## ARCHIEPISCOPI HAMBVRGENSES.

1 Heridagus presbyter deſtinatus à Carolo Magno archiepiſcopus Hamburgẽſis
2 Anſgarius archiepiſcopus Hamburgenſis, & metropolitanus omnium regionum aquilonarium.

## VNIO ECCLESIARVM HAMBVRGENSIS ET BREMENSIS.

1 Anſgarius
2 Rembertus
3 Adalgarius
4 Hogerus
5 Reginwardus
6 Vnni
7 Adaldagus
8 Libentius
9 Vurranus
10 Libentius II.
11 Hermannus
12 Becllinus
13 Albertus, ſiue Adolbertus
14 Liemarus, poſt hunc vocantur archiepiſcopi Bremenſes
15 Humbertus
16 Fridericus I.
17 Adalbero
18 Hardwicus
19 Baldewinus
20 Sifridus
21 Hardwicus II.
22 Gerhardus
23 σχίσμα. Waldemarus / Gerardus D. de Lippia
24 Hildeboldus ſiue Hildebrandus
25 Giſelbertus
26 Henricus
27 Florentius
28 Ioannes
29 Burchardus
30 Otto
31 Gotfridus
32 Albertus
33 Otto
34 Ioannes Slamſtorp
35 Nicolaus de Delmenhorſt
36 Baldewinus
37 Gerhardus
38 Henricus
39 Ioannes Rode
40 Chriſtophorus dux Brunſwicenſis
41 Georgius dux Brunſwicenſis
42 Henricus dux Saxonia.

## EPISCOPI MINDENSES.

1 Herimbertus
2 Haduardus
3 Theodoricus
4 Wulffhardus
5 Drogo
6 Adelbertus
7 Bernhardus
8 Lidarius
9 Euergizo
10 Helinwardus
11 Landuardus
12 Milo
13 } Deſiderantur in Archetypo
14 }
15 }
16 Bruno
17 Engelbertus
18 Reinwardus
19 Folmarus
20 } Deſiderantur
21 }
22 Witelo
23 Sigwardus
24 Henricus
25 Wernerus
26 Anno, comes de Blanckenborg
27 Dithmarus

28 Deeſt

28 Deest & hic
29 Conradus
30 Wilhelmus
31 Ioannes
32 Wedekindus
33 Cono
34 Otto
35 Volckwinus
36 Conradus II.
37 Ludolphus de Rorſtorpe
38 Gotfridus
39 Ludouicus dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis
40 Gerhardus comes de Schawenburg
41 Theodoricus III.
42 Gerhardus II. comes de Schawenburg
43 Otto de Wettin
44 Wedekindus de monte
45 Otto III. de Minda dictus
46 Marquardus de Kendeghen
47 Wilkinus de Buske
48 Otto de Ketberge
49 Wullebrandus de Hallermundt
50 Albertus comes de Hoia
51 Henricus comes de Schawenburg
52 Franciſcus comes à Waldeck
53 Georgius dux Brunſwicenſis
54 Hermannus comes à Schawenburg

## EPISCOPI HILDESEMENSES.

1 Gunterus
2 Frombertus
3 Ebo Gallus
4 Alfridus
5 Marquardus
6 Wigebertus
7 Walbertus
8 Schardus
9 Dethardus
10 Ochwinus
11 Oſdachus
12 Gerhardus
13 Sanctus Bewardus, comes de Sommerſcheborg
14 Sanctus Gothardus
15 Dithmarus
16 Aſelmus
17 Echilo
18 Vdo, comes de Aluenſleue
19 Bertholdus
20 Bernardus
21 Bruno
22 Hermannus
23 Adologus
24 Berno
25 Conradus
26 Herbordus
27 Siffridus
28 Conradus
29 Henricus
30 Ioannes
31 Otto dux Brunſwicenſis
32 Siffridus comes de Quarfordt
33 Henricus comes de Woldenberge
34 Otto comes de Woldenberge
35 σχίσμα { Ericus comes de Schawenburg / Henricus dux Brunſuicenſis
36 Frater ordinis Prædicatorum
37 Gerhardus de monte
38 Ioannes comes de Hoia
39 Magnus dux Saxoniæ inferioris
40 Bernhardus dux Brunſuicenſis
41 Erneſtus de Schawenburg
42 σχίσμα { Hermannus comes prouincialis Haſſiæ, archiepiſcopus Colonienſis / Henningus de Domo / Balthaſar dux Magnopolenſ.
43 Bertholdus de Landsberg, epiſ. Verdenſ.
44 Ericus dux inferioris Saxoniæ
45 Ioannes frater eius pulſus epiſcopatu ab Henrico duce Brunſuicenſi
46 Valentinus N.
47 N. ab Obergen
48 Erneſtus dux Bauariæ

## EPISCOPI PADERBVRNENSES.

1 Harimarus
2 Baduradus
3 Luitharius
4 Biſo
5 Theodoricus
6 Vnwanus
7 Dudo
8 Folckmarus
9 Retharius
10 Meinwarcus
11 Roto
12 Imadus
14 Poppa
15 σχίσμα { Henricus comes de Aſlo / Henricus comes de Warle
15 Bernardus I.
16 Euergiſius
17 Siffridus

18 Bernardus II.
19 Bernardus III.
20 Oliuarus
21 Wulbrandus
22 Bernardus IIII.
23 Simon
24 Otto de Ketberg comes
25 Theodoricus de Ictere
26 Bernardus V. comes de Lippia
27 Balduinus comes de Steinfordia
28 Henricus Spegel, Abbas Corbeæ
29 Simon comes de Sterneberge
30 Rupertus dux de Monte
31 Ioannes de Hoia comes
32 σχίσμα. { Berthrandus de Aruasanis, Italus / Wilhelmus dux de Monte
33 Theodoricus archiepiscopus Colonienſis
34 Simon de Lippia
35 Hermannus archiepiscopus Colonienſis
36 Ericus dux Brunſwicenſis, de Grubenhagen
37 Rembertus à Kerſſenbroch
38 Ioannes comes ab Hoia
39 Salentinus comes ab Iſenburg

## EPISCOPI ALDENBVRGENSES.

1 Marco
2 Eguardus, ſiue Eduardus, ſiue Euagrius
3 Wago
4 Ezico
5 Volckquardus
6 Rombertus
7 Benno
8 Meynerus
9 Abelinus
10 Eyzo. vacat ſedes per annos 84.
11 Vicelinus
12 Geroldus, vltimus Aldenburgenſium, & primus Lubecenſium, transfertur ſedes Aldenburgenſis in Lubicam.

## EPISCOPI LVBICENSES.

1 Gerholdus
2 Conradus, frater eius abbas in Reddageshuſen
3 Henricus, abbas ſancti Aegidij Brunſwicæ
4 Conradus Imperatoris cancellarius
5 Theodoricus præpoſitus in Segeberge
6 Bertholdus
7 Ioannes
8 Albertus archiepiſcopus Rigenſis
9 Frater Ioannes de Deiſt ordinis Minorum
10 Ioannes Tralaw ſcholaſticus eiuſdem eccleſiæ
11 Burchardus de Sarken 80. anno ætatis ſit pontifex, & præeſt annis 40.
12 Henricus Buckholt
13 Ioannes Muel
14 Bertrahamus Cremon
15 σχίσμα. { Nicolaus à Miſna, à papa / Ioannes Kleindinſt, à capitulo
16 σχίσμα. { Conradus de Giſenheim ſecretarius Imperat. Caroli IIII. à papa miſſus / Ioannes Kleindinſt à capitulo ſecundo electus.
17 Ioannes Kleindinſt tertio electus ſolus
18 Euerhardus Attendorn decanus
19 Ioannes de Dulmen ſcholaſticus
20 Nicolaus decanus
21 Arnoldus Weſtphal decretorum doctor
22 Albertus Krumdick canonicus
23 Thomas Groto canonicus
24 Theodoricus Arndes
25 Wilhelmus Weſtphal

## ARCHIEPISCOPI MAGDEBVRGENSES.

1 Albertus, anno DCCCCLXXI.
2 Othricus, & huic ſuffectus Gyſelenus
3 Woldardus, & huic ſuffectus Dago
4 Waldardus
5 Geyro
6 Memfridus
7 Engelhardus
8 Wernerus, ſiue Weſſelus
9 Hardenicus
10 Henricus de Aſlo comes
11 Adolgotus
12 Rotgerus
13 Northertus
14 Conradus, comes de Querforde
15 Fridericus
16 Wichmannus
17 Ludolphus de villa Kroppenſtede ruſtica origine
18 Albertus de Kirberge, comes
19 Burchardus
20 Wilbrandus
21 Rudolphus de Dingenſtede

22 Ruper-

22 Rupertus comes de Mansfeldt
23 Conradus comes de Sternenberge
24 σχισμα. Ericus de Brandenburg marchio; Busso de Querforde comes, & huic suffectus Guntherus de Swalenberge; Bernardus de Welp comes
25 Burchardus comes de Blanckenborg
26 Henricus comes de Anhalt
27 Burchardus comes de Schrappelar, infaustus pontifex
28 Magister Hardenicus de Erpeden. post hanc electus comes de Stallbergk
29 Otto comes prouincialis Hassiæ
30 Theodoricus Stendalicnsis
31 Petrus Bohemus
32 Ludouicus Thuringus
33 Fridericus
34 Albertus comes de Quarforde
35 Guntherus de Schwartzburg comes
36 Fridericus comes de Bichling
37 Ioannes dux Bauariæ
38 Ernestus dux Saxoniæ
39 Albertus marchio Brandenburgensis
40 Sigismundus marchio Brandenburgēs.
41 N. marchio Brandenburgensis

## EPISCOPI MEKELBVRGENSES.

1 Ioannes martyr, vacat sedes 84. annos
2 Euerhardus
3 Benno, translatio sedis in Suerinum.

## EPISCOPI SVERINENSES.

1 Benno
2 Brunnardus
3 Fridericus
4 Theodoricus
5 Wilhelmus
6 Rodulphus
7 Hermannus
8 Gotfridus de Bulo
9 Hermannus
10 Ioannes
11 Ludolphus de Bulo
12 Henricus eius frater
13 Andreas
14 Albertus
15 Rodulphus
16 Fridericus
17 Marquardus Birnian
18 Melchior dux Brunsuicensis transsyluanus
19 σχισμα. Poto Bohemus; Ioannes Iungen
20 Rodulphus dux Meckelburgensis
21 Henricus
22 Henricus Wangelin
23 Hermannus Koppe
24 Nicolaus Botker
25 Gotfridus Lange, Lunenburgensis
26 Wernerus Wolmers Hamburgensis
27 Balthasar dux Magnopolensis
28 Nicolaus Pentze
29 Conradus Zostē doctor vtriusque iuris Wismarien sis
30 Ioannes Thun
31 Petrus

## EPISCOPI RACEBVRGENSES.

1 Aristo
Vacat sedes per annos 84.
2 Euermodus
3 Isfridus
4 Philippus
5 Henricus
6 Lambertus
7 Godscalcus
8 Petrus
9 Ludolphus
10 Fridericus
11 Vlricus de Blucher
12 Conradus
13 Hermannus
14 Marquardus, Iesuen cognomento
15 Walradus de Dorno, Holsatus
16 Otto de Gronow
17 Wipertus
18 Henricus de Wittorpe
19 Gerhardus
20 Detlephus de Magnopoli
21 Ioannes
22 Pardauius de Knesbecke
23 Ioannes
24 Ioannes Pren
25 Ludolphus II.
26 Ioannes Stalkoper, medicinæ professor
27 Ioannes Parkentin
28 Henricus Berkmeyer Hamburgensis
29 Georgius Bloumedal doctor vtriusq; iuris, episcopus Lebusensis, & administrator Raceburgensis, Prigintzerus.

# INDEX
# RERVM ET VERBORVM
## IN ALBERTI KRANTZII, METROPOLIM, DVPLICI NVMERO DESCRIptus, quorum prior paginam, posterior lineam significat.




Abbas Petri & Pauli Paderburnæ, Priorem destituit 301.50, reformationis impatiens 302.15, pronocat ad sedem Romanã ibid.5, abit Romam ibid.21

Abbatis Stadensis labor pro reformando monasterio suo 20.33, sed inanis ibid. 37. 202-39.203,12

Abel Danus in Nordstrãd opprimitur 212.34

Abelinus Episcopus Aldenburgensis 88.52, 93.53,11.21

Acon obsidetur à Soldano Babylonis 187.1, liberatur obsidione ibid.6

Adalwardus Episcop. Verdensis 66.32

Adalgotus archiepisc. Magden. 139.7

Adelbero archiepisc. Bremens. 149.46, venit Meldorpium 150.2, captus Luneburgum abducitur 153.5, dimittitur ibid.7

Adalwardus mittitur in Suediam 109.2, &c. navigat in Norwegiam ibid.6

Adalgarius archiepisc. Hamb. 52.28

Adalbertus Episc. Mindensis 67.14, eius mors & Epitaphium ibid.34

Adaldagus Hamburgensis archiepiscopus 68.36, trium Ottonum Cancellarius ibid.47. 81,44, Bremæ libertatem impetrat 69.2, metit, quod alij seminarant ibid.9, Ottonicharus 68.36. ibid. 13.81,47, cum Ottone V. annis in Italia moratur 71.49, redit Hamburgum adducto secum Benedicto Pontifice ibid. 54, distribuit parochiis reliquias 74.13, Monasterium exstruit in Hesslinge ibid.17, quos Episcopos in Daniam ordinarit 81.48, studium eius præcipuum in quo 70.17, moritur 83.11

Adalgarius socius Remberti & successor 41.9 ibid.19

Adeodatus Rom. Pont. 38.15

Adolphus episcop. Osnab. 180.25, consolatur leprosum ibid.31

Adolphus Holsatiæ comes fit Monachus Minorita 201.23, abit Romam 207.5, qualem impetrarit dispensationem ibid.6, ordinatur sacerdos ibid.18

Adolphus de Marca Episc. & Monast. 259.16, transfertur ad Colonienſ. Eccles. ibid.20.

Adolphus Slesvici dux moritur sine prole mascula 318.32. quis fuerit illius hæres ibid. Rex Daniæ numerata pecunia Holsatiam obtinet ibid.40

Adolphus de Nassaw Imperator 223.45, opprimitur ab Alberto 225.17

Adolphus Comes Holsatia pellitur 151.37, restituitur 152.7, 267.6, Vuagriam Holsatiæ adiungit 152.14, munit Segeberg arcem ibid.21, perficit nouam Lubecam, ibid.22

Adolphus de Schowenborg comitatum Holsatiæ consequitur 146.4

Adolphus Nassouius cum Diethero ab Isenberg de Moguntina sede dimicat 319.19 occupat Moguntiam ibid.22

Adologus Epis. Hildes. 171.8

Adrianus I. Rom. Pont. 39.51, euocat Carolum Magnum contra Longobardos ibid.

Adrianus II. Rom. Pontif. 115.54, sub hoc Photinus hæreticus damnatur 116.1

Adrianus III. Pont. Roma. ibid.15

Adrianus IIII. Roman. Pont. 233.9

Adrianus V. Roman. Pont. 235.6

Agapetus Roman. Pontif. 36.24

Agapetus II. Pont. Rom. 118.6, Hamburgensis Ecclesiæ priuilegia confirmat 69.44, Adaldago ius Episcopos ordinandi concedit ibid.47

Agatho Rom. Pont. 38.25. leprosum sanat osculo ibid.26, celebrat Concilium, ibid.27

Agnes Imperatrix concedit in Italiã 110:50

Alanus magni acuminis vir 228.23

Albis fluuius vado transiri potest 4.50, insidus nauigantibus 143.17, congelatus 187.42

Albis inundatione multa hominum millia pereunt 165.46

Alcuinus primarius in aula Caroli Magni 6.11

Aldenborg ciuitas vbi sita 45,14, occupatur ab Henrico Godscalci filio 141.26

Aldenburgenses intestinis dissensionibus laborant 168.27, veniunt in potestatem Henrici Leonis ibid.29

Alden-

Aldenburgensis Ecclesia Lubecam translata, 76. 49, 163, 37 in tres episcopatus diuisa 112, 30, 156, 40

Alexander Rom. Pont. 31. 40, Clerum secularem iudicio exemit ibi. 42, martyr ibid. 44

Alexander II. Rom. Pont. 120. 43

Alexand. III. Pont. Ro. 233. 16, fugit Venetias ibid. 20, ibiq; habet Concilium ibi. 21, conqueritur de Henrico Imperatore 127. 42, alium creat Imperatorem 128. 34, moritur Romæ 233, 23

Alexander IIII. Rom. Pont. 234. 31, Mansfredum excommunicat ibid. 33

Alexander V. Minorita Rom. Pont. 237. 17, in Concilio Pisano eligitur 100. 45, 301. 37

Alexander VI. Rom. Pont. 322. 7, potentes in Vrbe familias delet. ibid. 10, euertit principatus Italiæ ibid. 10. & 11

Alexander de Ales 217. 25, quomodo factus Minorita ibid. 36

Alfridus episcopus Hildesemensis 48. 26, exornat ecclesiam suam ibid. 29

Alfridus episco. Monasterienses 18, 53

Alfonsus Brigittæ confessor 261. 5, Eremita 260. 46

Albertus siue Adelbertus, archiepis. Hamburgen. 106. 16, commendatur ibid. 20. erga quos fuerit humilis ibid. 30, multa diruit, ibid. 33. Imperatorem Bremæ vocat 107. 33, pacem facit cum Bernardo Saxoniæ duce ibid. 37. legatos mittit in Suediã 108. 13, Zuenoni reconciliatur 109, 41, Patriarchatum in Ecclesia Hamburgensi meditatur 112. 28, Cum Henrico IIII. in Vngariam monet 122. 5, Quid fecerit pro Ecclesia amplificanda 113. 26, Vendit ornamenta Ecclesiæ ibid. 42, Habetur cum suis hæreticus ibid. 51, Primus in Imperio 114. 2, Quare ab administratione Imperij remotus ibid. 8, Obsidetur ibid. 30, Elapsus fugit Goslariam, ibid. Omnia dat aliis ibid. 33, Eleemosynis Bremæ vixit 121. 46, Restituitur pristinæ dignitati, ibid. 51. 123, 20, Hamburgum amat, 122. 45, 127. 5, Quibus rebus delectatus 123. 1, multa facit reprehẽdenda 125 42, Suspectus de Magia ibidem 45, Comitatur Imperatorem 125. 21. desipienti similis 125. 2, eloquens ibid. 14, Adulatoribus deditus 125. 7, Post expulsionem quomodo se gesserit, ibidem 40, Per legatos docet in Aquilonaribus regionibus 131. 9, Martyrij cupidus 125. 54, Negocijs publicis vsque ad extremum intentus 126, 19, Magnanimus, ibid. 33, Qualem thesaurum reliquerit, ibid. 41, Octo Collegia exstruxit, 107. 48

Alberti virtutes 106. 38, Studium in restituenda Ecclesiæ libertate ibid. 52, expeditiones eius cum Imperatore 107. 5, Diligentia in Ecclesiæ possessionibus amplificandis 110. 12. 113, Superba vox, 125. 23, viso ibid. 28. mors à muliere prædicta 126. 7

Albertus Vrsus Brandeburgensis, Luneburgensem arcem & Bardowicum occupat, 151, 34

Albertus Bremensis Scholasticus fit Lubecensis episcopus 195. 19, post Rigensis, ibid. 20, mittitur in Prussiam & Liuoniam, ibid. 18

Albertus dux Brunswicensis episcopus Halberstadensis 244. 32, Moritur, ibidem 53

Albertus Episcopus Suerinensis 260. 35, transfertur alio ibid.

Albertus Saxoniæ dux, ex Bremensi ditione prædas agit 282, 53. domum Brunswicensem cum Saxonica reconciliat 283. 40, Ducatui Luneburgensi defendendo vitam impendit ibid. 48. 285. 5

Albertus Austriæ Dux mortem fratris conatur vindicare 276. 42

Albertus Magnus 217. 8, Episcopus Ratisbonensis ibid. 12, docet Coloniæ, ibid. 14, eius scripta ibid. 18, per reuelationem Thomæ mortẽ nouit 226. 35, moritur ibi. 40.

Albertus occupat imperium 225. 19

Albertus de Rickmersdorpe episcopus Halberstadensis 263. 1

Albertus episcopus Lubecensis 206. 22, auget ecclesiæ prouentus ibid. 30, eligitur archiepisco. Rigensis ibid. 47

Albertus de Hoia episcopus Mindensis 320. 22, Homo impius & ventri deditus ibid. Comitibus de Schowenborg bellum facit, ibid. 31

Albertus I. Episco. Magdeburgens. 76. 25

Albertus de Anholt Episcopus Halberstadens. 221. 46

Albertus dux Brunswicensis archiepiscop. Bremens. 264. 20. quomodo ad sedem eam peruenerit ibid. 25, ingreditur Bremam, 265. 1. Hermaphrodita creditur esse 281, 36. præbet se videndum in Balneis ibid. 49, Quale conuiuium Hamburgi parauerit 281, 52, Moritur 288. 35. In egestatem ditionem perduxit ibid. 38.

*Albertus Krumdick episc. Lubecensis 322.53 sumptuosus, ibid. multum conflat æris alieni 323.2*

*Albertus de Quarforde archiepisc. Magdeburgensis 284.28, ciuibus addictus ibid. 33, superatur prælio ibid. 43*

*Albertus de Sternberg Bohemus, archiepiscopus Magdeb. 263.44, permutatione facta, in Bohemiam redit ibid. 55. 267, 54, decem Comitatus à ditione Magdeburgensi alienauit 268, 5*

*Albertus de Kirberge archiepiscopus Magdeburgensis. 187.50*

*Albertus Leodiensis episcopus interficitur, 178.33*

*Albertus comes Bambergensis Conradum Francum in prælio occidit 55.49, 57, 29, capite mulctatur 55.6*

*Albertus Marchio Brandeburg. Noribergens. bellum facit 318.9. prælio superatur ibid. 10. collectis viribus hostes terret ibid.*

*Albertus I II. in Livonia Episcop. 177.41, magno labore religionis negocium promouet ibid. 42*

*Albertus Bernardo succedit in Ducatu Saxoniæ 186.43*

*Alphonsus Castellæ Rex, Imperator eligitur, 215.28. cedit sponte Imperio ibid. 33*

*Alsatiæ duces Imperatori rebellant 148.7*

*Aluericus Osnaburgensis episcopus 99.17*

*Ambitio irrepit in ecclesiam 135.47*

*Ambrosij dictum de suo successore 223.19*

*Amelingus episcopus Verdensis 70.53*

*Anastasius Rom. Pont. 117.18*

*Anastasius II. Rom. Pont. 35.47, in quo reprehendendus ibid.*

*Anastasius Rom. Pont. ibid. 2*

*Anastasius IIII. Rom. Pont. 233.5*

*Anacletus Rom. Pont. 31.27, martyr ibi. 31*

*Andreas Ioannæ maritus, sororem eius amat, 274.6, & ex ea suscipit Carolū postea Regem ibid. 12*

*Andreas episc. Suerinens. 258.20*

*Angli a in Danorum potestate 81.19, 48.45*

*Anglorum primores quare loquantur Gallicè 81.25*

*Anicetus Rom. Pont. 32. 11, quid constituerit ibid. 13, primus sine sanguine moritur, ibid. 14*

*Annalium in rebus episcoporum describendis negligentia 17.11, ibid. 20. & 32. item 19.31. ibid. 48. item 21, 24, 44. 9*

*Anno Episcopus Mindensis 176.2*

*Anno Coloniensis archiepiscopus administrat imperium 121, 3*

*Ansgarius Hamburgensis archiepisco. 2.13, 16.22, migrat Corbeiam, 15.29, Septentrionalibus ditionibus præficitur 16.28, 27, 18, propagat Religionem Christianam in Dania & Swedia, 2.15, 15, 49, 16, 40, redit cum sociis Corbeiam 16.15, legationem solus obit 28.7, Rembertum in filium adoptat 22.50, Prophetiæ donum habuit, ibid. 54. 31, 4, in Daniam reuertitur, 24. 36, 25, 43, ibid. 55, è manibus Danorum euadit, 23.38, 25, 7, Monasterium extruit in Ramsola 24.12, mittit prædicatores in Daniam ibid. 18. Bremæ à Leuderico pellitur, ibid. 19, nauigat in Sueoniam ibique docet 26. 18, Ericum in Daniæ regem conuertit, ibid. 1. 29, 39, fit episcopus Bremensis 25, 30, extruit Ecclesiam in Slesvvick ibid. 44, punit Frisios, quod die Dominico laborassent, 29.47, hospitalia pro pauperibus instituit, 30.1. cur Vandaliam non attigerit, ibid. 26, quo tempore vixerit, 44.36, intimus Regis consiliarius, 26.5, Martyrij cupidus 24, 38, nunquam otiosus, 30.9, quot annis præfuerit, ibid. 29, moritur ibid. 36*

*Ansgarij epistola, 30.17, libellus, ibid. 36, in obeunda legatione feruor 22.45, in officio diligentia 30.11, cura pro Collegiis 29, 50*

*Ansverus cum fratribus in Raceburg lapidatur 61.14, 114, 52*

*Anterus Roma. Pontif. 33.3, Martyrum historias iussit cõscribi ibid. 6, Martyr ibid. 12*

*Aquila imperialis quando plumis spoliata, 283, 28*

*Archiepisco. Hydruntinus trucidatur 331.29*

*Arnulphus imperator cum barbaris feliciter congligit 52.18, primus Francofordiæ eligitur ibid. 17, domat rebelles ibid. 21, moritur phthiriasi 54.15, 64.46, quare tam miserè perierit 54.19, Dionysij reliquias quomodo in Germaniam transtulerit 64.32*

*Arnoldus Westphale Episcopus Lubicensis, 317.5, confirmatur & consecratur ibid. 9, iudex in causa Luneburgensium ibid. 14 Ordinem Theuthonicum cum ciuitatibus Prussiæ conciliat ibid. 15*

*Arnoldus Osnaburg. episc. 166.8*

*Arnoldus Halberst. episc. 88.7*

*Arnsberg capitur & euertitur 167.18, restituitur Henrico comiti ibid. 19, postque eius mortem ad ecclesiam Colonien sem deuenit ibid.*

*Aselmus episco. Hildesemensis 103.32*

*Ascomanni piratæ cæduntur ibid. 24*

*S. Auctor Brunſwici videtur in muro 184, 55*
*Auſtria ſæpè mutat Principes 208.20, tandem ad Rodulphum Imperatorem deuoluitur ibid. 24*
*Auſtriæ dux ab Vngaris occiditur ibid. 13*
*Aulica locus quis, & vnde ita appellatus 9. 51*
*Aulicenſis Eccleſiæ Hildesheimum tranſlatæ hiſtoria 10. 15*
*Auerrois commentator Ariſtotelis 160.24, vir ſummi ingenij ibid. 33*
*Auicenna Medicus inſignis ibid.23, dominus Cordubæ ibid. 26*
*Auicennæ in medicina praxis ibid. 29*
*BAculus S. Petri cum aliis Sanctorum reliquiis Coloniam tranſlatus 75, 42*
*Baduardus Paderburnenſis Epiſcopus 13.30, 20.31.*
*Balduinus Flandriæ comes Rex Conſtantinopolis 181. 42, occubuit in prælio, ibi. 46. quidam mentitur ſe Balduinum, ſed conuictus falſi ſuſpenditur ibid. 47. 19, 54,*
*Balduinus quomodo Flandriæ comes factus 49. 47*
*Balduinus comes de Stenford epiſcopus Paderburnenſ. 249. 26*
*Balthaſar dux Magnopolenſ. Epiſcopus Sucrin. 325. 31, ducit vxorem ibid. 28*
*Balduinus Archiepiſcopus Bremenſ. 168, 35, ab Henrico Leone conſtitutus, ibid. 42 moritur 171. 39*
*Bartoldus electus in Archiepiſcop. Bremenſ. ibid. 40, Interest Concilio Lateranenſi, ibid. 44, Quid in Concilio poſtularit ibid. 45, quare reiectus 127. 11*
*Bartholdus de Landsberg Epiſcopus Verdenſ. 325. 31, Epiſcopo Hildeſemenſi opem fert ibid. 41, munit arcem Rodenborg, ibid. 55*
*Bartholdus Epiſcopus Halberſtadenſis 183, 14*
*Bartholdus epiſcopus Hildeſemenſ. 329. 41, bellum facit Hildeſemenſibus ibid. 46, moritur, 330. 9, Epitaphium à Crantzio illi factum ibid. 11*
*Balduinus Archiepiſcopus Bremenſis 311. 29, Iudex in cauſa Roſtochienſium exulũ, ibid. 51, moritur 312. 9*
*Bartolus Iureconſultus inſignis 259. 47, eius ſcripta ibid.*
*Bartoldus Epiſcopus cæditur ab infidelibus, 177. 39*
*Balduinus de Rnſle Epiſcopus Oſnaburgenſis 211. 28, auget cultum Religionis ibid.*
*Badur adi ad Aldricum legatio 20. 33*
*Bartholomæus Barenſis archiepiſcopus quomodo factus Pontifex 269. 53, Verba eius ad Cardinales 271. 1, Vrbanus V. dicitur ibid. 13*
*Barones de Holte turbant pacem 161. 22, rediguntur in ordinem ibid. 24*
*Barbaræ gentes legibus adſtrictæ manſuefcunt 105. 16*
*Bartholdus Epiſcopus Mimigardeuordenſis 51. 46*
*Bardewicum ab Henrico Leone ſolo æquatur 175. 49*
*Bardewici Neronis tempore Chriſtus docetur per D. Petri diſcipulum, ibi commorantem & morientem 3. 8*
*Bauo Abbas Corbeienſis 47. 12*
*Benedictus I. Rom. Pont. 36. 50*
*Benedictus II. Rom. Pont. 38. 35*
*Benedictus III. Rom. Pont. 40. 46, exemplar pietatis, ibid. 48, inuitus ad Pontificatum prouectus 73. 11*
*Benedictus IIII. Rom. Pont. 116. 54, melior ſuperioribus aliquot ibid. quando vixerit, 45. 31*
*Benedictus V. Rom. Pont. 118. 22, moritur Hamburgi in exilio ibid. 25. 72. 12. cum reliquis*
*Benedictus VI. Rom. Pont. 118. 33, ſtrangulatur ibid. 35*
*Benedictus VII. Rom. Pont. ibid. 46*
*Benedictus VIII. Pontifex 119. 39*
*Benedictus IX. Rom. Pont. ibid. 49, Gregorium VI. ſibi ſubſtituit ibid. 25.*
*Benedictus X. Rom. Pont. 120. 34*
*Benedictus XI. Rom. Pont. 236. 1, humilis loco natus 224. 15, accerſit ad ſe matrem, ibid. 16, quomodo eam exceperit ibid.*
*Benedictus XII. Rom. Pont. 236. 19, Monachus ibid.*
*Benedictus XIII. Auinione in Schiſmate creatur, 237. 11, deponitur ibid.*
*Benno II. epiſc. Oſnab. 136. 1, monaſterium D. Benedicti exſtruxit ibid. 17, item Iborg arcem ibi. 19, glires prouincia exturbauit ibid. 24*
*Benno epiſc. Aldenburg. 88. 30, Hildeſemij à populo preſſus moritur ibid. 44*
*Bernarius epiſcopus Verdenſis 58. 35*
*Berengarij ab Imperio deficiunt 54, 35*
*Benno epiſcopus Meckelnburgenſis 163, 51. multa perfert à Wandalis 164. 15*
*Berno epiſcopus Hildeſemen. 178. 53*
*Bernardus de Welpa archiepiſc. Magd. 221. 11, impugnatur ab Erico Brandeburgenſi ibid. 14*

*Bernardus episcopus Mindensis 70. 20, eius mors & Encomium ibid, 42. &c*
*Bernardus Dux Saxoniæ 87. 32, Dicitur Wandalis occasionem dedisse rebellandi, 88. 26, Imperatori rebellis 89. 35, Saxoniam rebellare facit ibid. 39, Ecclesias oppugnat ibi. 40, sit supplex Imperatori ibi. 44*
*Bernardus Episcopus Hildesemensis 154. 7, addit dittoni dominatum de Wintzenborg ibid. 12. factus cæcus Episcopatu cedit 164, 51*
*Bernardus Clareuallensis quare crucem publicarit 159. 46, sanat claudum ibid. 48, Cistertiensem ordinē ingreditur 160. 39*
*Bernardus Dux Brunswicensis episcopus Hildesemensis 316. 36, Contrahit matrimonium 316. 43*
*Bernardus dominus de Lippia fit Monachus 191. 20, Creatur Episcopus Lealbensis ibid. 24, conseceratur ab Ottone filio ibid. 25*
*Bernardus de Anholt Saxoniæ titulum consequitur 174. 15, 181, 32, defendit Waldemarum 186. 35, moritur ibid. 42*
*Bernardus Burggrauius Magdeburg. episcopus Halberstadens. 65. 27*
*Bernardi ducis visio de filiis 114, 15*
*Bernhardi Comitis Lippiensis commendatio 317. 32*
*Bernardus III. episco. Paderbur. 197, 44*
*Bernardus III. Episcopus Paderb. 191. 20*
*Bernardus Pipini filius capite plectitur 20, 10*
*Bernardus I. episcopus Paderburnen. 147. 50. impetrat priuilegia à Pontifice 148. 17*
*Bernardus II. episcopus Paderbur. 184. 16, vicinis gratus ibid. Iberg montem munire cœpit 184. 29*
*Bernardus de Lippia episcopus Paderburnensis 239. 52, obsidet Paderburnam 240. 6, nobiles de Hallinge domat ibi. 12, exstruit arcem Dringenberg ibid. 16, rusticis quid & quare concesserit 249, 30*
*Bellum inter Bremensem episcopum & duces Brunswicenses 303. 52, vnde ortum ibid. 53. componitur 304. 22. recrudescit 306, 34, ciuitatib. maritimis molestū 309. 48*
*Bellum inter Angliæ Galliæq; Reges 252. 12*
*Bellum inter episcopum Magdeburgensem & comitem de Anhalt 297. 8, quomodo gestum ibid. 15, &c.*
*Bellum inter Magnum Lunebvrgensem & episcopum Hildesemensem 263. 5*
*Bellum inter Daniæ regem & Ducem Sleswici 309. 46*
*Bellum inter filios Ludouici 23. 21. pugnā ibid. 28, in qua Carolus superior ibid. 29, ab Oratoribus Pontificis dirimitur ibi. 54*
*Bellum inter vrbes Saxoniæ & Wilhelmum ducem vnde ortum 322. 37, componitur ibid.*
*Bellum inter Henricū V. & Saxones 146. 19*
*Bertrandus de Aruasanis Lombardus episcopus Paderburnensis 292. 29, apud Volmarum de Brenken moratur 297. 46, inuisus nobilitati ibid. Iuramentum à ciuibus frustra postulat 298. 2, à quibusdā in arcem Dringenberg deducitur 298. 13, varia tentat contra Wilhelmum ibid. 16, captus ad Wilhelmum ducitur ibid. 26, scribit Pontifici pro Wilhelmo ibid. 19, redit in Italiam ibid. 41*
*Bertramus Cremon 254. 17, insulam magni precy dat Ecclesiæ ibid. 35, multa emit prædia ibid. 39*
*Bertoldus episcopus Lubecensis 186. 26, molendinum in Vthin ædificat ibid. 31*
*Bertholdus episcopus Hildesemensis 146. 37*
*Berwardus comes de Sommerscheborg episcopus Hildesemensis 87. 44, clarus miraculis ibid. 49, eius laus 88. 1, numero Sanctorum ascriptus 92. 33*
*Bezelinus archiepiscopus Hamburg. 100. 47, Clerum amat ibid. 53, munit Hamburgum 101. 13, 102, 24, Ecclesiam D. Bremæ exstruit restaurat 104. 26, Magnum Daniæ regem ad colloquium euocat, 103. 35, moritur 104. 36, Summa eius commendatio 102, 54*
*Biorn Rex Sueoniæ 23, 13*
*Birca caput regni Suedici 63, 11*
*Biso episcopus Paderbur. 54. 3*
*Bischoprode cœnobium fundatum 192, 47. translatum in Rintelen ibid. 51*
*Blondus 18. 28*
*Bodeken monasterium virginum à Meinulfo exstructum 13. 39. 20, 43, Reformatū mutato sexu 13. 42*
*Bohemi S. Viti reliquias Pragæ asseruant 295, 11, seniunt in Catholicos 300. 6, Germanos vexant nouis cōstitutionibus 297. 30 Wiclesi hæresin amplectuntur ibid. virus suum spargunt ibid. 42, vbique victores, 307. 29, Vicinos crudeliter incursant, 311. 12*
*Bohemiæ Rex cur ad Imperatoris electionem non vocetur 203. 47*
*Boleslaus Poloniæ Princeps fit Christianus 85, 25, Wandalū imperio subiicit ibid. 27*
*Bonaucntura Minorita 217. 20*

*Bonifacius martyr 17.29*
*Bonifacius I. Rom. Pont. 35.14*
*Bonifacius II. Rom. Pont. 36.16*
*Bonifacius III. Rom. Pont. 37.17*
*Bonifacius IIII. Rom. Pont. ibid. 22*
*Bonifacius V. Rom. Pont. ibid. 31*
*Bonifacius VI. Rom. Pont. 116. 31*
*Bonifacius VII. Roman. Pont. deturbatur Pontificatu ibid.*
*Bonifacius VIII. Roman. Pontif. 235. 50, quomodo ad Pontificatum venerit 225. 26, Regem Franciæ excommunicatum deponit ibid. 28, Iubileum primus promulgat ibid. 32, duos se gladios habere iactat 235. 51, Captus Romam ducitur ibidem 54*
*Bonifacius archiepiscopus Moguntin. martyr 3.49*
*Brandago Halberstad. episcopus 94.26*
*Brema & Stadium capiuntur 185.6*
*Bremensis Episcopatus in tres partes diuisus, 114.37*
*Bremensis Episcopi ministri insidiantur arci Rodenborg 226. 12, deprehensi cæduntur ibid. 15*
*Bremensis Ecclesia cum Hamburgensi coniungitur 25,36*
*Bremensis cereusia preciosa 229,33*
*Brema cum domo S. Petri conflagrat 104. 7*
*Bremæ 16. Consulares in carcerem coniiciuntur 310, 20, Ij quomodo euaserint ibid. 23*
*Bremensis Episcopatus termini à Carolo Magno constituti 8. 7. 142, 51*
*Bremenses tumultuantur 219. 11, Archiepiscopi domum exurunt ibid. 15. vexantur ibid. 24, Redeunt cum episcopo in gratiam ibid. 26, à Frisonibus damna patiuntur ibid. 27. Mauritio bellum denunciãt, 256. 10, Vastant diœcesin ibid. 19, quibus conditionibus cum Mauritio pacem fecerint ibid. 52. Gerhardo Hoiensi bellum indicunt 257, 9. prælio vincuntur ibid. 18, eiiciuntur è cõmunione Anzæ, Teuthonicæ ibid. 22, quibus conditionibus recepti sint, ibid. 29, Bellum redintegrant ibid. 33. Vastant Comitatum Hoyensem, ibid. 41. Oppugnant Hoiam, ibid. Occupant Tedinghusen ibid. 50. pacem cum Gerhardo faciunt, ibid. 53. Occupant oppidum Walfrade 282. 54, item arcem Drakenborg ibid. 55, Bello vexantur à Frisiis 283. 2, agunt cum Episcopo de præfectura quadam 793. 47, mouent in Buttiadas ibid. 16, prædam ex eorum ditione abigunt ibid. conqueruntur de vectigalibus in Todesio ibid. 32, deliberant de munitione erigenda 295. 49, Episcopum suum qua de re suspectũ habeant, 296. 2, conqueruntur de iniuria sibi illata ibid. 11, bellum Oldenborgensibus Comitibus faciunt, ibid. 23, prædas agunt ex illorum ditione ibid. 29, Christianum Comitem captum Bremam ducunt, ibid. 32, ad quid incitarint rusticos, ibid. 40. Didio Frisiæ Capitaneo bellum dicunt, 299. 7, Frisios imperata facere cogunt, ibid. Capitaneos quosdam ad pacis conditiones adigunt ibid. Episcopo & Clero litem mouent 332. 46, tumultuantur 310. 3, aliquot vrbe eiiciunt ibid. nouum creant Magistratum ibid. 11. Proconsulem capite mulctant, ibid. à Frisiis fædè cæduntur 327.3*
*Bremenses exules ad Comitem Oldenburgensem confugiunt 265. 39. vrbem denuo occupant ibid.*
*Bremensium cum episcopo suo contentio 197. 17. componitur ibid.*
*Brigitta ex Suecia oriunda 260, 42, Habet visionem ibid. monet Pontificem vt Romam redeat 262. 16, Hierosolymam proficiscitur ibid. 47. Moritur ibid. 53.*
*Bruno de Isenborgh Episcopus Osnaburgensis 193. 25, cur excommunicatus, ibidem 29*
*Bruno Colonien sis primus Carthusianus, 132. 20*
*Bruno Colonien sis 75. 10*
*Bruno episcopus Colonien sis 90, 32*
*Bruno Episcopus Mindensis 100. 25, Monasterium Mauritij exstruit, ibid. Moritur ibid. 33*
*Bruno II. Episcopus Verdensis 105. 23*
*Bruno Tullensis episcopus 100. 18, Pontifex Leo IX. 120. 20*
*Bruno Dux Saxoniæ 41. 41, vnde ortus ibid. expeditionem instituit contra Barbaros, ibid. 4. 9, cõfligit cum hostibus in Ebbeckstorp 42. 4, cum XII. Comitibus & multis Episcopis pro Christo trucidatur ibid.*
*bruno Bambergensem comitatum vult restituí 94. 41, visione territus desistit ibidem 45*
*Brunswicum vnde habeat nomen 41. 49, 50. 48*
*Brunswici palatium Ducis conflagrat, 212, 49*
*Brunswici vrbis pars paret Episcopo Halberstadensi 244, 34.*

*Brunſwici & Magdeburgi turbulentus Reſp. ſtatus 223.27*
*Brunſwicenſis ducatus diuiſio 218.31*
*Brunſwicenſes capiunt Goſlariam 185.3*
*Brunſwicenſes duces hoſtiliter inuadunt comitatum Hoicenſem 304.4, Arma & equos amittunt, ibid.9. Oppugnant Comitem Spegelbergenſem 311.9*
*Brunwardus epiſcopus Suerinenſis 180.47*
*Bucken cœnobium à Remberto exſtructum, 48.6*
*Bulla de reformatione cleri ſecularis 266.29*
*Bulla aurea, ſiue Carolina conſtitutio ibid.17*
*Burchardus epiſc. Monaſterienſis 153.36*
*Burchardus archiepiſc. Magdeburg. 193.53.*
*Burchardus Oldenburgenſis comes à Stedingis interficitur 195.36*
*Burchardus de Sarken epiſco. Lubicenſ. 220, 22, Vixit CXX. annis, ibid. Romam abit, ibid. 43*
*Burchardus de Blanckenborg Archiepiſcopus Magdeburg. 225.9, nobilitati non admodum gratus, ibid. cuadit paratas inſidias, ibid.*
*Burchardus de Warberg Epiſcopus Halberſtadenſ. 311.7*
*Burchardus comes Bauariæ Epiſcopus Halberſtadenſ. 99.55*
*Burchardus Monaſt. epiſcop. 139.38, eiectus ab Henrico V. reducitur ibid. denuò eiicitur 147.30, reſtituitur ibid. moritur, ibid. 35*
*Burchardus Grelle archiepiſc. Bremenſ. 245.1. quomodo ad epiſcopatum enectus ibid. confirmatur à Pontifice ibid. 23, rebelles in ordinem redigit ibid. 31, Friſios domat, ibid. 36. cum Verdenſ. tranſigit ibid. 45, Coſmi & Damiani reliquias quibus ceremoniis leuarit ibid. Ruſtringos ad pacem cogit 248.24, moritur ibid. 30*
*Burchardus de Schrapelow Archiepiſcopus Magdeburgenſis 239, 14. obſidet Magdeburgum ibid. Capitur ibid. dimiſſus ciues infeſtatur ibid. coniicitur à ciuibus in carcerem 16.39, ibique clauis conſigitur ibid.*
*Burggrauiorum familia vnde orta 65.31*
*Buxtehudenſes quare incenderint Monaſteria 334.29*

*Calixtus Rom. Pontifex 32.36, inſtituit ieiunia quatuor temporum, ibid. martyr ibid.41*
*Calixtus II. Rom. Pontifex 232.25, tranſegit cum Henrico V. ibid. Concilium celebrauit ibid.*
*Calixtus III. Rom. Pont. 321.30, bellũ Turcis indixit ibid.*
*Canutus Danie rex & Waldemarus Hamburgo inſidiantur 183.50, repelluntur ibid. occupant Hamburgum 184.2, & Lubecam ibid.7, Adolphum Holſatiæ comitem capiunt ibid.2*
*Canutus Daniæ Rex ſubdit ſe Imperio 148.21, obtruncatur à Zuenone ibid.24*
*Canutus Magnus Zuenoni ſuccedit in Dania 90.38, Angliam occupat ibid.40, ex eâq. multos in Daniam epiſcopos adducit, ibid.42*
*Canuti Magni potentia 95.20, ibid.35*
*Canutus Wandalorum princeps trucidatur 150,18 & 52, Wandaliæ principatum occupat ibid. 38, rex Obotritorum à Lothario creatur ibid. 48*
*Canonicus ſecularis quid 197,47,89,20 &c.*
*Canonici olim fratres 68.26*
*Cancellarij appellatio vnde ibid.45*
*Capuanus princeps captus ad Carolum pertrahitur 275.33*
*Cappenberge Monaſterium fundatũ 160.21*
*Cardinales aliquot in Vrbanum VI. conſpirant 275.12, capiuntur ibid. ſtrangulati defodiuntur 277.8*
*Cardinalis Pileus ſuſpectus Carolo regi 275.39, Tranſit ad Antipapam 276,51, Scribit ad Germaniæ principes ibid. 52, exurit capellum ab Vrbano datum 277.4*
*Carolus Magnus, quare non antè potuerit vincere Saxones 1.46, cur ius gladij Epiſcopis in Saxonia conceſſerit ibid. qua conditione Saxonibus pacem dederit, 23.24, & 45, Germanus 59.28, quare & qua occaſione Græces profeſſores Oſnaburgæ inſtituerit 4,10 & 37, tranſito Albi domat Orientales Saxones ibid. 50, exſtruit Eccleſiã in Salingſtede 52, Subuertit Idola ibid. 7, Magdeburgi ſimulacrum deiicit ibid. 15, ædificat templum Paderbornæ ibid. 35, erigit Eccleſias in Miminrode 6.1, eiq. præficit Ludgerum ibid. 16, Epiſcopatum inſtituit in Koneude, qui poſtea Verdam tranſlatus eſt ibid. 34, huic præficit Swibertum Anglum, ibid. Eccleſiam Bremenſem exſtruit 74, eiq. primum Epiſcopum conſtituit Willehadum Anglum ibid. 6, Wedekindo myſteria venerabilis Sacramenti explicat 9.28, Mindenſi Eccleſiæ præficit Heribertum, ibidem 36, in loco Aulica Eccleſiam ædificat 10.15, eique Epiſcopum dat Guntherum, ibid. Hadelerios rebel-

rebellantes domat ibid.42, venit Hamburgū 11.6, ibique idola demolitur ibi.7. relinquit præsidium ibid.23. sacerdotem constituit ibid. repellit perduelles ibid. 35. restituit Leonem III. 12.16,40.3. Imperator inuitus salutatur 12.25, Imperium in occidente restituit, ibid. pacem cum Irene facit, 13. 5, ad Salam fluuiū excipit legatos Nicephori, ibid. 18. Hamburgi eccle siam extruit 14.6, eiq. Heridagū præficit ibid. Hamburgū restaurat ibid.27, filium Ludouicum successorem cōstituit ibid.47, venatū proficiscitur 15.2. febri corripitur, 16.4, moritur ibid.9, vincit Lōgobardos, 39.52, Rauennatem Exarchatum dat ecclesiæ 39.52, Sanctorum numero asscribitur 167. 21, Wedekindum prælio superat 3.44, Ecclesiam Osnaburgæ exstruit, ibid.46

Caroli Magni literæ 4.17, Priuilegium Eccle siæ Bremensi datum 7.29, ossa eleuantur, 167. 21, studium in propaganda versus Aquilonem fide Christiana 14.4. ibid. 30, Munificentia & pietas 15.14 sepultura ibid. 11, Epitaphium ibid. 12, Testamentum & thesaurus 15.14, Palatium eius sit stabulum equorum 47.7, pater Pipinus Rex à Pontifice creatur 39, 28

Carolus grossus Imperator 58.22, concedit Normannis partem Galliæ ibid. cedit Imperio ibid.30

Carolus Caluus Normannis agros concedit, 29,3

Carolus IIII. Imperator author bullæ aureæ, 266.19, Occupat Marchiam Brandeburgensem 267,34. emit Imperium filio, 283.23, crebro moratur Tangermundæ, 267.41, Albim ex Bohemia nauigabilem efficere conatur ibid. Lubecam visit 268, 49, Erphordiam oppugnat 269. 5, sed frustra ibid. Romanorum rex coronatur, 257.1, abit in Italiam cum exercitu 16. 4, Statuta pro Ecclesiasticis edit ibid. 14.

Carolus Duratius nascitur 274.12, Siciliæ coronam accipit 273, 27. Neapolim occupat ibid. 38, Arcem oppugnat ibid. 42, Spargit pecunias 274.14, insidias Vrbano VI. Struit ibid. 40, vocat eum ad se, ibid. 45, recusantem venire, iubet adduci ibid. 48, ducit in Ludouicum ibid. 54, conscius coniurationis in Vrbanum, 275. 21, excommunicatur ibid. in Vngariam contendit 276. 32, Vngariæ partem occupat ibid. occiditur ibid. 33.

Cereuisia Hamburgensis magni fit 280,53

Ceuila solo nomine Episco. Verdensis 20,51

Christiani inducias faciunt cum Saracenis, 178.14

Christianismus in Wandalia subuersus 114, 44

Christianus Comes de Oldenborch trucidatur 177. 19, percussores supplicio afficiuntur ibid.20. &c.

Christianus de Oldenborg Henrico Leoni rebellat 168. 13, moritur ibid. 19.

Christianus Mogunt. quid in Italia quo nomine gesserit ibid. 49, sua manu nouem milites sternit ibid. 55, Nobilibus XVIII. sua manu dentes excutit 169. 2, Bononienses prælio vincit ibid. 3, Quomodo à Paschali salutatus ibid. facit rem diuinam ibid. 8, Anconam obsidet ibid. 20, Thuringus ibid. 33, Quid scripserit, ibid. 26, Asinos & meretrices magno alit ibid. 29, Ferrariam Rauennamq; domat ibidem. Anconam occupat, ibidem 34

Christiernus Daniæ Rex vnde ortus 309, 14

Christophorus Brunswici dux, Episcop. Verdensis 335.25, sit sacerdos XVII. annos natus ibid.33

Christophorus Rom. Pont. 117.7, deruditur in monasterium ibid. 9

Circuncelliones Halæ quid docuerint 20,51, Minoritas & Prædicatores accusant 211. 6, Veritatis cognitionem sibi solis tribuunt ibid. 8, Papam oderunt ibid. 16. Causam Friderici probant ibid. 18

Ciriacus cur non numeretur à quibusdam inter Pontifices 32.54

Ciues militares nobilibus aliquando æquales, 70.31

Clandestina conspiratio Magdeburgi supprimitur 318.15

Clara virgo, Eremitarum ordinis 228.29, effigiem crucis in cor impressam habuit, ibid.39

Clemens Rom. Pont. in exilium missus 31. 25, martyr. ibid.

Clemens II. Germanus. Rom. Pont. 120.10, veneno periit ibid. 13

Clemens III. Roma. Pont. 233.41

Clemens IIII. Roman. Pontif. 234. 43, vxoratus ante Pontificatum ibid.

Clemens V. Roma. Pont. 236.6

Clemens VI. Rom. Pont. ibid. 24, creat vicecomites Imperij ibid.25

Clemens VII. Roma. Pont. à Gallicis Cardi-

*valibus creatur 237.1.*

*Cleri incontinentia 95.7,94.23 & 29, vrticæ similis 336.46*

*Cleri insignis reformatio 18.21*

*Cletus tertius à Petro Pontifex 31.14, martyr ibid.*

*Clotavu monasterium quando & à quo fundatum 204.3, Translatum in Reme ibid. 10, inde in Valdorpe ibid.13*

*Cobbo Comes in Tekeneborg 298,51,12. prædia quædam Osnaburgensi ecclesiæ admit 29.12, qualem episcopum Osnaburgensem petierit 51.22*

*Cælestinus 1. Rom.Pont. 35.18, quid constituerit ibid.*

*Cælestinus II. Rom.Pont. 232.44*

*Cælestinus III. Rom.Pont. 233.48*

*Cælestinus IIII. Rom.Pont. 234.19*

*Cælestinus V. Rom.Pont. 235.4, homo simplex ibid.46*

*Cælestinorũ ordo quomodo inceperit 224.4*

*Cœnobiis multiplicatis decreuit pietas 242, 26*

*Colonien sis & Treuirensis ecclesiarũ perturbatio 48.46*

*Colonien sium Archiepiscoporum lis de Bremensi ecclesia 52.37.70,65,101.30*

*Colonien sis episcopus unde dux Westphaliæ, 97.31, ducatum Westphaliæ ab Imperatore in feudum accipit 178.1,181,30*

*Collatio nostri seculi cum superioribus 94. 21*

*Collegia fratrum in Canonicorum mutata 89.20, Quid ex ea mutatione sequatur, ibid.22*

*Collegia passim in Wandalia exstruuntur, 112.12*

*Collis ubi Rembertus oranit, semper viridis 47.20*

*Comes de Pyrmont unde dictus & ortus 19. 5.*

*Comes quidam de Stallberge, archiepiscopus Magdeburgensis 244.13*

*Cometa visus quid portenderit 236.55*

*Comites de Ringelheim & Oldenborg ex Wedekindi stirpe 58.18*

*Comitatus de Marca initium 162,54*

*Comites de Marca olim de Allena ducti, 228.15*

*Comites aliquot & nobiles à Rustringis Frisonibus quare cæsi 208.33*

*Comitia Moguntia & Oppenheim 128.12, 133.8*

*Comitia Moguntiæ 175.2*

*Comitatus de Hota initium ibid.54*

*Concilium Vesontij 166.45, Lugduni 207. 28*

*Concilij Aquisgranensis causa 19.33*

*Concilium Constantiense 299.54,320,54. Schisma sustulit 308.26*

*Conflictatio inter reges Daniæ 209.52*

*Confusio rerum ex annalium simplicitate 17. 10*

*Coniuratio in Ludouicum Pium 28.8, in Ottonem 66.51, in Henricum IIII. 123. 33, in Godscalcum 114.5, ibid.48*

*Cono Episcopus Mindensis 215.20*

*Cono Thrax Pont.Ro. 38.44*

*Conradus primus, postremus Imperator ex Caroli Magni stirpe 67,45.*

*Conradus secundus, Imperator post Henricum eligitur, 94.31, Henricum fratrem Sueuia pellet ibidem 34, Filium curat eligi Regem Romanorum ibid. 48, Confecratur Romæ ibid. 53, Moritur Trajecti 96.29,99.5, Solidam pacem in Imperio constituit 96.32*

*Conradus tertius Imperator, Saxoniæ Ducatum dat Alberto Vrso 151.31, expeditionem instituit in terram sanctam, 158.51, ludificatur ab Imperatore Constantinopolitano ibid. 54, Obsidet cum aliis Damascum 159.5, ea obsidio qua fraude sit soluta ibid.6*

*Conradus, Henrici quarti filius, in Italiam cõcedit 134.6, paucis detegit causam offensionis paternæ ibidem 27, Catholicus & pius, ibid. Deo & hominibus charus, 134.35, Decedit immaturamorte, ibid. 35*

*Conradus Friderici II. filius, Henricum de Schwartzborg prælio vincit 208.9, Circuncelliones defendit 211.22, deseritur à sua nobilitate ibid.25*

*Conradus episcopus Colonien sis, tres Imperatores ordine coronauit 204,41*

*Conradus Abbas in Reddageshusen, Episcopus Lubecens. 165.39, moritur in Tzurs, olim Tyro 166.6*

*Conradus Episcopus Lubecensis 174.24, Imperatoris Cancellarius ibid.34, cedit sponte Episcopatu ibid.40, cæditur in tumultu ibid.42*

*Conradus de Gisenheim Episcopus Lubecensis 270.47*

*Conradus de Retberge Osnaburgen.episcopus, 215,50*

*Conradus de Depholt Osnaburgensis Episcopus 314.46, libertatem Ecclesiæ defendit ibid.*

*Conradus Episc. Hildesem. 189.48, sex cœnobia fundauit ibi. 50*
*Conradus de Retberge Episcopus Osnab. 331. 38, Idem Monasterienſis Epiſcopus ibi.*
*Conradus de Depholt Epiſc. Minden. 192.46, moritur 193.21*
*Conradus II. Epiſc. Mindenſis 231.26*
*Conradus de Sterneberge Archiep. Magd. 218.7, Iudæis infenſus ibid. 9*
*Conradus Epiſc. Halberſt. 189.13, ſit Monachus ibid. 15*
*Conradus de Querforde archiep. Magdeburg. 154.38*
*Conradus de Retberge epiſcopus Monaſter. 333.4, quomodo à Capitulo reſtrictus ibid. 10, potens ibi. 13*
*Conradus epiſc. Raceburg. 223.14, renitens aſſumitur ibi. 15*
*Conradus Loſten epiſcop. Suerinenſis 331.19, multa prædia Eccleſiæ redimit ibid. 23*
*Conſpiratio Bremæ in primores 258.2, 265. 4, dicta Grandis ſocietas ibid. vnde orta ibid. 54*
*Conſtantini donatio 34.14, 305.39*
*Conſtantinus Rom. Pont. 39.11*
*Conſtantinus II. Rom. Pont. ibi. 41, deiectus à populo ib. 44*
*Conſtitutiones de habitu clericorum 172.31*
*Conſuetudo, vt nomina mutent Pontifices, vnde ſit, & quando cœperit 41.31*
*Contentio Colonienſis & Treuirenſis epiſcoporum de Regis conſecratione 66.43*
*Contentio de Saxoniæ ducatu 159.16, inter Critonis & Henrici poſteros 151.50, inter Bremenſem epiſcopum & Comites Holſatiæ 206.30, de Comitatu Stadenſi 220. 37, 152.46*
*Continentia Romæ rara 253.32*
*Controuerſia inter ciues Lubecēſes & Clerum 220.40*
*Controuerſia Latinorum & Græcorum diſcutitur & componitur victis Græcis 315.32*
*Conuētus epiſcoporum aliquot 129.33, 133. 7, in quo Gregorio VII. Wichertus Ponti ſex ſurrogatur ibid. 26, 129.35*
*Conuentus principum Magdeburgi 174.4, Moguntiæ 139.46, Tremoniæ 92.41, quid in eo decretum ibid. Neomagii 223*
*Corbeia in Galliis, item ad Viſurgum 18.30*
*Corbeia monaſterium pietatis nomine celebre 59.45, cur ex eo plerunque Hamburgenſes archiepiſcopi deſumpti ibid. 36*
*Corduba Senecæ & Lucani patria 160.26*
*Cornelius Rom. Pont. 33.13, relegatur Centumcellas ibid. martyr ibid. 18*
*Corporatrium Regum Coloniam deportata 167,6*
*Crantzius vnde ſumat hiſtoriæ ſuæ initium 3.17, corpus vidit Alberti Magni 226. 53*
*Crebræ inundationes & tempeſtates 177.12*
*Crito Wandalorum princeps dux rebellionis 121.25, ſeuit in vicinos ibid. interimitur ibid. 140.31, hoſtis Chriſtianorum ibid. 23, inſidiatur Henrico ibi. 28*
*Cruces lachrymis ſudare viſæ 126.12*
*Crux Dominica Hieroſolymis inuenta 34. 13*
*Cunigunda Henrici coniunx, quomodo ſe de adulterio purgarit 92.1*
*DAgo archiep. Magd. 90.28, ſucceſſorem habet Waldardum ante ſe electum 92.10*
*Damaſus Rom. Pont. 34.48, probauit Hieronymi tranſlationem ibid.*
*Damaſus II. Bauarus Romanus Pontif. 120 15*
*Damiata à Chriſtianis capta 176.34, 212. 18, item Acon ibid.*
*Dania multos reges habuit 41.29, Ottoni Magno aliquando paruit 69.29, valde potuiſſa 84.3*
*Dani aut Normanni Friſones tributarios faciunt 23.31, Coloniam obſident ibidem 33, Hamburgum incendunt ibid. 34, Saxoniam & Friſiam populantur 47.13 & 2, Traiectum excindunt ibidem 4, Coloniam & Treuirim incendunt ibid. 6. Cæduntur in Friſia ibid. 19, ſolum Ludouicum formidauere ibid. inuadunt Gallias 48.40, Haldanum mittunt in Angliam ibid. 43, expugnant Northumbriam ibid. 45, occupant Angliam ibid. Saxoniæ terrorem incutiunt 62.34, Friſiam vaſtant 83.43, Saxonas prælio ſuperant ducēſque captos abducunt ibid. cæduntur à Bennone ibid. 51, Prædatores Dani Aſcomanni dicti ibid. Vicies mille à Saxonibus cæſi ibid. 55, foris inuicti, domi non item 84.1, Piratæ infeſtant Germaniæ littora ibid. 82, 155. 42, Stadenſem Comitatum populantur ibidem 44, profligant Saxones ibid. 47, cæduntur à Saxonibus ibid. 55, captiui ſuſpenduntur 156.1, denuò alij cæduntur ibid. 2, Iohannem Ion appellant 228.48, Turones ſuccendunt 29.31, Pariſios obſident ibid. mutuis armis concurrunt ibidem 35, graſſantur per vicinas prouincias 50.14, Treuirim captā incendunt ibi.

*vastatores pronunciarum 67.18, in Italiam penetrant 99.10, Romam vsque progrediuntur ibid.13, qua occasione Christi fidem sint amplexi, vide cap. 19. lib. 1. vexant vicinos 24.40, mare Germanicum infestum habent ib.44, Coloniam & Hamburgum vastât 257.7 stragem in Ebbeckstorp edunt 50.43, sæui & crudeles leg. lib. 2. cap. x. quare Ludouici tempore quieti 51.30, cõmodius à suis quàm alienigenis in fide instituuntur 131.13*

*Danorum quidam princeps post mortem excõmunicatus 84.44*

*Danici populi studium in propaganda religione . 16.16*

*Decimæ vnde in laicorum manus deuenerint 4.3*

*Demyn ciuitas 77.1*

*Deus audit iustorum preces 161.1*

*Detleuus Parkentin episcopus Raceburgensis 289.45, sumptuosus ibid. deuotus ib.51*

*Dethmarus episcopus Hildesemensis 99.32*

*Dethmarus Halberstadensis episcopus 135.18*

*Dethardus episcopus Hildesemensis 66.5*

*Deus dedit Rom. Pontif. 37.26, sanat leprosum ibi.*

*Diabolus sæuit in Danis 56.44*

*Didus Frisiæ capitaneus 299.8*

*Differentia inter Burggranios, Marchiones, Comites, & Lantgrauios 154.41*

*Dionysius Rom. Pont. 33.34*

*Dissidium inter Ottonem Bauarum, & Magnum Saxonem 123.52, cõponitur 124.7*

*Dissidii inter Pontificem & Henricum IIII. causa 139.39*

*Dithmarus Mindensis episcopus 179.43, edit miraculum ibi.45*

*Dodo Osnab. episc. 67.42*

*Dodo II. Osnab. episc. 86.20*

*Dodo episcopus Mimigardenor. 68.31*

*Donus Rom. Pont. 118.38*

*Dorstadium oppidum 12.12*

*Driborch, olim Iborch, ecclesiæ Paderbornensi donatur 11.3*

*Drogo Mindensis episcopus 64.20, moritur ibi.43*

*Drogo Osnab. episc. 74.53*

*Ducatus Brunsuicensis prima diuisio 218.31*

*Duces Saxoniæ de securitate publica constituunt 284.14, sed frustrà ibi.*

*Dudo episcopus Paderbornensis 58.50*

EBertus episcopus Osnaburgensis 56.13, laborat pro recuperandis prædiis legesequentia loci citati.

*Ebo Rhemensis archiepiscopus 20.5, conscius conspirationis in Ludouicum Pium 21.36, author belli inter filios Ludouici 23.45, deponitur ibi. venit Hamburgum 21.49, Hildesemensis episcopus creatur ibi. 52, Ansgario familiaris ibid.*

*Ecclesia quibus vsibus arma habeat 72.54*

*Echilo episcopus Hildesemensis 121.38*

*Edo quare monasterium incenderit 104.11*

*Ednardus Frisius Groningensiũ hostis 333.18*

*Egbertus Saxoniæ Marchio Pragam expugnat 193.33*

*Egbertus episcopus Monasteriensis 160.18*

*Egehardus ad imperium aspirat 90.4, opprimitur ab hostibus ibid.*

*Egelmarus Osnab. episcopus 63.49*

*Egwardus episcopus Aldenburgensis 77.4*

*Eimbecа à Comitibus de Dassel vexatur 215. 14, subiicit se Alberto Brunsuicensi ibidem 6*

*Eizo episcopus Aldenburgensis 112.19*

*Elizabeth numero sanctorum ascribitur 196. 49*

*Emanuel Græcorum Imp. Soldano bellum facit 172.50, scribit Friderico Imperatori ibid. homo vanus & inflatus 173.4*

*Emehardus seu Euerhardus episc. Meckelburgensis 157.39, vir integræ vitæ, ibid.*

*Emma pijssima matrona 103.50*

*Emundus rex Sueoniæ 81.12, 108.36*

*Engelhardus archiep. Magdeburg. 105.1*

*Engelbertus de Wepe Osnab. episc. 242.35, arcem Witlage exstruit ibid.*

*Engelbertus Minden. episc. 111.18*

*Episcopi schismatici recipiuntur ad communionem Ecclesiæ 171.11, quibus verbis hæresin & schisma abiurarint, quibus verbis data sint illis pallia ibid.*

*Episcopi aliquot excommunicantur 140.11*

*Episcopi quando & vbi primùm per alios officium administrarint 258.52*

*Episcopi XX. versus Septentrionem ordinati 131.52*

*Episcopo quibus armis tyrannis occurrendum 67.22*

*Episcopis interdum vsui est rei militaris peritia 291.45, &c.*

*Episcoporum Aldenburgensium successio 156. 29*

*Episcoporum veterum & nostrorum in Germania comparatio 57.3*

*Eremita quidam XX. annis absque cibo viuit 331.44, habet suos obtrectatores ibid. moritur ibid.*

*Ericus Daniæ Rex sæuit in Christianos 28.37, fit Christianus ibid. suis mandat, vt idem faciant*

faciant 29.42, erigit Ecclesiam apud Ripam ibid.43, iubet Idola tolli 26.3
Ericus Daniæ Rex capite truncatus 212.29
Ericus Sueonum Rex, hostis Christianismi 84.48, admittit in ditiones suas Christianismum 85.56, cum Ottone tertio conflixisse putatur 86.2
Ericus Brädenburgensis, electus Magdeburg. 222.11, inuisus ciuibus ibid. liberatur è captiuitate ibid.18, obsidet Nouumgaterslene ibid.20
Ericus dux Saxoniæ inferioris episc. Hildesem. 335.9, sponte loco cedit ibid. intercedit pro Ioanne fratre ibid. fit Monast. episc. ibidem
Ericus à Grubenhagen epis. Paderbur. 337.37
Ericus de Grubenhagen Osnab. episc. ibi.31, idem Paderburnensem ecclesiam tenuit ibidem
Erlulphus epis. Verdensis 16.54
Ernestus de Schowenborg episco. Hildes. 318.26
Ernestus dux Saxoniæ archiepisco. Magdeb. 328.28
Ernestus de Honstein epis. Halberst. 285.54, cum Friderico Brunswici duce contendit ibid. deponitur à Pontifice 293.54
Ernestus archiepisc. Magdeburgensis, administrat ecclesiam Halberstadensem 328.49, obsidet Halberstadium 329.3, Dedi tione capit ibid.10
Erphordiæ Comes de Schwartzburg cum aliis in latrina perit 174.20
Erphordienses tumultuantur 222.52, authores tumultus cæduntur gl.dio 223.6
Erpo Monast. episc. 137.16
Erponis Monasterienses episcopi sigillum ibidem 29
Erpo episc. Verdensis 80.16, quomodo ad episcopatum peruenerit ibi.
Eucharistia apparet cruenta 249.2
Euergisus Mindensis episco. 75.40
Euergisus episc. Pader. 159.43
Euerhardus de Deest episcopus Monast. 240.23
Euerhardus Attendorne episcop. Lubecensis 283.33
Euermodus epis. Raceburgensis 158.13
Eugenius I. Rom. Pont. 38.5, monachos intra cœnobium primus includit ibid.
Eugenius II. Rom. Pont. 40.15
Eugenius III. Rom. Pont. 232.53
Eugenius IIII. Rom. Pont. 321.9, Ferrariæ inchoat Concilium 315.24, ipse co proficiscitur ibi. transfert Concilium ob pestem Florentiam ibid.30, XVIII. Cardinales creat ibid.40
Euilpus episc. Halber. 54.31
Eusebius Rom. Pont. 34.12
Eutychianus Rom. Pont. 33.44, CCC. martyres sepeliuit ibid. martyr ibid.
Exarchatus Rauennas donatus ecclesiæ Romanæ 12.44
Exemplar literarum Pontificis, quibus Ansgarium legatum in prouincias septentrionales facit 26.36
Expeditio in terram sanctam, eius q. successus 159.46, 160.1, exercitus Christianorum in tres partes diuisus ibi. prima insignem accipit cladem ibid. altera capit Vlyxbonam ibid. tertia in Wandalos educitur ibid. obsidet Dobbin & Demin. ibid. cogit Wandalos imperata facere ibi.
Expeditio in terram sanctam, duce Godefrido de Bulion 134.14, 135.31, succedit feliciter 137.23
Expeditio in terrã sanctam sub Friderico 175.18, 176.30
Ezico episc. Aldenb. 82.34

FAbula de Benedicto Papa Hamburgi cum multis martyribus trucidato exibitur 42.4, & sequentibus capitib. item 51.3, 72.27, & sequent.

Fabulæ istius occasio 43.23, 72.17, 46.17, &c. author valde ineptus 43.5, addit mendacia mendaciis 46.22
Fabula de Thietmarsorum origine exibitur 144.25, eorum vera aut verisimilis origo ibid.39
Fabula de Hildebrando puero 105.35, de Henrico Imperatore 94.11, de Leone & Henrico Saxoniæ duce, vnde orta 167.30
Fabianus Rom. Pont. 33.8, martyr ibid.
Factiones inter Pontifices 116.35, inter Cardinales 166.32
Fames diuturna 137.54
Felix Rom. Pont. 33.39, festa martyrum instituit ibid. ipse martyr ibi.
Felix II. Rom. Pont. 34.43, occiditur ibid.
Felix III. Rom. Pont. 35.39
Felix IIII. Rom. Pont. 36.11
Felix Sabandiæ dux Rom. Pontif. 321.16, cedit Nicolao, manet q. Cardinalis ibid.
Flagellantium secta qualis 258.43
Flandriæ Comitatus initium 49.41
Florentius de Brunckhorst archiepisco. Brem. 225.35
Florentini Pogij epistola de Hussi pertinacia 308.43
Florentius de Wevelkauen epis. Monast. 259.

*27, transfertur ad ecclesiam Traiectensem ibi.*
*Formosus Rom.Pont. 116.26, Arnulphum facit Imperatorem ibid.29*
*Formosi Pont. literæ 52.53*
*Fratricelli, vetus secta 227.54, extirpantur ibid. author hæresi exuritur ibid. quomodo sacra sua peragant ibid.*
*Franciscus Petrarcha 252.31, Iuris studium contemnit ibid. quid scripserit ibid. mo rtur in solitudine ibid.*
*Franciscus Maronis Theologus 249.40*
*Franciscus numero Sanctorũ ascribitur 194. 43*
*Franciscus dux Brunswicensis episc. Mindensis 337.44*
*Franconia olim Francia dicta 329.23*
*Franci Germani Galliæ partem occupant 96. 44, &c.*
*Franck, idem quod liber ibid.48*
*Frembertus secundus Hildesemensis episc. 19, 46*
*Fridericus primus Imperator, Comitia agit in Wirtzburg 162.1, domitus gladio spirituali 153.33, Placentiam subigit 162. 4, terret Pontificem ibid.6, qualem picturam Romæ viderit ibid. Adriani literis offenditur ibid. mouet in Lombardiam ibid.24, obsidet Mediolanum ibi. Moguntiam cuertit 167.4, Mediolanum occupat ibid. redit in Italiam cum exercitu 168.18, Romanis erumpentibus, multos è suis desiderat ibid. redintegrato prælio VI. M. Romanos cædit cur Cistertiensem ordinem oderit 169.14, cum Alexandro luctatur ibid.47, quem colorem suæ causæ induxerit 170.2, qua re compulsus de pace cogitarit ibid.12, quare Henrico Leonii infensus ibid.22, Lubecam capit 147.17, rescribit Græcorum Imperatori 173.8, cumq; hortatur ad obedientiam ecclesiæ Romanæ ibid. de Henrico Leone conqueritur 174.5, pellit eundem ad extrema Germaniæ ibid.8, proficiscitur in terram sanctam 176.11, submergitur ibid. & 233.44*
*Friderici Imperatoris literæ ad Cardinales 199.43*
*Fridericus II. Imper. primo deterior 180.3, Cardinales & Prælatos biennio in carcere tenet ibid.7, Pontifice creato, quid dixerit ibid. mittit Legatum ad Concilium ibid. deponitur ibid. electus contra Ottonem 181.4, 188.6, Dimicat cum Ottone 190.48, Fabula de eius natalibus 190.34, malleus orbis ibid. Soldani amicus ibid. fit insolentior 198.48, excommunicatur à Gregorio IX. ibid. idq; quare 194.3, in terram sanctam proficiscitur ibid. Icrosolymam nudis pedibus ingreditur 195.4, Genuensium classem vincit 206.13, hæreticus à nonnullis habetur 207.3, denuò excommunicatur ibid.34. ad Concilium legatos mittit ibi. 31, de quinta uxore cogitans moritur 209.50, absoluitur ante mortem 212.44, filium regno priuat 196.35, Regi Franciæ rescribit 198.9, quare Pontifici suspectus ibid.15, auertit Saracenum à Christianismo ibid. Quibus de causis excommunicatus 198.45, quibus verbis ib. multas ecclesiæ vrbes occupat 200.35*
*Fridericus I. archiep. Bremensis 141.36*
*Fridericus & Bernardus fratres, Brũswici duces 285.8, Luneburgensem ducatum sibi asscribunt ibid.21. consultant de eo recuperando 286.7, prælio Wenslaum vincunt 285.20, Vlsen oppidum occupant 286.12, in Luneburgenses impetũ faciunt ibid. recipiunt ducatum Luneburgensem ibi.18*
*Fridericus Guncelini Comitis filius, episc. Suerinensis 198.34*
*Fridericus episc. Halberstad. 191.50*
*Fridericus episc. Suerinensis 267.28*
*Fridericus episc. Verdensis 226.9, Bremensem ditionem per suos vastat ibi.20, mo ritur ibi.27*
*Fridericus Monast. episc. 124.20, Ecclesiam Mauricii ædificat ibid. 28*
*Fridericus administrat Comitatum Stadensem 143.11, vnde ortus ibid. magno auri pondere potitur ibid.29, emit ab Imperatore nobilitatem ibid.49, captus abducitur 144.6, dimissus de vindicta cogitat ibid. fugit ad Ludeum Saxoniæ ducem ibid.15, pecunia Stadensem Comitatum obtinet 147.14, tanquam feudũ Ecclesiæ Bremensis 149.50*
*Fridericus de Isenborg premit Ecclesiam Abbatiensem 193.26, Excommunicatur ibidem, trucidat Reinoldum Colonien. episc. ibid. captus Coloniam pertrahitur ibid. afficitur supplicio ibid. confessi huius facinoris purgant sese ibid.*
*Fridericus Brunswici dux, dignus Imperio 294.6, proficiscitur ad Comitia ibid. in reditu propè Fristariam confoditur ibid.*
*Friderico cur Moguntinus Imperij coronã muderit ibid.8, &c.*

*Fridericus archiepisc. Magdeb. 159.14*
*Fridericus de Bichling archiepisc. Magd. 312. 54, De consilio antecessoris eligitur 313. 2, seuerus in clero reformando duram vitam agit ibid. Nicolai de Cusa testimonium de hoc Friderico 313.25*
*Fridericus Brunswici dux captus in conflictu Coloniam abducitur 314.33, suo se redimit ære ibid.*
*Fridericus Merseburgensis ad ecclesiam Magdeburgensem transfertur 284.10*
*Fridericus comes de Arnsberg, homo ferox 147.43, munit arcem Weuelsborg ibi. moritur ibid.48*
*Frisia ante Saxoniam Christiana 6.6, non libera ab omni exactione 8.9*
*Frisiæ pars Bremensi ditioni adiecta ibid.15*
*Frisii in quinque parochiis rebellant 209.13, & 16, implorant opem Bremensium ibi. 30, Bremensi episcopo obedientiam negãt 333.23, libertatem suam prætendunt ibi.*
*Frisii XL. Præfectum Bremensem occidunt 299.20, afficiuntur supplicio ib.21*
*Frumentum miraculosè auctum 216.22, 238.10*
*Fur quidam artificiosus capitur 330.28*
*GAius Rom. Pont. 33.50, martyr ibid.*
*Galliæ rex Manfredo opponitur 216.39*
*Galli Danos Normannos appellant 50.41*
*Gallorum superbia 50.37, Ius in Neapolitanum Regnum vnde 216.33*
*Gallus quidam pseudopropheta Vrbanum allo quitur 276.12, coniicitur in carcerem ib.22, fassus fraudem dimittitur ibid.*
*Gaudbertus Simon dictus 23.8, in Suconiam missus ibid.9, pellitur Suconia ibid.39, recusat in Suconiam redire 26.15*
*Gebennensis Cardinalis Vrbano quid respõderit 271.29, creatur à suis complicib. Pontifex 272.12, confert se cum suis Auinionem ibid.*
*Gelasius Rom. Pont. 35.43, comburit libros Manichæorum ibi.44*
*Gelasius II. Rom. Pont. 232.20, in carcerem detruditur ibi. moritur Cluniaci ibid.24*
*Gentes sedib. suis effusæ flagella Dei 55.30, 67.26*
*Gentium crebræ migrationes 21.13*
*Gerfridi episcopi Monast. laus & miracula 18. 38, &c.*
*Gerhardus de Lippia epis. Osn. ab. 173.41, reformauit monasterium in Hersbroke ibi. quare suis non admodum gratus ibid.43, transfertur ad Bremensem ecclesiam ibid.49*
*Gerhardus de Lippia archicpi. Brem. 188.22, Waldemarum Danum habet aduersariũ ibid.23, euocatur Francfordiam 189.21, moritur ibi.*
*Gerhardus item de Lippia archiep. Brem. 191. 20, à patre Bernardo initiatur ibid.28, recuperat arcem Ottersberg 191.32*
*Gerhardus Slesuicensis dux à Thietmarsis cæsus 293.28*
*Gerhardus Oldenborgensis Comes cum fratre Mauricio de comitatu Delmenhorst contendit 315.50, Visurgum infestum habet 320.10, arces Holsatiæ occupat 323.27, pellitur Holsatia ibid.45, gratus Holsatis, ibid.41, inuitus relinquit Holsatiam ibid. hostis Lubecensium & Hamburgensiũ, tutor liberorum Mauricii 324.8, Lubecensibus & Hamb. damnum dat ibid. 9, mercatori Lubecensi perfidè merces adimit ibi. Frisiis bellum facit 326.42, immittit Frisiæ prædatores ibi. horum CCL. trucidan tur ibi. fit insolentior 327.9, insultat mercatoribus ære mulctatis ib. reb. suis diffidit ib.37, pœnitentiam agere cupit ibid.*
*Gerhardus de Hoia arcem Tedinghusen tenet 257.15, Bremenses profligat ib.43, infensus Bremensib. 264.26, Magnum Brunswicensem in Bremenses concitat ibidem*
*Gerhardus de Hoia archiep. Bremen. 313.29, nullis se bellis immiscet 315.49, moritur 316.30*
*Gerhardus de Hoia comes epis. Verden. 202.34*
*Gerhardus de Schawẽborg epis. Minden. 254. 13, Rode arcem dat ecclesiæ ibi.24*
*Gerhardus de Schowẽborg epis. Minden. 266. 50, in terram sanctam proficiscitur 267. 11, moritur ib.17*
*Gerhardus de Marca epis. Monaster. 228.15, fundator Collegii in Borkem ib.17*
*Gerhardus de Monte epis. Hildes. 262.28, arces Steinbrugge & Coldinge exstruit ibid. Magnum Luneburgensem prælio superatũ capit 263.17*
*Gerhardus epis. Raceburgensis 282.41, prædia ecclesiæ redimit ibid.*
*Gerhardus epis. Hildes. 85.46*
*Gerhardus Holsatiæ comes vexat ditionem Lubecensem 243.30, petit veniam ab episcopo ibid.*
*Germania clădestinis latrociniis infamis 96.37*
*Germani hospitales 24.24*
*Gero archiep. Magdeb. 92.23*
*Geroldus vltimus Aldenburgensis, & primus Lubecensis epis. 163.11, à Pontifice confirmatur 163.19, ædificat Vthin oppidũ ibi. 36, moritur Lubecæ ib.47*

*Geuehardus de Hoym, episc. Halberst ad. 317. 54, cedit Ernesto Magdeburgensi archi episcopo, 318.1*
*Gesuwinus Osnab. episc. 28.40, conspirationis in Ludouicum Pium conscius, fugit Fuldam 29.2, non interfuit pugnæ in Ebbeckstorp ib.22*
*Gigantis corpus Romæ inuentum 97.42*
*Giselbertus de Brunckhorst archiepisc. Bremēs. 218.49, Kedingos domat 219.6, ciues amat ibid. in vicinos beneficus ibi. 51, arcem Tedinghusen exstruit 220.1, item Buxtehude oppidum, ibid. Kedingos denuo subigit ibid. 16, moritur ibi. 25*
*Gisla Conradi Imperatoris viduæ pietas 104. 4*
*Gladius spiritualis atrocia infligit vulnera 336. 34, Pontificis Romani iura tuetur ibidem*
*Gneus & Anatroch principes Wandalorum 95.44, militant Christianis 101.25*
*Godfridus Daniæ Rex 14.17, bellum minatur Carolo Magno ibid.19, cum ducentis nauibus in Frisiam appellit ibid. trucidatur ibid.*
*Godfridus Lotharingiæ dux captiuus detinetur 107.24*
*Godfridus Holsatiæ Comes à Wandalis occiditur 146.3*
*Gotfridus de Arnsberg archiepisc. Bremens. 255.24, Bremam ingreditur ibid. 34, æmulum habet Mauricium ibid.43, qua arte Bremenses sibi adiunxerit ibid. Gerhardum de Hoia eligit adiutorem 257.4, post Albertum Brunswicensem 258.12, moritur ibid.16*
*Godfridus de Waldegge Episcop. Mind. 246. 41, arcem Petershagen exstruit ib.43*
*Godfridus de Bulion vnde ortus 134.16*
*Godfridus de Bulowe Suerinensis episc. 222. 47*
*Gotfridus de Arnsberge Osnaburg. epis. 249. 47*
*Godfridus de Lange episc. Suerin. 319.26*
*Godhardus episcop. Hildesemens. 92.34, inter Sanctos relatus 99.31*
*Godscalcus episc. Racceburgensis 194.42*
*Godscalcus episco. Monast. 181.17, Ecclesiæ iura defendit ibid.*
*Godscalcus Wandalus cum sacerdote ad aram mactatur 61.9, 88.14, educatur in Christianismo 95.49, vlciscitur mortem patris ibid. mouet in Wandalos 102. 20, redit ad cor 88.14, Wandalos domat 112.2*
*Godscalcs pietas ibid. vxor trucidatur 115. 17*
*Gormo Danorum Rex Christianis infensus 62.35*
*Gosbertus Episcopus in Suedia 51.14, pulsus loco ad Anglarium fugit ibid. periit vna in Ebbeckstorp ibid.41*
*Gosbertus episc. Osnaburg. ibid.*
*Gratianus 153.27*
*Græci Beneuentanis bellum faciunt, 65.6, profligantur à Theobaldo ibid. captiamittunt virilia ibid. Iocus mulieris ea dere ibid.*
*Græci quem pro legitimo Pontifice habeant 12.50*
*Gregorius I. Rom. Pont. 37.5, multa scripsit ibid.*
*Gregorius II. Rom. Pont. 39.16*
*Gregorius III. Leonem Iconomachum excommunicauit ibid.21*
*Gregorius IIII. Rom. Pontifex 40.25, Anglarium Hamburgensem confirmat ibid.*
*Gregorius V. Germanus, Roman. Pontif. 119. 8, Ottoni III. sanguine iunctus ibid. pellitur à Crescentio ibid. ab Imperatore occiso Crescentio restituitur ibid.*
*Gregorius VI. Rom. Pontifex 120.5, deponitur ibidem*
*Gregorius VII. Pont. Rom. ibid. 49, surrogatur Alexandro 132.47, quomodo ad Pontificatum euectus 99.41, luctatur cum Henrico IIII. 120.52, deponitur 129.33, vrbe capta clam Salernum fugit 130.28, ibiq. moritur ibid. promouet coronationem Henrici IIII. octennis pueri 106.8*
*Gregorius VIII. Rom. Pont. 233.35, vrget expeditionem Asiaticam ibi.*
*Gregorius IX. Rom. Pont. 234.13, Fridericum II. excommunicauit ibid. opus Decretalium publicauit ibid.*
*Gregorius X. Rom. Pont. ibid. 50, Concilium Lugduni celebrat ibi. 53*
*Gregorii Pontificis literæ ad Episcopos Bremensem & Verdensem & aliæ eiusdem ad Bremensem vide cap. 2. lib. 8.*
*Gregorius XI. Rom. Pontif. 236.44, Baldum habuit præceptorem ibid.*
*Gregorius XII. Rom. Pont. 237.21, ad Concilium venire recusat 308.34, Cardinalium ordini ascribitur ibid.*
*Gregorius Monachus episcopum Arrianæ erroris conuincit 37.2*
*Guelphi & Gibellini quando primum exorti 201.7, postea Albi & Nigri appellati ibi.*
*Guido*

*Guido Musicus* 99.22
*Guntherus primus episc. Aulicen. postea Hildesemensis ecclesiæ* 9.54
*Guntherus Comes de Schwartzburg Imperator eligitur* 250.50, *Aduersarium habet Wentzlaum Bohemiæ Regem* 251.1, *tollitur veneno* ibi.12
*Guntherus Schwartzburgensis Comes glandè traiicitur* 327.74
*Guntherus de Schwartzburg Archiepisc. Magdeburg.* 296.51
HAduardus *Minden. episc.* 17.52, *diligẽs in officio* 18.2, *&c.*
*Hæreses sub Friderico pullulant* 210.50
*Halberstadenses tumultuantur* 306.51, *priores aliquot vbis capite mulctant* ibid. *obsidentur* ibid. *authores tumultus gladio cæduntur* 307.9, *denuò tumultuantur* 329.1, *domantur* ibid.
*Hallenses tumultuantur* 328.34
*Hamburgum captum à Wilsis Wandalis* 14.25, 42.38, *Vastatum à Danis* 41.54, *Barbarorum iniuriis expositum* 127.6, *à Danis & Wandalis subuersum* 60.14, *viris opibusq; potens vide lib. 3. cap. 19, bis vno anno vastatur* 127.15, 132.12, *quoties à barbaris subuersum* 60.14, *funditus cum arce excinditur* 115.25, *expugnatur* 187.17, *rebellat* 187.45, *obsidetur à Danis rege & deditione occupatur vide libri 7. cap. 36, Vastatur à Wandalis sub mortem Ottonis* III. 60.39, *vnde nomen habeat* 11.8, 44.1
*Hamburgi ad Alstriam arx* ibid.14, *duæ arces quando ædificatæ* ibid. *antiqui ædificii fundamenta reperta* 102.34, *Iouis fanum deiectum* 11.7
*Hamburgensis Ecclesia Metropolis omnium Aquilonarium* 16.28, *Colonienſi subiecta* 53.48
*Hamburgensis Ecclesiæ authoritas quando defecerit* 130.52, 138.14, 149.52
*Hamburgensis ditio dilatata* 75.28, *quos habeat terminos* 76.35
*Hamburgensium & Bremensium contentio de loco* 281.2
*Hamburgensium & Bremensium Canonicorũ simultas vnde* 178.38
*Hamburgenses Gerhardo de Lippia Episcopo fideles* 188.22
*Haquinus Norwagiæ princeps* 81.13, *moritur sine prole* ibid.18
*Haraldus Daniæ rex opem Imperatoris implorat* 15.33; 20.3, *baptizatur* 15.40, *Sacerdotes petit* ibid. *denuò superatus fugit* 16.9, *sagitta percussus pie moritur* 82.27, *filium mittit in Angliam* 81.21
*Haraldus Norwegiæ Rex sæuissimus* 109.6, *&* 15, *& impiissimus* ibid. *increpatur ab Alexandro Pontifice* ibid.27
*Hardexe oppidum capitur* 322.40
*Harimarus I. episc. Paderbur.* 10.39, *discipulus D. Burchardi* ib.41
*Harruch episc. Verdens.* 21.30, *reliquiæ eius Verdam translatæ* ib.36
*Hartwicus archiepisc. Bremen.* 155.23, *Wandalicas ecclesias instaurat* 156.19, *conqueritur de adempta Ecclesiæ suæ legatione* 166.52, *sed frustra* ib. & 16.7
*Hartwicus II. archiepisc. Bremen.* 176.18, *Thietmarsos imperata facere cogit* ibi.50, *suis non admodum gratus* 177.19, *nauigat in terram sanctam* 178.4, *moritur cap.* 14.
*Hartwicus episc. Verden.* 140.19
*Hartwicus Francus archiepisc. Magdeburg.* 129.30
*Hattonis Moguntini indignum facinus* 55.48, *de prodendo Henrico I. consilia* 61.40
*Hedwigis sancta fœmina vnde orta* 221.34, *clara miraculis* ibi.
*Heidenricus Wolff episcopus Monasterienſis* 289.17
*Heidenricus de Erpeden Archiepisc. Magd.* 244.7, *capitur* ibidem
*Helmgandus episcopus Verdensis* 16.55, 22.23.
*Helinwardus Mind. episco.* 78.10, *consecrat ecclesiam Mindensem* ibid.
*Helmstede oppidum munitur* 10.28, *Abbati Verdensi subiicitur* ibid. *Henrico Brunsuicensi duci venditur* ibid.
*Henningus de Dom episc. Hildesem. à Pontifice cõfirmatur* 325.7, *aduersarium habet Balthasarem Magnopolensem* ibid. *cedit episcopo Verdensi* ibid.
*Henricus primus à Conrado designatus successor* 76.1, *Germaniæ regno contentus* 86.45, *Vngaros domuit* 62.37, *& Wandalos* ibi. *Germaniam pacauit* 64.54, *Imperium amplificauit* 65.2, *duos Marchiones constituit* ibid.3, *Goslariam ædificauit* 123.8, *Episcopatum Misnen. fundauit* 66.27, *vnde æstimarit nobilitatẽ* 70.34, *Monasterium in Quedlenborg extruxit* 75.4, *in quo sepultus est* ibid. *Gormonem Daniæ regem ad pacem petendam compulit* 62.41, *monasterium ex Angaria in Vallersleue transfert* 66.18,

*Illustrat sua tempora 75.51, Conrado Imperatori inuisus 61.36, Hattonis ditiones vastat 162.1*

*Henrici primi in componenda prouincia studium 66.7, modestia 76.3*

*Henricus secundus Imperator ab Electoribus eligitur vide cap.46.lib.3. consecratur Aquisgrani 90.11, &c. coronatur Romæ 91.22, Conuentum Imperii habet Tremoniæ 92.41, Fuldensi monasterio multa adimit 92.28, vixit cum Cunegunda vxore in virginitate 90.16, 97.4, Ecclesiæ Paderburnensi Bokenfort & Foresteam donat 90.21, Bambergensem Ecclesiam fundauit ibid.31, Zelotypus 91.50, in Sanctorum numerum relatus ibid.*

*Henrici II. pabulatores rusticos in se concitat 90.19*

*Henricus III. succedit patri in Imperio 99.7, Romanis petentibus dat Pontificem 98.6, 105.51, Vngaros sibi subiicit 105.10, mouet in Pannoniam 107.12, Popponem facit Pontificem 100.14, Goslariæ palatium construit 123.11, moritur: omnia ablata restituit 110.30, moritur 106.11, filium octennem Regem curat eligi ibid.3 & 98.13, 110.33, Bohemiæ ducem superat 101.45*

*Henricus IIII. puer à matre abducitur 110.37, frena laxat libidini 121.1, Bremensi Ecclesiæ quæ donarit ornamenta 113.10, vincit Saxones 124.14, Ottonem Bauaria ciectum persequitur 127.32, Romam legatos mittit ibid.37, euocatur Romam à Pontifice ibid.50, venit tandem 128.16, Noctu Româ egressus clàm redit in Germaniam 129.7, conscribit exercitum ibidem, cum Rudolpho æmulo suo confligit ibid.19, &c. iterum cum eodem concurrit ad Fladechem ibid.25, & tertio Rudolphum prælio vincit ibid.42, Gregorio VII. deiecto alium Pontificem substituit 130.2, in Italiam cum exercitu contendit ibid. Wiebertum in sede Apostolica collocat ibidem, Romam capit ibid.30, describitur ab Episcopis 132.48, in schismate perseuerat 133.41, 135.20, Gliche arcem obsidet 133.45, fugatur ibid. Conradum filium ad vxoris complexum inuitat 134.1, excommunicatur ibid. Conrado deposito Henricum regem creat ibid.26, Episcopos aliquot sedibus suis eiicit 135.4, ab Vrbano Placentiæ excommunicatur 137.5, item à Paschali ibid.43, mutabilis 138.1, quandiu præfuerit 141.11*

*Henrici IIII. cum Daniæ rege colloquium 123.28, impietas 136.40, aduersarii ibiterin Italiam & pœnitentia 128.18, turbulenta tempora 132.35, nefarium facinus 134.1, vxor ingreditur monasterium ibid.*

*Henricus V. Imperator patre deterior 138.10, initio in speciem pius ibid. gratus Saxonibus ibid.33, conuocat Synodum in Northausen ibid. eius Synodi acta ibidem & 139.1, defectionem meditatur à patre & ei se opponit 141.17, sauit in Pontificem & Cardinales ibid.22, occupat Imperium 146.6, moritur sine prole 148.2, in Italiam proficiscitur 147.1, Ducatum Saxoniæ donat Ludero Comiti 145.46, Wandalos concitat in Saxones 146.26*

*Henricus VI. succedit patri Friderico in Imperio 176.38, ducit vxorem ibid. in Apuliam proficiscitur ibid. corripitur peste ibid. mouet in Tancredum ibid. Salernum capit 179.12, Signat se cruce ibid.17, ipse in terram sanctam non venit ibid.18, Iordanum & Richardum quare quo supplicio affecerit ibid. ditat Ecclesiam Verdensem 182.8, moritur 179.31*

*Henricus Friderici II. filius Roman. Rex creatur 191.3, Brunswicum amittit ibid. venit Bardowicum ibid.41*

*Henricus Catulos Bauarus Saxoniam vi recuperat 152.5, Adolphum Holsatiæ Comitem restituit ibid. Henricum Leonem relinquit ibi.*

*Henrici Catuli vxor Wagriam dat Henrico de Badewide ibid. nubit Henrico fratri Conradi Imperatoris ibid.*

*Henricus de Badewide Comes Holsatiæ factus 151.40, occupat arcem Segeberg ibid. prædas agit ex Wandalia 152.1, Holsatiam relicturus, omnia incendiis vastat ibid. Hamburgensem arcem demolitur ibidem, Wagriam occupat eámque permutat comitatu de Raceborg ibidem 19*

*Henricus dux Brunswicensis, episcopus Hildesemensis 253.49, excommunicatur ibidem, absolvitur ibidem, Comitatum de Sladen Ecclesiæ adiicit 254.2*

*Henricus Brunswici dux comiti Lippiensi bellum facit 296.55, à quo commisso prælio capitur 297.4, dimittitur promissa magna pecuniæ summa ibidem, Romam profe-

*profectus liber à solutione pronunciatur ibidem*

*Henricus Brũſwici Dux Epiſcopo Hildeſemen ſi fert opem 329.49, capit comitem de Retberg 330.1*

*Henricus Leo III. comitatur Imperatorem in Italiam 163.14, Lubecam ſuæ ditionis facit ibid.23, Wandalos oppreſſo Niclo to domat 164.1, Nicloti filium iugulari iubet ibid.4, 165.52, Suerinum Guncelino donat 164.5, Werlo capit ibid. 18, Honouer oppidum reſtaurat 165.10, Comitatum Lowenrode aſſequitur ibid. Leoninam vrbem ædificat 166.34, quo modo Lubecam occuparit ibid. Brunſwicum munuit 167.27, effigiem Leonis ibidem erexit ibid.19, Eccleſiam S. Blaſii exſtruxit ibi. Thietmarſiã domuit 167. 41, Epiſcopos Wandaliæ ad quid coegerit ibid. terram Obotritorum occupat ibid. 35, pugnam detrectat 168.18, cum Epiſcopis Halberſtadenſi & Magdeburg. lucratur 169.47, cur vexarit epiſcopos ibidem 54, petit miſſionem ab Imperatore 170.20, exuitur ditionibus ſuis 174. 4, armis ſe defendit ibid. pugnat cum hoſtibus feliciter ibid. concedit in Angliam ibid. Bardowicum euertit 175. 51*

*Henrico Leoni refragari periculoſum 165.43, principes in ſenſi propter ſuperbiam 170. 22, periculum imminet ſublato Schiſmate 171.33*

*Henricus Leonis filius ſit Comes Palatin⁹ 178. 36, Ottonem fratrem deſerit 182.20, 185.23, Ottoni fert ſuppetias 184.45, congreditur cum Hildeſemenſibus ibidem inſignia Imperij tradit Friderico ſecundo 189.19*

*Henricus abbas S. Ægydii Brunſwici, Epiſcopus Lubecenſis 170.28, Belga natione ibidem 43, diſputat cum Græcis ibidem 34, magni fit à Friderico ibid. 53, ſcripſit nonnulla 171.4*

*Henricus epiſcopus Monaſterienſis 323.54, Delmenhorſt obſidet 324.15, quibus conditionibus obſidionem ſoluerit ibidem 20, denuo mouet in Gerhardum Oſnaburgenſem 326.27, obſidet oppidum Oldenborg ibid. facit inducias ibid.34, tertio Gerhardo bellum facit item quarto ibid. obſidet Delmenhorſt 327.25, & Oldenborg ibid.36, Delmenhorſt deditione capit ibid.53, eam, arcem Monaſterienſi ditioni adiungit 328.53, Monaſterii crebrò moratur ibid. 11, Bremenſem Eccleſiam negligit ibid.13, ſecura præſtat mercatoribus itinera ibid.20, moritur ibid.23*

*Henricus II. epiſc. Monaſt. 172.44*

*Henricus de Morſe epiſcopus Monaſterien. 308.20*

*Henricus Lantgrauius Thuringiæ eligitur Imperator 208.5, prælio ſuperatur à Conrado ibid.8, Rex Eccleſiaſticorum dictus ibid.10, moritur 209.36*

*Henricus Godſcalci filius occupat Aldenborg 140.25, Critonem inſidiantem obtruncat, vxoremq; eius ducit in matrimonium ibid. Magno Saxoniæ duci ſe ſubiicit 145. 35, reſtituit Chriſtianiſmum 140.34*

*Henricus de Borg homo extremè impius 229. 39, arce Vorda pellitur ibidem, capitur ibid. dimittitur 230.42, Marcellum in carcere necat ibi.*

*Henricus Oldenburgenſis Comes occumbit in prælio 196.27*

*Henricus comes de Schwartzeburg archiepiſcopus Bremenſis 319.47, opera Ioannis Roden electus ibid. mouet in Gerhardum de Oldenborg 320.1, &c.*

*Henricus Craſſue occupat Comitatum Stadenſem 155.29, occurrit Normannis ibidem, capitur in prælio ibid. elabitur ibid. collecto denuo exercitu, Normannos partim cædit, partim ſuſpendit 155.55, 156.1, filium relinquit Sifridum ibid. cæditur in Friſia 134.41*

*Henricus Bockholt epiſcopus Lubecenſis 243. 12, multa emit 243.40, &c. opulentus 244.2*

*Henricus epiſc. Hildeſem. 201.21*

*Henricus de Woldenberge epiſco. Hildeſ. 238. 41, Comitatum de Daſſel dittoni adiungit ibidem, exſtruit Sturwold arcem ibidem*

*Henricus Spegel Epiſcop. Paderburn. 258.38, Comitem de Arnsberg fatigat 259.5*

*Henricus de Werle epiſc. Pader. 134.53*

*Henricus de Suerin Danię Regem capit 191. 2, dimittit 191.39, moritur 194.15*

*Henricus de Haſtia epiſc. Suerin. 252.23*

*Henricus epiſc. Suerin. 300.25*

*Henricus de Aſſlo Archiep. Magdeburgenſis 136.27*

*Henricus Wangelin epiſcopus Suerinen. 304. 23*

*Henricus epiſc. Mindenſis 165.23*

*Henricus de Anholt Archiepiſcop. Magdeb. 227.28*

*Henricus de Schowenborg episcop. Minden. 330.49*
*Henricus quidam Canonicus vnde Dabelstein appellatus 172.20*
*Henricus de Werberge episc. Halberstad. 297. 23*
*Henricus dux Sleswicensis 305.51, redit in Holsatiam ibid.*
*Henricus Goltorm Archiepiscopus Bremensis 224.5, moritur ibi.27*
*Henricus episc. Raceburg. 187.24*
*Henricus de Wittorpe episcopus Raceburg. ibid.45, excipit Carolum quartum in sua ditione ibid. exstruit arcem Stoue 269, 1*
*Herandus vel Stephanus episc. Halberstadens. 137.46*
*Heimo episc. Halberstad. 23.27*
*Herigaru Bircæ præfecti pictas ibid.15, constantia ibi.43*
*Herbordus epis. Hildes. 182.27*
*Herimbertus primus Mindensis episcopus 9. 36*
*Hermannus Biling ex homine plebcio Dux 8. 30*
*Hermannus Biling quomodo dux Saxoniæ factus 71.1, &c. exstruit arcem in monte Luneborg ibid. 24, & cœnobium D. Michaelis ibid. moritur 80.30*
*Hermanni iustitia & pietas 71.21*
*Hermannus episc. Suerinensis 240.50*
*Hermannus Suerin. episc. 216.36*
*Hermannus à Saxonibus electus Imperator 130.12, Franciam orientalem inuadit ibidem 15*
*Hermannus Colonien. Archiepisc. Paderburnensem Ecclesiam tenet 334.50*
*Hermannus II. de Catzenelnbogen episc. Monaster. 183.36, quid ab Imperatore obtinuerit ibi.41*
*Hermannus de Blanckenborg episco. Halberst. 218.29*
*Hermannus Comes de Lippia contra Stedingos pugnans occumbit 195.30*
*Hermanus episc. Verden. 158.40, Ecclesiæ opes auget ibi. litem habet cum Hartwico ibi.*
*Hermannus Bambergensis episc. quare depositus 128.2*
*Hermannus Archiepisc. Hambur. 98.22, vir simplex ibid. disciplinam claustralē corrigit & moritur ibid.29*
*Hermannus epis. Raceburg. 227.48*
*Hermannus episc. Mimigardeuord. 97.7, monasterium trans aquas dedicauit ibid. 10*
*Hermannus episcopus Hildesemensis 167.27*
*Herseuelde olim Rosenuelde 155.31*
*Hetuelde datur Cœnobio Amelingsborne 139. 28, venditur Henrico Brunswicensi ibidem 29*
*Hierosolymorum Rex ceruicem frangit 179. 32*
*Higinus Rom. Pont. 32.1, epistolam reliquit elegantissimam ibid. Martyr ibid.*
*Hilarius Rom. Pont. 35.30*
*Hildeboldus vel Hildebrandus de Bruchusen archiepisc. Bremen. 211.38, arces ditionis occupat ibid. confirmatur à Pontifice ibid. oppugnatur à ducibus Brunswicensibus 213.53, pacem emit ibid.4, moritur ibid.26*
*Hildeboldus episcopus Mimigardeuorden. 68. 24*
*Hildegrinus episcop. in Salingstede 5.4, transfert sedem Halberstadium ibid.24, moritur ibid.29*
*Hildegrinus episc. Halberstad. 49.7*
*Hildesemenses expugnant Sturwold 247.33, ædificant arcem Marieburg ibid.36*
*Hildewardus Halberstad. episc. 77.36*
*Historiæ supposititiæ cur ex Ecclesia explodendæ 42.29*
*Historia de Iudæo in latrinam incidente 218. 9*
*Hogerus comes Mansfeldensis casus in prælio 146.54*
*Hogerus Monachus, Hamburgensis archiepiscopus 59.6, seuerus in exigenda disciplina 60.1*
*Holsati arcem Plone occupant & muniunt 152.3*
*Holsatiæ & Schowenborg comitatus aliquando coniuncti 204.18, vnde disiuncti ib.21*
*Honorius Rom. Pont. 37.36*
*Honorius II. Rom. Pont. 232.31, qua occasione factus Pontifex ibid.*
*Honorius III. Rom. Pont. 234.6, Confirmauit Prædicatorum & Minorum ordinē ib.*
*Honorius IIII. Rom. Pont. 235.30, fauet Gallis ibid.*
*Honouer oppidum restauratur 165.7, vnde dictum ibid.13*
*Hormilda Campanus Rom. Pont. 36.1*
*Hugo episc. Verden. 174.51, litem habet cum episcopo Halberstadensi ibid.*
*Hugo de S. Victore 153.26*
*Humbertus archiepisc. Bremen. 138.13, moritur 139.34*
*Hussitarum secta in Bohemia 294.29*
*Ibia matrona Ansgario prædium donat 24. 9*

*Iburg mons, nunc Driburg, munitur 184.29*
*Ida nobilis fœmina occupat comitatum Staden sem 141.48, filiam montalem Russorum Regi dat coniugem ibid. 50, duos maritos amittit in Thietmarsia 142.5, orbata filio Romam proficiscitur ibid.15, reuersa Vdonem in filium adoptat ibid.23*
*Ignatii vox quotidiana 228.34, Cor Iesu nomine inscriptum ibid.*
*Imadus episc. Paderburnensis 105.47*
*Imperatorum & Pontificum de iure eligendi episcopos contentio 57.54, quem finem sortita 58.2*
*Imperatores non leui de causa transeunt Alpes 44.49*
*Imperium miserè laceratum, 214.53, 216. 50*
*Imperii insignia ab Henrico exiguntur 140. 2*
*Inauditum, vt vnus Episcopus duabus præsideat Ecclesiis 80.43*
*Iniquatorum ordo quando habuerit initium 262.33*
*Innocentius primus Rom.Pontif. 35.6*
*Innocentius II. Rom.Pontif. 232.37, Rogerium profligat ibid. Concilium Leodij connocat 148.15, Romam ab Imperatore reducitur ibid.16*
*Innocentius III. Rom.Pont. 233.54, conuocat Concilium Lateranum 234.1, multa scripsit ibid.3*
*Innocentius IIII. Rom.Pont.ibid.25, Fredericum excommunicat ibid.29*
*Innocentius V. Romanus Pontif. 235.1*
*Innocentius VI. Rom.Pont. 236.36, vir integræ vitæ ibid.*
*Innocentius VII. Romanus Pontif. 237.16, vrbis imperium restituit Romanis 300. 27, Concilium indicit Romæ ibid.34*
*Innocentius VIII. Rom.Pont. 322.1*
*Interregnum 211.33*
*Inundationes ad mare 280.51*
*Ioachim abbas quare condemnatus 153.53*
*Ioannes I. Rom. Pontifex 36.6, hostis Arrianorum ibid. pedore carceris periit ibidem 9*
*Ioannes II. Rom.Pont. ibi.20*
*Ioannes III. Rom.Pont. 36.45*
*Ioannes IIII. Rom.Pont. 37.44*
*Ioannes V. Rom.Pont. 38.40, scripsit de pallij dignitate ibi.42*
*Ioannes VI. Rom.Pont. ibid.54*
*Ioannes VII. Rom.Pont. 39.3*
*Ioannes VIII. Rom.Pont. 116.5, in tumultu in Gallias euadit ibid.6, Saracenos expellit Italia ibidem 8*
*Ioannes IX. Rom.Pont. ibid.49*
*Ioannes X. Rom.Pont. 117.28, necatur ibidem 32*
*Ioannes XI. Rom.Pont. ibi.43*
*Ioannes XII. Rom.Pont. 118.11, fugit Roma ibid.15, damnatur ibid. in adulterio contrucidatur ibid.16*
*Ioannes XIII. Rom.Pont. ibi.28*
*Ioannes XIIII. Rom.Pont.ibid.50, moritur inedia ibid.52*
*Ioannes XV. Rom.Pont. ibi.54.*
*Ioannes XVI. Rom.Pont. 119.3*
*Ioannes XVII. Rom.Pont. ibid.15, periit cum Crescentio ibi.18*
*Ioannes XVIII. Rom.Pont.ibid.26, Prodigia visa huius tempore ibid.17*
*Ioannes XIX. Rom.Pont. ibid.30*
*Ioannes XX. Rom.Pont. ibid.45*
*Ioannes XXI. Rom.Pont. 235.12*
*Ioannes XXII. Rom.Pont. 236.12, nouum ordinem militarem instituit 248.39, eiq; dat Templariorum possessiones ibidem 42*
*Ioannes XXIII. Rom.Pont. 237.32, clàm fugit Constantia 308.32, retinetur ibid. deponitur ibid.*
*Ioanna Siciliæ Regina quare lætata Vrbani electione 273.3, Roberto fauere incipit ibid.10, dedit se Carolo Duratio ibid. moritur in carcere 274.2*
*Ioannes dux Bauariæ Archiepisc. Magd. 322. 28, cur seruus ad Ecclesiam accesserit ibid. 30, obsidet arcem Caleforde ibid.46*
*Ioannes episc. Lubecensis 195.22, memoriam Cœnæ Dominicæ instituit ibid.26*
*Iohannes de Diest Minorita episc. Lubecensis 210.18, tenuiter viuit ibid.24, redimit Ecclesiæ possessiones ibid.27, quid præterea fecerit ibidem sequitur.*
*Ioannes Tralowe episcopus Lubecensis 213. 38, consecratur ibid. moritur ibidem, 214.25*
*Ioannes Muel episc. Lubecensis 250.42, arcem in Vthin munit ibid.47*
*Ioannes Clendenst episcopus Lubecensis 283. 13*
*Ioannes de Dulmen episcopus Lubecensis 290. 49, quibus bonis Ecclesiam auxerit ibi.53*
*Ioannes archiepisc. Bremensis 228.42, causam obtinet contra Regem Daniæ 229.7, Rigensem ecclesiam absens tenuit ibi.13, venit Bremam ibid. excipitur ibidem litem habet cum clero Hamburgensi ibid. 31, item cum Bremensibus ibid. voca-*

tur Romam ibid. 50, vnde suspicionem in nobiles conceperit ibidem 53, quibus rebus vicinos ab se abalienarit ibid. 26, nulli fidit ibidem 33, capitur in Wildeshusen ibid. 33, abit Romam ibid. 47, Verdensem episcopum sibi substituit ibid. 54, doctus & eloquens 231. 6, humanus erga mercatorem quendam ibidem 8, severus ibid. 14, Pontificem quibus verbis alloquutus sit ibidem 20, moritur ibid. 24

Ioannes Bock Decanus Bremensis in panperes beneficus 238. 6. videt S. Victorem ibidem 12

Ioannes Holman dux proscriptorum Bremensium 265. 18, Episcopum in vrbem introducit ibid. ad arma conclamat ibidem, cum tota familia occiditur ibidem 48

Iohannes Decanus Bremensis archiepiscopum infamat 281. 34, proficiscitur Verdam ibid. vexat ditionem Bremensem 282. 5, petit veniam ab episcopo ibid.

Iohannes Schelen episcop. Lubecensis 303. 1, omnia ab antecessore relicta consequitur ibidem, Secretarius fit Imperatoris ibid. Locum nutriendis equis commodum comparat ibid. moritur ibid. 30

Ioannes Slamstorp archiepisc. Bremensis 295. 16, vnde maach dictus ibidem 26, qua re Senatum Bremensem offenderit ibid. 30, artem conatur exstruere, sed frustrà 296. 35, redimit Ecclesiæ prædia 299. 3, Moritur 304. 23

Ioannes Rode Archiepisco. Bremensis 332. 28, cur nobilitati non admodum gratus ibidem 39, Magno Saxoniæ duci bellum denunciat 333. 50, Hadeleriam occupat ibid. 51, Christophorum Brunswicensem adiutorem eligit 334. 36

Ioannes Mindensis episcopus 204. 2, Moritur ibid. 32

Ioannis Meklenburgensis Episcop. martyrium 115. 3

Ioannes de Verneborch episcopus Monast. 259. 22, transfertur ad Traiectensem Ecclesiam ibid.

Ioannes Bauariæ dux episcopus Monasterien sis 314. 37

Ioannes dux Saxoniæ inferioris episco. Hildes. 336. 20

Ioannes de Hoia episcopus Hildesem. 290. 14, præsto superatur ibid. 5

Ioannes episc. Hildesem. 207. 16

Ioānes Thun episc. Suerin. 336. 39, reformationis studiosus ibid.

Ioannes episc. Suerin. 246. 54

Ioannes de Hoia episc. Paderb. 292. 6, qua conditione Comitatum de Everstein ecclesiæ suæ adiunxerit ibi. 17

M. Ioannes Hoed episc. Osnab. 266. 13, quare nobiles sibi conciliarit ibid. fœdus init cum Osnaburg. ib. 33

Ioannes de Hoym episc. Halberst. 306. 49, cur Halberstadium obsederit ibi. 51

Ioannes Oldenburgensis Comes Stadlandiam occupat 333. 30

Ioannes episc. Raceburg. 284. 49

Ioannes episc. Raceb. 304. 53, Clockstorp curiam suam exustam renouat 305. 5

Ioannes Stalkoper episc. Raceb. 325. 53, pecuniosus 326. 1, magnam pecuniæ summam amittit ibid. 4

Ioannes Parkentin episc. Raceb. 330. 19, executor literarum de nouo Collegio Rostochij erigendo ibi. 21

Ioannes Preen episc. Raceb. 310. 35, Canonicis studentibus stipendia constituit ibi. 40, Moritur 311. 6

Ioannes de Asel episc. Verdensis 307. 39, redimit arcem Rodenburg ibid. 43, tentatur à suis ibi. 53, dimittit episcopatum 308. 7, Alchimista ibid. 11, moritur ib. 16

Ioannes Huss & Hieronymus Pragensis exurun tur 300. 4, 308. 39, Huss ecclesiam Romanam oppugnat 297. 43

Ioannes de Bien rex Hierosolymitanus 194. 10

Iohannes Holsatiæ Comes auratus miles 209. 43, mouet in Daniam 212. 24

Ioannes de Capistrano Minorita 313. 48, venit Magdeburgum ibid. 50, concionatur ad populum Latinè ibid. 51, quid oratione sua effecerit 314. 1, miraculis claruit 319. 32, eius vinendi ratio ibid.

Ioannes Scotus prædicator 228. 22

Ioānes Iunge in arce Butzow trucidatur 285. 16

Ioannes de Lignano Astrologus quid de Vrbano prædixerit 271. 37, excipitur ab Vrbano honorificè 272. 5, moritur peste ibid.

Ioannes Anglicus, mulier Moguntina 40. 41, à simulo compressa ibid.

Iodute, Saxonum rusticorum idolum 146. 40, deiicitur ibi. 47

Irene cur Caroli Magni nuptias ambierit 13. 2, deducitur in monasterium ib. 15

Isengerus episc. Verdensis 21. 24

Isfridus episc. Raceb. 164. 26, ignorans miraculum edit ibid. cæcum sanat ib. 35

*Ifo comes de Welpa episcopus Verdens. 185. 11, auget ecclesiæ opes ibid. Verdæ collegium fundat ibid. 15*

*Italt callidi 79. 53, inter se intestinis dissensionib. laborant 65. 4, Germanos oderunt 274. 17*

*Iubilei tempus constringitur 258. 23*

*Iudæi canes, vide cap. 23. lib. 8*

*Iudæi quare passim exuli 228. 11*

*Iudæus quidam in rupe librum reperit 218. 34, eiusq; admonitu fit Christianus ibid.*

*Iulius Rom. Pont. 34. 33, Arrianis infensus, ibid. pellitur vrbe ibid.*

*Iutiæ tres episcopatus 75. 15. Hamburgensi sedi subiecti 69. 39*

*Iwarus Christianis infensus 41. 32*

Katenclenborg fundatur 139. 24

*Karlessand, locus castrorum Caroli in Hadeleria 10. 45*

*Kedingi rebellant Episcopo Bremensi 220, 13, domantur, ibid. rebellant denuo 246. 32*

*Krodo idolum Saxonum 5. 9, à quo execrandi vox ibid.*

Ladislaus Caroli filius in Italiam proficiscitur 301. 30, ius suum in Petri patrimonium extendit ibid. 32 &c.

*Lambertus episcopus Raceburgensis 194. 25*

*Landgravius Hassiæ monet in Kimbeccenses 318. 49*

*Lando Rom. Pont. 117. 23*

*Landowardus Mindensis episcopus 78. 34, moritur ibid. 49*

*Leo I. Rom. Pont. 35. 26, ter sanctus. ibid. vastationem vrbis vidit ibid.*

*Leo II. Rom. Pont. 38. 30, Musicus ibid.*

*Leo III. Rom. Pont. 40. 1, male mulctatus à Romanis ibid. venit Paderburnam 10. 46, consecrat ecclesiam Paderburnensem, ibid. 52, Romam à Carolo reducitur 12, 16, 40. 3*

*Leo IIII. Rom. Pontif. ibid. 36, Vaticanum munit ibid.*

*Leo V. Rom. Pont. 117. 3*

*Leo VI. Rom. Pont. ibid. 36*

*Leo VII. Rom. Pont. ibid. 47*

*Leo VIII. Rom. Pontif. 118. 17. à Iohannis fautoribus deiicitur 71. 42. 118. 17. restituitur, ibid. Ottoni patrimonium Imperij restituit 78. 37*

*Leudericus Bremensis episcopus 22. 40, quare habitus institutior ibid. 24. 21*

*Liafdagus Ripensis miraculis clarus 82. 6*

*Libentius archiepi. Hamb. 84. 8, eius virtutes ibid. diligentia in obeunda legatione ibid.*

*Libentius II. archiepiscop. Hamb. 95. 1. Osor incontinentiæ Cleri ibid. 6, moritur 96. 10*

*Liberius Rom. Pont. 34. 38, oppugnat Arrianos ibid.*

*D. Liborij reliquiæ Paderburnã translatæ 20. 31, miracula ibid. 44*

*Lidarius episcopus Mindensis 74. 27*

*Liemarus Bauarus archiepiscop. Hamb. 130. 30, capitur in conflictu 133. 47*

*Linus Petri successor 31. 9, gladio cæsus ibid. 12*

*Lipsensis Academia quando & quare instituta 297. 31*

*Loca palustria quare plerunque infeliciter oppugnentur 309. 20*

*Longobardi Arriani binos in qualibet ecclesia volunt episcopos 37, 46, ad Imperij ius pertinent 200. 54, quare rebellarint Imperatoribus 201. 2*

*Longobardorum rex, misso regno, Monachum profitetur 39. 28*

*Lotharius Lotharij filius repudiat vxorem, 48. 47, agit pœnitentiam 49. 25, moritur absque prole mascula ibid. 30*

*Lowenborg arx exstruitur 248. 23*

*Lubeca commendatur 77. 17, 152, 25, libertatẽ defendit 194. 14, antiquitus in Zuartowsita 145. 23, crescit & augetur 166. 24*

*Lubertus episcopus Mimigardenordensis 24. 1. in quo reprehendendus ibid.*

*Lubertus de Wend. Osnab. epis. eligitur 266. 9, sed recusat ibid.*

*Lucius Angliæ Rex 6. 41*

*Lucius Rom. Pont. 33. 19, martyr ibid.*

*Lucius II. Rom. Pont. 323. 48*

*Lucius III. Rom. Pont. 233. 23, pellitur vrbe ibid.*

*Ludolphus de Schladem, Episcopus Halberstadensis 212. 38*

*Luderus Imperator ab aliis Lotharius dictus 148. 34, coronatur Romæ ibid. obsidet Spiram 148. 9, munit montem Alberg 151. 14, ex cœnobio Herfuelde magnam pecuniæ summam auferit ibid. 19, Monasterium dominarũ in Lutter reformat 154. 21, moritur in reditu ex Italia 151. 30, ducatum Saxoniæ dat Henrico Catulo Bauaro ibid. 21*

*Luderi mortem multa sequuntur mala 154. 30*

*Ludcrus Saxoniæ dux Friderico Stadensi infensus 143. 31, concitat Bremensem episcopum in Fridericũ 144. 1. deliberat de restituendo Friderico sed frustrà ibid. 18*

*Luderus Verdenſis epiſcopus 196. 29, quid eccleſiæ donarit ibid. 31*

*Ludgerus Phriſius primus epiſcopus Monaſterienſis 6. 1, Saxonum Apoſtolus ibid. 9, Wedekindo intimus ibid. 10, vocatur à Carolo Magno ibid. 11, Benedictinus monachus ibid. 22, ædificat monaſterium Werdenæ ibid. 29, moritur ibid. 31.*

*Ludolphus comes de Schladem epiſcopus Halberſtad. 195. 1*

*Ludolphus II. epiſcopus Raceburg. 318. 54, præfecturâ amplis redditib. donat 319. 5*

*Ludolphus de Rorſtorpe epiſcopus Mindenſis, 242. 11, hoſtes ſuos prælio vincit ibid.*

*Ludolphus de Holte epiſcopus Monaſte. 208. 31, triumphat de inimicis ibid. 38, familiam de Meinhoucle delet ibid. 40*

*Ludolphus de Bulow Epiſcopus Suerinenſis 248. 32*

*Ludolphus de Kroppenſtede archiepiſcop. Magdebur. 182. 49, quomodo ad eam dignitatem peruenerit ibid. 50 &c.*

*Ludolphus epiſcopus Raceburg. 205. 2, quare martyrio coronatus ibid. 6, ægrotus reſocillatur ibid. monaſterium in Rene fundauit ibid. 22, miraculis clarus ibid. verſus in eius laudem ibid. 47*

*Ludouicus Pius hæres patris 15. 24, Corbeiã cœnobium ædificat ibid. 28, Cleri reformationem inſtituit 19. 33, contrahit matrimonium 20, 11. quare & vbi à filio cuſtodiæ traditus ibid. liberatur ibid. punit conſilij authores ibid. moritur 23. 20, Hildeſemenſem eccleſiam exſtruit, vide lib. 1. cap. 10*

*Ludouici Pij prima cura ſuſcepto regno 15. 24*

*Ludouicus Germaniæ Rex quare Cæſar appelletur 25. 18, 47. 33, murus Saxoniæ, 41, 53, moritur ibid. 35, filius prouinciam diuidit 50. 2*

*Ludouicus Bauarus cum Friderico de imperio dimicat 244. 35, vincit ibid. multa proterue facit in Italia ibid. 38, Marchiam Brandeburgenſem dat filio ibid. 49, moritur in venatione 250. 53*

*Ludouicus tertius Imperator capitur 54. 46, dimittitur ibid. 48, denuò captus exoculatur ibid. 51*

*Ludouicus Germaniæ Regis filius Wandalos vincit, 49. 10, vxorem ducit ibid. Franciæ regnum conſequitur 50. 20*

*Ludouicus Landgrauius Thuringiæ moritur, 193. 54, S. Eliſabeth eius vxor ibid.*

*Ludouicus dux Luneburgenſis moritur 255. 5, magnum Brunſwici ducem hæredem facit ibid. 8*

*Ludouicus dux Luneburgenſis, epiſcopus Mindenſis 250. 9, moritur ibid. 29*

*Ludolphus Oſnabur. epiſc. 81. 27*

*Ludouicus de Rauenſperg Oſnab. epiſc. 227. 3 Simonem de Lippia, prædas agentem, capit ibid. 13, quibus conditionibus dimittit ibid. 14, prælio ſuperat Ottonem de Marca ibid. 20, moritur ex vulnere ibid. 26*

*Ludouicus de Tekeneborg epiſcopus Monaſt. 177. 53*

*Ludouicus de Haſſia epiſco. Monaſt. 251. 54,*

*Ludouicus Thuringus Archiepiſcop. Magdeburgenſis 278. 42, multarum eccleſiarum epiſcopus ibid. Comites de Werningrode ſuperat ibid. 50, homo lenis ibid. 52, quomodo perieris ibid. & 279. 1, &c.*

*Ludouicus Andegauenſis inuadit regnum Neapolitanum 274. 29*

*Ludouicus de Pino hæreticus in carcere moritur 330. 42*

*Ludouicus Marchio Miſnenſis, epiſcopus Halberſtadenſis 254. 53, transfertur ad eccleſiam Mogutinam 255. 1, inde ad Bambergenſem ibid. inde ad Magdeburgenſem ibid. 3*

*Luneburgenſes occupant arcẽ montoſam 268. 16, prælio victi 285. 15, exeunt lignatum 286. 13*

*Lupoldus Auſtriæ dux ab Heluetiis opprimitur 276. 40*

*Luitharius epiſcopus Paderbur. 56. 12*

MAgdeburgi arx vnde 5. 11, Veneris ſimulacrum cum tribus Gratiis ibid. 15, nomen vrbis vnde ibid. 16, Eccleſia conflagrat 187. 52, miles in eccleſia occiditur 222. 29*

*Magdeburgenſes archiepiſcopo ſuo bellum faciunt 311. 14, excommunicantur, ibid. recipiunt archiepiſcopum ibid. 19*

*Magnæ vrbes, ſine inſtitia, ſpeluncæ latronum 223. 9*

*Magnus Norwegiæ rex eligitur 103. 16, Zuenonem manuali prælio vincit ibid. 20, Daniam obtinet ibid. 17, charus Danis ibid. 46*

*Magnus Saxoniæ dux moritur 145. 47, duas relinquit filias ibid. 52. occumbit in prælio 268. 21*

*Magnus dux Saxoniæ inferioris Epiſc. Hildeſ. 307. 18, dominatum Hamburg ditioni adiungit ibid. 26*

*Magnus inferioris Saxoniæ Weſatis bellum infert 333. 37, commonet vicinos principes 334. 2*

*Magnus Brunſwici dux à patre admonetur officij 255.16, ſed fruſtrà ibid. inſultat patri ibid.19*
*Magnopolenſis ditionis nomen vndè 114. 19,137,19.*
*Magnopolenſes olim Obotriti 157,44, ſub Carolo M. Chriſtiani facti ibid.*
*Manfredus opponit ſe Pontifici 216.27*
*Marcellus Rom.Pon. 34.7 epiſtolis gubernat eccleſiam ibid.*
*Marcellinus Rom.Pont. ibid. 1, idolis thura iniecit ibid. martyr ibid.*
*Marcus Rom.Pont. ibid.28*
*Marcus primus epiſ. Aldenb. 76.49,156.3*
*Marquardus epiſ. Hildeſemenſ. 49.37, cæſus vnà in Ebbeckſtorp ibid.39*
*Marquardus Oſnab. epiſco. 141.1, deponitur ibid.3, quare id factum ibid.*
*Marquardus Ieſewen epiſcop. Raceburgen. 241.19*
*Marquardus ſacerdos ſur ſuſpenditur 198. 44*
*Marquardus Beerman epiſcopus Suerinenſis 269.40*
*Marquardus de Rindhegen epiſcopus Mindenſis 300.12, migrat ad eccleſiam Conſtantienſem ibid.*
*Martinus I. Rom.Pont. 37.54, moritur in exilio 38.1, &c.*
*Martinus II. alis artibus ad Pontificatum cucc[illegible]tus 116.10*
*Martinus III. Rom.Pontif. 118.1, optimus vir ibid.*
*Martinus IIII. Rom.Pont. 235.24*
*Martinus V. Rom.Pontif. 321.2, in Concilio Conſtantienſi eligitur ibid.*
*Martinus Danus, author modorum ſignificandi 229.1*
*Maſo epiſcopus Verdenſis 153.10*
*Mathildis patrimonium eccleſiæ Ro. donatum 200.52*
*Mauritius comes Oldenborgenſ. obſidet Delmenhorſt 316.10, Bremenſes & Hotenſem comitem ſibi adiungit ibid. profligatus à Wilhelmo, vix elabitur ibid.30, obtinet Delmenhorſt 320.4*
*Mauritius Comes de Hoia æmulus Godfridi epiſcopi Bremenſis 255.24, Bremenſes vexat 256.14, ciues aliquot Bremenſes cædit ibid.26, ſuburbium inuadit, ibid.29. pontem occupat ibid.36, Bremam cum poſſet occupare, quare noluerit ibid.40, iuramentũ ciuibus non vult remittere 264,42*
*Meinerus epiſcopus Aldenburgenſis 88.46, aliàs Meinardus 98.48*
*Meinerus Kranſelder Epiſcopus Halberſtad. 206.1*
*Meinhouele familia in ditione Monaſterienſi epiſcopo rebellis 68.14*
*Meinulphi pietas 13.36, votum 20.41*
*Mecklenborg grandis villa 156.46*
*Mediolanenſes obſident ur 162.27, inuadunt caſtra Friderici ibid.30, deditionem faciunt ibid. tumultuantur negato tributo ibid. obſidentur denùo integrum triennium ibid.*
*Melchiades Rom.Pont. 34.17*
*Melchior dux Brunſwicenſis, Oſnabur. epiſcò. 279.14, æs alienũ contrahit ibid. capitur, ibid. vicarium conſtituit Theodoricum de Marca ibid. transfertur ad eccleſiam Suerinenſ. ibid.45.*
*Meldorp vnde nomen habeat 12.2*
*Memorabile factũ in eccleſia Coloniẽſi 86.24*
*Mendicantes monachi quare initio grati 189, 54, nihil habentes omnia poſſident 190. 4, celeriter per orbem diffuſi 192.54*
*Menerus primus in Liuonia epiſcop. 177.37*
*Menfridus archiepiſcopus Magdeb. 94.6, aliàs Hunfridus dictus 104.55*
*Mengardus ſiue Mengerus Oſnab. epiſcopus 18.18*
*Menwercus epiſ. Pader. 91.12, Henrici Imperatoris conſanguineus ibid. reſtaurat eccleſiam ibid. Papienſi tumultui miſcetur, ibid.20, Erwete prædium impetrat ab Imperatore ibid.26, Walonem abbatem Corbeienſem deponit ibid.18, Heruordiæ eccleſiam exſtruit ibid.36, Comitatũ Warberg obtinet eccleſiæ ſuæ, ibid. moritur, 16.47*
*Michael de Ceſena, hæreſis notatus 249.41*
*Milites, Guardia appellati, quales 334.4, veniunt Aldeburgum ibid. quare à Bremenſi ditione abſtinuerint ibid.15, fame premuntur ibid. veniunt in Hadeleriã, ibid. 32, eamq. ſolo terrore recipiunt ibid. acceptaclade à Wurſatia repelluntur ibid.34, pergunt in Holſatiam ibid. inde in Thietmarſiã, vbi ad internecionem delets ſunt ibid.44*
*Milo epiſcop. Mindenſ. 87, moritur ibid.13*
*Minda vndè dicatur 9,34*
*Minda incendium excitatum 111.40*
*Mindenſis epiſcopatus fundatio 8.47*
*Miraculum cruentarum hoſtiarum Wilſenaci 284.23*
*Miraculum de chirothecis Euermodi 158, 30*
*Miſnenſes nolunt appellari Saxones 66.28*

*Mistiwoi, Wandalorum princeps, quare in Christianos tam crudeliter sæuierit 82,50 85,10, moritur Christianus 88.17*
*Moguntinus vnde primum inter Electores locum habeat 66.47*
*Molenbercense cœnobium reformatur 320, 38*
*Molenbeke monasterium fundatur 64.20, restauratur cum conflagrasset ibid.32*
*Monachus quidam Prædicator episcopus Hildesemensis 261.52, ineptus ad arma 262, 5, cedit sponte episcopatu ibid.*
*Monasterium vrbs Westphaliæ vnde nomen habeat 102.2*
*Monasteriensis ecclesia non fert nisi nobiles 317.44, nec ordines mendicantium facilè admisit ibid.*
*Monasterium in Ebbekestorp 42.10, Reliquiæ ibidem vndè ibid.*
*Monasterium in Walsrode fundatum 78.48*
*Monasterium in Esegestorpe fundatum 242. 24*
*Monasterium in Wedegenborgh 87.3*
*Monasterium in Ozede fundatur 161.28, augetur opibus 166.10*
*Monchcrus Osna. 96.39*
*Morbus Gallicus vnde 52.1*
*Morbus linguarum inauditus 51.50, cessat Deo placato ibid.*
*Mos alendi crines diuinitùs abolitus 148.9*
*Mos eligendi Imperatorem tempore Ottonis I. 66.38*
*Mos exclamandi per Iodute vndè 146.44*
*Mos orationes funebres habèdi vndè 150.35*
*Mos, vt in Collegiis quisque familiam alat, vndè ortus 241.27*
*Motus intra Albim & Visurgim 11.27, eius q causa ibid.28*
*Motus in Dania 157.26*
*Mutatio in Ecclesiastica potestate 304.43*

NEapolitanum tumultus obschisma 273.13
*Neapolitani Germanos captiuos poscunt ad supplicium 274.16, datos non audent attingere ibid.*
*Neomonasterium olim Faldera 145.19, redit ad ecclesiam Bremensem 163.30*
*Nicephorus orientis Imperium ad se rapit 13. 14, mittit legationem ad Carolum Magnum ibid.*
*Niclotus Wandaliæ princeps idololatra 163. 54*
*Nicolaus I. Rom.Pont. 40.51, inuitus sit Pontifex ibid. Ecclesiam Bremensem Hamburgensi contungit ibid.*
*Nicolaus II. Rom.Pont. 120.39*
*Nicolaus III. Rom.Pont. 235.17*
*Nicolaus IIII. Rom.Pont. ibid.36, Minorita ibid.*
*Nicolaus V. Rom. Pontif. 320.23, amat doctos ibid.*
*Nicolaus de Cusa legatus Pontificis venit in Germaniam 313.36, Multa benè constituit ibid. quid de Ven. Sacramenti circũgestatione constituerit ibid.*
*Nicolaus episcopus Lubec. 312.12, quos sumptus fecerit in consecrationem ibid.19, donum leprosorum reformat ibid.29, postulatur ad Ecclesiam Rigensem ibid.48, manet Lubecæ ibid.*
*Nicolaus de Delmenhorst archiepiscopus Bremen. 306.9, cur Bremensibus gratus ibid. ditionem ducum Brunswicensium bis vastat ibid. 40, Frisiam cum exercitu ingreditur 308.47, fugit 309.5, capitur ibid. liberatur ibid.18, defensorem sibi adscisit Ottonem Luneburgensem 310.1*
*Nicolaus de Misna episcopus Lubecensis 269. 15, transfertur ad Ecclesiam Misnensem ibid.29*
*Nicolaus Boetker episco. Suerinens. 315.19, cedit episcopatu ibid.*
*Nicolaus Pentze epis. Suer. 329.17*
*Nobilium ordines 66.13*
*Nobiles aliquot Iureconsulti 228.20*
*Nobiles, olim ministeriales seu feudatarij, 66.9*
*Nobilium agrestium superbia 70.32*
*Nobiles Hotenses excurrunt in ditionem Bremensem 282.31, confligunt cum Bremensibus ibid. mulctantur ibid.37*
*Nobiles aliquot à Gerhardo transeunt ad Bremenses 257.39, præmij loco arcẽ Tedinghusen accipiunt ibid.*
*Nobiles de Zuichelden Magdeburgensem agrũ infestant 299.40, Baronem Warbergensem interimunt ibid. obsidentur in arce Hercyniæ ibid. aufugiunt ibid. arx capta solo æquatur ibid.53*
*Normannorum in Christianos sæuitia vndè 47.45*
*Nortbertus archiepiscopus Magdeburgensis 149.12, author ordinis Præmonstratensium in Burgundia ibid.16*
*Nortbertini à Norberto dicti ibid.43*
*Nortila episcopus Verdensis 17.36*
*Nouæ religiones inuitis summis pontificibus oriuntur 224.42*
*Noui dominatus crescunt in Italia 243.6*

OBotriti alieni à religione Christiana 12.6
*Obotritorũ ditio nunc Magnopolis 76.55*
*Ochwinus*

Ochwinus episcopus Hildes. 79.5
Occo & Focco capitanei Frisiorum 306.20 bellum denunciant Bremensibus ibid. loca munita præsidiis firmant ibid. Arces aliquot occupant ibid. pacem petunt & impetrant ibid.
Odincarus senior Danus in Suconiam mittitur 82.1, negocium religionis promouet, ibid. 42
Odincarus iunior superioris nepos 85.29. episcopatum Ripensem erexit ibid. Christianismũ propagat in Dania ibid. 45. uterq; moritur 82.11
Olaus Suconum Rex 86.19
Olaus Suconum rex Daniâ expellit Zuenonem 86.7, Zuenoni Christiano Daniam restituit ibid. 6, quomodo puniert in se Sabbati violationem 93.19, proditus à suis fugit in Swediam ibid. 18, repetit Daniam reparatis viribus ibid. cõuratio in Olaum ibid. visionem videt per quietem ibid. 38 cadit in prælio ibid. 42
Olaus Norwegiæ rex baptizatur 85.47, mouet in Zuenonem 86.14. superatus nauali prælio, in mare se præcipitat ibid.
Oldenburgenses Comites, comitatum Delmenhorst assequuntur 311.39
Oliuarus episcopus Paderburnensis 191.13 fit Cardinalis ibid.
Omnes in vno sumus monasterio sub Abbate Christo 225.2
Omo Vngariæ Rex, vastat Bauariam 101.47
Ordo Cistertiensium unde Griseus appellatus 177.35
Ordinis Cistertiensis initium 132.18
Ordo S. Brigidæ 262.39. eius descriptio ibid.
Ordo Præmonstratensium quando & unde ortus 160.39
Ordo S. Augustini resloresci 111.25
Ordulphus Bernardi filius Haraldum obtruncat 103.40
Orientalis Ecclesiæ ab Occidentali defectio 198.11
Osdachus Episcopus Hildesemensis. 83.39
Osmundus docet in Suedia 108.35
Osnaburgensis ecclesia, prædia à Cobbone ablata recipit 63.50, & alia præterea ibid. incendio conflagrat 142.34
Osnaburgensis ecclesiæ priuilegiũ 4.17. aliud sub Dodonis nomine 67.50
Osterwick olim Salin stede 5.5
Othricus archiepiscopus Magdeburgensis, 88.13, vir doctissimus ibid. successorem habet Giselerum ibid.
Otto Magnus Imperator transfert episcopatum Vallerslebensem in Magdeburg 66.24, 149, 30 &c. per Barbam suam iurat 67.12, seuerè punit adulterium 67.14, rebellantes ad obedientiam reducit 69.18. Danorum perfidiam ulciscitur ibid. 25, Daniæ regem cogit facere imperata ibid. 32, filium eius de Baptismo leuat ibid. iussit conuocari Concilium Romæ 71.28, coronatur ibid. 38. tumultuantes Romanos compescit ibid. 46, Wandalos sibi subiicit 70.1, in loco Widenbrugge mercatũ constituit 75.2. Ottonem filium rebus in Italia præficit 77.39, constituit Episcopatum in Aldenborg 75.21, eiq; præficit Marconem ibid. Magdeburgum exstruit, 65.38, Halberstadensem episcopum in carcerem coniicit ibid, ab eoq; excommunicatur ibid. Monasterium D. Mauritij ædificat 149.22, venit cum filio in Galliam 77.49. moritur 78.2
Otto secundus Imperator, viuo adhuc patre, coronatur 77.39, ducit uxorem ibid. Galliæ bellum infert 79.35, pugnat infeliciter cum Græcis ibid. 40. Beneuentanos obsidet ibid. 46, seuere punit Romanos ibid. 55, quæ prædia Osnaburgensi ecclesiæ concesserit 81.32, moritur 80.5
Otto III. Imperator modum creandi Imperatoris præscribit 66.37, 38, 35. descendit in Saxoniam 80.21, Crescentium Patritium Romanum capite plectit 83.28, ab eiusq; coniuge veneno necatur ibid.
Otto IIII. Imperator à Pontifice coronatur 180.55, 181. excommunicatur ibid. deponitur ibid. 190, 42, cedit Regi Franciæ, 181.6, describitur à Colonienſibus 182.22, fit Imperator, sublato æmulo ibi. 40. Waldemarum Sleswici Ducem sibi adiungit 184.10, 185.17, Quare excommunicatus 188.2, vastat Bremensem prouinciam 189.7, ibid. 38, conuocat Imperij principes 190, 12. Dysenteria moritur 188.14, agit pœnitentiam ibid.
Otto Landgrauius Hassiæ Archiepiscopus Magdeburgensis 244, 15. Magdeburgensibus veniam impetrat, ibid. 24
Otto Ioannæ maritus Carolo occurit 273.29, Obsessis in arce conatur opem ferre ibidem 47, Capitur, ibidem 55. soluitur 275.5, denuò capitur à regnis, ibid. Neapolim tenet 276.35
Ottonis Saxonis liberi 139.10

*Otto Brunſwici dominus capitur 194.13, dimittitur ibid. vexatur à ſuis ibid. Brunſwicum recuperat ibid.*

*Otto Brunſwici dominus omnia ſua reſignat Imperio 196.37, creatur Dux ibid. obſidet Bremam, ibid. Ottersbach arcem euertit, ibid. moritur 212.53*

*Otto Brunſwici dux, epiſcopus Hildeſemenſis 214.27, quomodo Woldenberge & Peine occupauerit ibid.33*

*Otto Brunſwicenſis occupat arcem Harteſborg 264,2. declinat pugnam ibid. occupat Aluelduam ibid. tranſigit cum nobilibus Hildeſemenſibus ibid. excipitur lautè in arce Leuenborg ibid.*

*Otto Brunſwicenſis dux celebris 281.21, quo animo filiorum Magni tutelam ſuſceperit ibid. Wolffenbuttel arcem conatur occupare ibid. ſpe decidit ibid.*

*Otto Brunſwicenſis dux archiepiſc. Bremenſ. 288.45, expurgat ditionem malis hominibus ibid. arcem Ottesberge fruſtrà obſidet, 289.3, cur nouam arcem exſtruxerit 293.27, moritur ibid.50*

*Otto de Lippia II, epiſ. Monaſt. 217.5, addit ditioni dominatum de Vechta ibid.*

*Otto III. de Retberg epiſcopus Monaſt. 247.20, expellitur ditione ibid. redit poſt Conradi obitum ibid. moritur ibid.*

*Otto de Hoia epiſcopus Monaſt. 291.42, homo militaris ibid. qua re nomen immortale meruerit ibid. Comitem de Tekeneborg pacem petere cogit ibid.*

*Otto de Benthem epiſcopus Monaſt. 186.52*

*Otto I. epiſcopus Mindenſis 222.33*

*Otto Wettin epiſcopus Mindenſis 279.48, Mindã ingreditur 280.5, moritur ibi.20*

*Otto de Minda epiſcopus Mindenſis 292,35*

*Otto de Retberg epiſco. Mindenſis 309.29*

*Otto Retbergenſis Comes epiſcopus Paderbur. 217.41. Paderburnenſes cædit ibid. 48, quibus conditionibus cum ciuibus tranſegerit ibid.*

*Otto ducatus Luneburgenſis vnicus hæres ſub mergitur 247.9*

*Otto comes Cliuenſis 252.2*

*Otto comes de Balingſtede 146.29, Wandalos profligat ibid.*

*Otto comes de Woldenberge epiſcopus Hildeſ. 242.45, ditionem paternam ad eccleſiam transfert ibid.*

*Otto Bambergenſis epiſcopus Pomeranos conuertit 146.11*

*Otto Halberſtadenſis epiſcopus 148.25, de Simonia cõuictus deponitur ib. reſtituitur ib.*

*Otto de Gronaw epiſcop. Raceburg. 253.25,*

*Otto de Delmenhorſt archiepiſcopus Bremen. 251.18, fallitur à ſuis ibid.*

*Ouernkerken cœnobium euertitur ab Vngaris 74.31, reſtauratur ibid.41*

PAcis ſuaſores litigare, turpe 53.31

*Paderburna cum eccleſia conflagrat 83.27, 148.19, 155,4*

*Paderburnenſis eccleſiæ priuilegia innouãtur 83.24*

*Palatium Apoſtolicũ fulmine tactũ 270.6*

*Pallium quid ſignificet, quidq; ſacerdoti proprium 28.8*

*Pardamus de Kneſebeck epiſcopus Raceb. 300, 48, qua ratione eas alienũ ſoluerit 301.2*

*Paſchalis I. Rom. Pont. 40.10, abſque Imperatoris aſſenſu creatus ibid.*

*Paſchalis II. Rom. Pont. 232.15, Concilium conuocat 140.6, triumphat de Antipapis & hoſtibus eccleſiæ 232.18, orbitatem Henrico V. imprecatur 148.2*

*Paſtores animarum, ouium paſtores decet imitari 28.12*

*Patrocli reliquiæ Suſatum tranſlatæ 75.43*

*Patto epiſcopus Verdenſis 17.27*

*Paulus I. Rom. Pont. 30.36*

*Paulus II. Rom. Pont. 321.43, inopinato moritur ibid.48*

*Pax inter Pontificem & Imperatorem quibus conditionibus conſtituta 174.10*

*Pelagius I. Rom. Pont. 36.40, Sacerdotibus canonicas horas legendas decernit ibid.*

*Pelagius II. Rom. Pont. 36.55*

*Peregrinationes quid proſint 267.15*

*Peſtilentia vehemens 254.17*

*Peſtis Italiam vaſtat 258,31*

*Petrus Apoſt. Rom. Pont. 30,53. primus in terra Chriſti vicarius 31.1, Romæ occiditur ibid.5*

*Petrus Bleſenſis 165.17, quid ſcripſerit ibid. 18*

*Petrus Comeſtor 153.47, author hiſtoriæ ſcholaſticæ ibid.*

*Petrus epiſcopus Suerinenſis 337.10, honorificè excipitur ibid.17*

*Petrus de Riga 153.51, ſcripſit Aurorã ibid.*

*Petrus Lombardus ibid. 25*

*Petrus permutatione fit Epiſcopus Magdeb. cedens nimirum Ludouico Thuringo. Vide lib. 10. cap. 7*

*Petri Rhodiorum militum magiſtri virtus 331.7*

*Petrus Raceburgenſis epiſcopus 196.54*

*Petrus Vngariæ rex, regno eiicitur 101.42, ad Henricum Imperatorem fugit ibid.*

Philippus

*Philippus cum Ottone de imperio dimicant, 182.17,185.21, Obſidet Brunſwicum, 184, 50. quare ab obſidione diſceſſerit ibid. 53*

*Philippus Colonienſis epiſcopus ducatũ Weſtphaliæ occupauit 161.41, peſte moritur, 176.43*

*Philippus epiſcopus Racebur. 181.36*

*Philippus de Catzenelnbogen Epiſcopus Oſnaburg. 161.19*

*Pietatis ſtudiũ langueſcit in religioſis 111.37*

*Pius Rom. Pont. 32.6, multa conſtituit ibid. 9, martyr ibid. 10*

*Pius II. Rom. Pont. 321, 36, Secretarius Imperatoris ibid.*

*Piratæ magno numero circa Bircam 63.17*

*Platina diligentiſſ. temporum calculator 73, 10*

*Pluſſo Wandalus obtruncatur 115.27*

*Pomerani oppido Tangermundæ pelluntur 305.9*

*Pontianus Roman. Pont. 32, 49, relegatur in Sardiniam ibid. 50, Pontificis eſt Romæ eſſe 44.29, 73, 39*

*Pontificatus Germanis certa mors 100.16*

*Pontifices quomodo rete Petri exemplo laxent 305.25*

*Pontifex quando cœperit confirmare Imperatores 12.35*

*Pontificum contentione Romanæ ſedis authoritas imminuitur 55.22*

*Pontificum in Gallos propenſio vnde 12.44*

*Pontifex cur Peruſium conceſſerit 195.10*

*Pontifex poſtulat ab Electoribus, vt nouum eligant Imperatorem 201.38, 203.30, quid reſponſi tulerit 201, 39, 203.33*

*Pontificis literæ de occupata Hieroſolyma 207.35*

*Poppenborg arx à quodam Marſcallo occupata 336.26*

*Poppo in Dania religionem Chriſtianam promouet eamq. miraculis cõfirmat 79.7, &c. epiſcopus Sleſwicenſis 84.48*

*Poppo Paderb. epiſcopus 128.6*

*Poto de Potenſtein Epiſcop. Monaſterienſis 281.9, quomodo exceptus ad oppidum Ham. ibid. tranſfertur ad eccleſiam Sueri-nenſem ibid.*

*Præmonſtratenſes ſiunt Canonici 330, 43*

*Prælatorum diſſimulatio cauſa diſſolutionis in Clero 336.45*

*Prælium cum Stedingis 196.12*

*Pribiſlaus & Niclotus Wandaliæ principes, 150.51, reſtituunt Idolorum cultũ ibi. 54*

*Pribiſlaus ſuburbiũ Segebergevaſtat 151, 42*

*Principes rarò vera audiunt 251.40*

*Principes aliquot Imperij in Conradum inſurgunt 59.2*

*Principes Germaniæ in Henricum IIII. inſurgentes, de eo conqueruntur, 132, 51*

*Principes Imperat: Henrico renunciant, 133. 4*

*Prodigia viſa 130.17, 135, 35, 207, 21, 155, 4*

*Ptolemais à Saracenis occupata 223.53*

*Quæſtio mota de Bremenſi epiſcopatu 26. 24, deciſa à Pontifice ibid. 27, &c.*

*Quidam ſe fingens Fridericum II. Imperatorem eſſe, clàm perditur 215.5*

*Quid ſpecſtetur in eligendis epiſcopis 311.33, 328, 53, 334.54.*

*Raboldus Traiecti Epiſcopus concedit Dauentriam 47.4*

*Raceburgenſis ditio ære alieno grauata 241, 29, eius ſoluendi ratio ibid.*

*Radegaſt Deus Wandalorum 115.10*

*Raimundus legatus Apoſtolicus 335.44, pacem vbique reſtituit ibid. 51*

*Raimundus Comes Nolanus euadit inſidias, & ſoluit obſidionem Lucerienſem, Vide lib. 10, cap. 18, totum.*

*Rapinæ & incendia per ditionem Paderburnenſem fiunt 148.37*

*Ratibor Wandalorum Dux occiditur 102.5*

*Regale Lotharium, à Lothario 134.27*

*Reginwardus Archiepiſcopus Hamburgenſis 61.18*

*Reginfredus ab Haraldo pellitur 20.1, piraticam exercet ibid.*

*Reginbertus Comes de Ringelheim feliciter cum Danis pugnat 58.21*

*Reinoldus Colonienſis epiſcopus excommunicatur 168. 1. proficiſcitur cum Imperatore in Italiam ibid. peſte decedit ibid. 11*

*Reinhardus Halberſtadenſis Epiſco. 148.16*

*Religiõis neglectus paupertatem gignit 241. 22*

*Rembertus Hildeſemenſis epiſcopus 19.46*

*Rembertus diſcipulus Anſgarij 16.50, Eccleſiæ Ripenſi præficitur 29. 44. deinde Hamburgenſi 41. 3. conſecratur à Lutberto ibid. 12, fit Monachus ibid. Non interfuit cædi Martyrum 48.10. ſollicitus pro captiuis ibid. 53. 47. 50. clarus miraculis 48.1*

*Remberti ſollicitudo pro pauperibus 47.52, memoria quare Friſonibus grata ibid. 20 memorabile factum 48.4, Epiſtolæ ibid. mors ibid. 17*

*Rembertus Aldenburgenſis Epiſcopus 85.22*
*Rerum humanarum conditio 303.37*
*Retharius Epiſcopus Paderburnenſis 83.15, 90.3*
*Rethre Metropolis Wandalorum vbi fuerit 115.11*
*Rex Daniæ prælio ſuperatur in Bornehouede 194.13*
*Richertus epiſcopus Verdenſis 136.47*
*Richardus Epiſcopus Mimigardeuordenſis, 68,11. vexatur à nobilitate ibid. tranſigit cum rebellibus ibid.17*
*Richardus Angliæ Rex deſerit Chriſtianos, 178.25, facit naufragium ibid. Viennæ agnitus capitur 16.31, redimit ſe pecunia, ibid.34*
*Richardus de S. Victore 153.26*
*Robertus Monaſterienſis epiſcopus 102.3.*
*Robertus Franciæ Rex doctus atque ſanctus 94.18*
*Robertus Siciliæ Rex 242, 52. ab Henrico damnatur ibid. 54, à Papa abſoluitur ibi. 55 & 243.1*
*Rochi nobilis iuuenis hiſtoria 149.2*
*Rodeſtus ſeipſum ſuſpendit 157.25*
*Rodolphus de Anhalt Epiſcopus Halberſtadenſis 293.54*
*Rodolphus de Dingelſtede, archiepiſco. Magdeb. 206. 52, Comitatum de Aluesleue eccleſiæ adiungit ibid. 53*
*Rodolphus Sucrinenſis epiſcopus 212.13*
*Rodolphus epiſcopus Sucrinenſis 260.39*
*Rodolphus epiſcopus Halberſtadenſis 155.1*
*Rodolphus dux Magnopolenſis epiſcopus Sucrinenſis 287.33*
*Rodolphus epiſcopus Verdenſis 182.3 arcem Rodenborg exſtruit ibid.15*
*Rodulphus Wirtzburgum obſidet 129.12 ſæpè cum Henrico manus conſerit ibid. vulneratur ibid. 42, morti vicinus quid dixerit ibid.44*
*Rodolphus de Habſpurg Imperator 218.55, & 219.1.221.28, reſtituit Eccleſiæ Romanæ Bononiam & Romandiolam ibid. cum Rege Bohemiæ colluctatur ibid. 31, Italiæ aliquot vrbibus libertatem vendit ibid. 48, Imperium adunauit 222.40, Comitia habet Erphordiæ ibid. 51, Auſtriæ ducatū transfert in domum ſuam 226.31*
*Rhodus Hoſpitalariis militibus occupata 240, 54. & 241.1, quater à Saracenis oppugnata defenſa, ibid.*
*Rhody milites Turcis conſligantur 330.52*
*Romana ſedes plumbum auro cōmutat 335.36*
*Romana Eccleſia omnium iura ad ſe reuocauit 194.45, mater omniū eccleſiarū 173.14*
*Romanæ Eccleſiæ dignitas quare aucta 12.36*
*Romanus, Rom. Pontifex 116.41, ſimilis anteceſſoribus ibid.*
*Romanorum Pont. ſedes quare Auinionem tranſlata 225.46*
*Rortila Anglus Epiſcopus Verdenſis 21.6*
*Roſtochienſis Academiæ inſtitutum 304.27, Profeſſores eius Erphordiam mittuntur ibi. excedunt vrbe propter tumultum ibid. nimis feſtinanter redeunt ibid. tenui ſtipendio aluntur ibid.*
*Roſwida ſanctimonialis quid ſcripſerit 154.2*
*Rotgerus archiepiſ. Magdebur. 147.5*
*Rotho abbas Herſueldenſis, Epiſcopus Paderburnenſis 97.37*
*Rugiani veterem Lubecam euertunt 150.30*
*Rumoldus epiſ. Mimigardenorden. 68.19, alter Ioſeph in Weſtphalia ibid.*
*Rupertus Abbas Tuitienſis 155.8, Quid ſcripſerit ibid. moritur ibid.20*
*Rupertus de Mansfelt Archiepiſc. Magdeb. 213.14, Iudæos mulctat ibid.*
*Rupertus Palatinus Imperator eligitur 294.14*
*Rupertus ducis de Monte filius epiſ. Paderbur. 286.25, egregius iuuenis ibid. ſeriùs ad Eccleſiā accedit ibid. arcem Forſtenberg occupat ibid. 50. Fridericum de Patberg cū ſuis complicibus capit 287.20, peſte moritur ibid.27*
*Sabinianus Rom. Pont. 37.12, homo obſcurus ibid.*
*Saladinus legatum mittit ad Imperatorem, 175.10, qualem ſibi titulum in literis det, ibidem. Hieroſolymam hæreditario iure ſibi tribuit ibidem, Hieroſolymam occupat, ibid. 176.23, Rex fortiſſimus 183.21*
*Sancti qui olim habiti 18.45*
*Sanctorum precibus & meritis Deus flectitur ad miſericordiam 161.1*
*Saxonia vaſtata à Danis Normānis, 41.40, quæ noua 128.35*
*Saxoniæ ſtatus tempore Caroli Magni 3.32*
*Saxonicæ familiæ antiquitas & ſplendor 49.24*
*Saxones qui Orientales, & vnde ita dicti 4, 49. rebellant Henrico IIII. 124.4, abſtinent à prælio ibid. opprimuntur imparati, ibid. congreſſi denuo vincunt ibid. Item tertio, ibid. Subuertūt arcem Hartesborg, ibid, & 132.44. Sueuis coniuncti alium Impera-*

*Imperatorẽ eligunt 130.10, seruitutis impatientes 146.21 duce Ludero feliciter cũ Henrico V. conflig unt ibid. statuã in Trophæum erigunt ibid. 40, eam rusticl Iodute appellant ibid. Redeunt ad Ethnicismũ 3.27, cum Caroli Magni ducibus confligũt 3.22, à Carolo Martello & Pipino oppugnati ibid. 19, cædunt Obotritos 11.29, à Carolo repelluntur ibid. sæpè rebellant 11. 45.17,40, nomen Britanniæ mutarunt, 6.43, quomodo Britanniam occuparint, 21.9, quando in Vngariam translati, 54. 52*

*Saxonum duritia 20.54, cum Henrico V. bellum 24, magistratus tempore Caroli Magni 3.33*

*Schisma cœnobium, quando & à quo fundatum 165.27*

*Schisma in Ecclesia Aldenburgensi 269,13, 270.46, in Ecclesia Hildesemensi 247. 20.325.4, in Ecclesia Monasteriensi, 147.26.314.6, in Ecclesia Paderburnensi 224.26,134,49,297,46, in Ecclesia Suerinensi 284.49, in Ecclesia Verdensi 288.13.303,33, in Ecclesia Magdeburgensi 221.4, 149, 9, in Ecclesia Bremensi 171.38, 183,41,225,35,255, 24,168,34*

*Schisma grauissimum in Ecclesia 269,30, 283, 20,292,38, Regum diuisioni dedit occasionem 272.24, XL. annis in Ecclesia duranit 320.51*

*Schismatis in sede Romana ortus & occasio 271.25, finis 171.32*

*Scholæ antiquitus Ecclesiis adiunctæ 85.34*

*Sedes Apostolica qua re in contemptum adducta 298.54*

*Seditio in coronatione Rodolphi Imperatoris 128,31*

*Seditiosi Bremæ tumultuantur 265.8, comprehenduntur ibid. partim gladio cæduntur, partim proscribuntur ibid. proscripti cum Episcopo de prodenda vrbe cõsultant ibid. Episcopum ab se dimittunt ibid. 33*

*Segebergh mons victorie, olim Alberg 151, 14*

*Segefridus episcopus Mimigardcuordensis 91, 48, auget præbendas, ibid. moritur 92. 6*

*Sehardus episcopus Hildesemensis 57.23*

*Sententia excommunicationis in Henricum renouatur 139.50*

*Septentrionalis Germaniæ pars piscium diuissima 7.42, cur tam diu Idolorum cultui dedita 3.7*

*Septentrionales ditiones vnde Christianismũ habeant ibid.19*

*Sergius Rom. Pontif. 38.49, quid constituerit ibid.*

*Sergius II. Rom. Pont. 40.30*

*Sergius III. Roma. Pontifex 117.12, primilegia ecclesiæ Hamburgensis innouat, 55.7*

*Sergius IIII. Roma. Pontifex 119.34*

*Seruorum Mariæ ordo à quo ortus 224, 30*

*Seuerinus Rom. Pont. 37.40*

*Sifridus Episcopus Hildesemens. 184.40*

*Sifridus Danorum Dux à Diabolo vexatus, 8.4.40*

*Sifridus episcopus Paderburnensis 173.54*

*Sifridus Marchio Brandenburgicus archiepiscopus Bremensis 172.13, quibus de rebus Romæ sit accusatus ibid. 15. defenditur ibid.*

*Sifridus de Querforde episcopus Hildesemensis 221.22*

*Sigehardus Comes à militibus cæsus 138.7*

*Sigismundus Episcopus Halberstadensis 55. 46*

*Sigwardus episcopus Mindensis 162,51*

*Simon Lippiensis Comes vexat ditionem Osnaburgensem 227.6, captus Osnaburgam perducitur ibid. post sexennium dimittitur ibid. fugit ex prælio 242.48*

*Simon Comes Lippiensis episcopus Paderburnensis 209.33*

*Simplicius Rom. Pontif. 35.34*

*Simon de Sternebeng Episcopus Paderburnensis 278.19, in officio negligentior, ibid. 28. indulget multa nobilibus ibid. 39. fugitiui vulneratur ibid.38*

*Simon de Lippia episco. Paderburnensis 317. 29, multa bella subiit ibid.*

*Sindgerus Bambergensis episcopus, Pontifex creatur 100.10*

*Siricius Rom. Pontifex 34.52*

*Sisinus vel Sosimus Rom. Pontifex 39.7*

*Sixtus Rom. Pontifex 31.45, Missæ pleraque adiecit ibid. martyr ibid.*

*Sixtus secundus Romanus Pontifex 33.29, Laurentio thesauros ecclesiæ commendat, ibid. martyr ibid.*

*Sixtus III. Roma. Pontifex 35.22, absoluitur in Synodo ibid.23*

*Sixtus IIII. Roma. Pontifex 321,50. Romam purgat ibid.*

*Slesswicum olim Heidebu 62.44*

*Sliaswig euertitur à Wandalis 115.26*

*Soldanus magnum captiuorum numerum dimittit 191.35*

*Soldani Aegypti literæ ad Pontificem 208.47*
*Solus Deus operatur miracula per Sanctos, 157.34*
*Spirensis Ecclesia quando exstructa 96.21*
*Stadensis comitatus annexam habet Thietmarsiam 142.51, in ditione Bremensi situs ibidem. Quomodo ditioni Bremensi accesserit 141,45,145.1*
*Stedingia orientalis vastatur 195.35*
*Stedingi malè Christiani, victi tandem 173. 50, qualis gens 185.26, rebellant, ibid. Imperata faciunt, ibid. denuò tumultuantur 187.8, cæduntur ibid. adhærent Gerhardo Oldenborgensi 188. 49, multa faciunt contra Gerhardum & Bremenses 189. 35, euertunt arcem Slutere 195.32, oppugnantur à Simone administratore Bremensi 211.48, Ecclesiæ inimici 195.39, dæmonum responsa quærüt ibid. Eucharistiam horribiliter tractant, 195.44, alios sua perfidia inficiunt ibid. instar ferarum sæuiunt 196.4, cæduntur numero sex mille ibid.23*
*Stedingorum duces ibid.8. quibus verbis eos hortati sint ibid.10*
*Stephanus Roman.Pontifex 33.24, martyr ibid.27*
*Stephanus II. Roman. Pontifex 39. 31, opem Pipini contra Longobardos implorat ibid.*
*Stephanus III. Roman. Pontifex ibidem 46*
*Stephanus IIII. Roman. Pontifex 40.6, Gallis addictus ibid.*
*Stephanus V. Roman. Pontifex 116.21*
*Stephanus VI. Roman. Pontifex ibid. 35. Formosum Tyberi iussit mergi ibid.*
*Stephanus VII. Roman. Pontifex, 117, 39*
*Stephanus VIII. Germanus, Roman. Pontifex ibid.51*
*Stephanus IX. Rom. Pontifex 120,30*
*Stephanus Vngariæ Rex inter sanctos relatus 90.35, recte obiurgat Henricum Conradi fratrem 94.37*
*Sormaria plana regio 122.23*
*Successio Comitum Stadensium 155.25, &c.*
*Suedia olim Sueonia 23.41,51,15*
*Suederus Episcopus Mimigardeuordensis 79, 32*
*Suenteploch Wandalorü Princeps 150.24, vrbes Warlo & Kißm capit ibid. 22. redit Lubecam ibid. 24, interficitur ibid. 35, relinquit filium Swincke, ibid. 35. qui & ipse interficitur ibid.37*
*Sullenberg mons ad Albim 122, 29. factus habitabilis ibid. 33, Collegium in eo constituitur ibid. quod sit speluncæ latronum, & euertitur ibid. 36*
*Superstitio in oppido Vordenstein 197.2, Otbertus eius author ibid.*
*Swantewit Rugianorum Idolum vnde habeat originem 59.50*
*Swibertus Anglus Monachus primus episcopus Verdensis 6.37, diligens in officio ibid.*
*Syluester Rom.Pontifex 34.22*
*Syluester II. Rom.Pont. 119.19*
*Syluester III. Rom.Pont. 120.1, destituitur, ibid. 3 & 4*
*Syluerius Rom.Pont. 36.29, mittitur in exilium ibid.35.52*
*Symmachus Rom.Pont. 35.52*
*Synodus Moguntiæ habita 110.4,133,35. Lateranensis frequentissima 187, 27, apud Triburiam 32.43*
*Tabula argentea Bremæ ex Indulgentiarum precio confecta 203.8*
*Tabula reperta cum inscriptione 218.45*
*Tangermunda oppidum & arx 267.40*
*Tanno episcopus Verdensis 178.18*
*Tartari reprimuntur 206.20*
*Tartarorum nomen quando primùm Christianis innotuerit 201.41,206.4*
*Telesphorus Rom.Pont. 31.50, Iciunia Quadragesimale constituit, ibidem.51, martyr ibid.54*
*Templarij ad internecionem delentur 240, 39, magister ordinis Parisiis exuritur ibid. 44*
*Tenebræ in die Parasceues apud Senones 167, 11*
*Theutonicorum militum ordo quando cœperit 174.36, Confirmatur à Pontifice 177. 29*
*Thadæus Legatus Friderici II. doctus vir 207.32*
*Theodoricus Stendaliensis archiepis. Magdeb. 263.44*
*Theodoricus Mindensis episc. 50.40, præsul vna agmini in Ebbeckstorp cæso ibid.42*
*Theodoricus Cagel wid episcopus Mindensis 261.10*
*Theodoricus de Isenborg. episc. Monast. 203 24, quare à Pontifice depositus 193.41*
*Theodoricus Suerinen. epis. 201,49*
*Theodorus Rom.Pont. 37.49, iussit cereü paschalem consecrari ibid.50*
*Theodoricus episc. Lubecensis 175. 26, inuitus ad episcopatum pertrahitur ibid. 34*

Theo-

*Theodoricus episcopus Mimigardenordensis 86.36*
*Theodoricus de Horne Osnaburgens. episcopus 201.12, recipit, quæ iuris erant Ecclesiæ ibid.36*
*Theodoricus episc. Halber. 177.11*
*Theodoricus episc. Monasterienſis 147.36, ibid.46*
*Theodoricus Arudes episcopus Lubec. 332. 20*
*Theodoricus de Ictere episcopus Paderburnen. 224.39*
*Theodoricus episc. Paderbur. 58.42*
*Theodoricus de Morse administrator Paderburnenſis 302.43*
*Theodoricus de Morse archiepiſc. Colonienſ. 302.29*
*Theodulphus episc. in carcerem coniicitur 20. 22, Hymnum in carcere componit ibid. 24, 28.48, liberatur ibi. 52*
*Thomas Grote episc. Lubecenſis 332.3*
*Thomas de Aquino Comes 217.38, moritur 226.35*
*Thuringiæ ducatus à Saxonia diuiditur 50. 6*
*Thurhold Flandriæ Monasterium 16.44, Hamburgenſi Eccleſiæ adimitur 24.3, 27.25*
*Tiadmarus comes interficitur 107.41*
*Tiagrinus episc. Halberst. 19.13*
*Tietmarus episc. Verden. 101.35*
*Tietmarus II. episc. Verden. 153.19, eccleſiæ poſſeſsiones auget ibi.*
*Tietmarus Osnabur. episc. 96.40*
*Tietmarsia Eccleſiaſtici iuris 144.25, Eccleſiæ Bremenſi ab Hartwico traditur 145. 5, 152.46, à pluribus vario cuentu tentata 145.14*
*Thietmarsi sub Comitibus Stadenſibus 145. 1, 156.8, 167.39*
*Torstan, Sueonum Deus 93.51*
*Traiecti ducenti homines tripudiates mergun tur 221.41*
*Transalbinorum X. M. transportantur in Gal lias 13.20*
*Translatio Epiſcopatuum frequens 131.36*
*Tres Epiſcopi auro onusti pereunt in Albi 143. 30*
*Trenirenſis vrbs antiquiſsima 203.39, ſemper Chriſtiana ibi.42*
*Tripolis expugnatur à Soldano 223.49, item Tyrus, Sidon, Barutum ibi. 52*
*Tuedwiff ſancta fœmina 87.4*
*Tumultus in Dania de Regno 15.33, 19.52, Bremæ 238.38, in ſede Romana 54.3, Venetiis 243.8*
*Tumultus & prælia in Germania 130.7, 133. 33*
*Turcæ Rhodum oppugnant 331.3, diuinitus territi fugiunt ibid. Hydruntum capiunt ibid. 24, ſentiunt in multitudinem ibid. Apulia expelluntur ibid.*
*Turris ad fluuium Liſmona exſtructa 283. 9*
*Turgotus epiſc. moritur 95.22*
*Tympaniſta quidam in Francia concionatur in Clerum & principes 329.27, comburitur ab epiſcopo Herbipolenſi ibi. 35*

V

*Valentinus Rom. Pont. 40.20*
*Vdo Comes de Alueſteue Epiſcop. Hildeſemenſis 129.52*
*Vdo Comes Staden. Egbertum Idæ filium opprimit 142.27, Marchio 143.14, Vlricum pugno percutit ibid. 40, moritur ibid. 43*
*Vdonum progenies 145.3*
*Verda capitur 196.33*
*Verdenſis Eccleſia latiores olim habuit, quàm nunc, limites 58.14, in medio hoſtium poſita 21.2*
*Vermium magna multitudo viſa 135.26*
*Vicelinus creatur epiſc. Aldenburg. 150.13, 157.4 & 28, moritur ibid. 32, 163. 10, Plura vide pag. 148.43, 149.6, 150. 3, ibid. 25, ibid. 55, 151.24 & 54, 152. 31, 145.18*
*Viciſtudo in Religione 163.2*
*Victor Rom. Pont. martyr 32.26*
*Victor II. Germanus Rom. Pont. 120.26, Synodum Florentiæ celebrauit ibid. 29*
*Victor III. Rom. Pont. 133.39, 232.3*
*Vigilius Rom. Pont. 36.36, moritur in Sicilia ibid. 39*
*Viſchbeke Cœnobium à quo fundatum 74. 29, euertitur ab Vngaris ibid. 30, reparatur ib. 36*
*Viſurgi magna inundatio 150.11, 306.28*
*Vitalianus Rom. Pont. 38.10, Organa in templis adhibuit ib. 11*
*Vitardus martyrio coronatur 23.40*
*Vlricus Stargardiæ princeps moritur 325.40*
*Vlricus epiſc. Halberst. 162.22, luctatur cum Henrico Leone ibid. 48*
*Vlricus de Blucher epiſc. Racebur. 216.11, dat liberaliter Eleemoſynas ibid. 12*
*Vngari multas provincias populantur 62.31, monaſteria duo ſubuertunt 74.30, infeſtant Germaniam 54.20, ibid. 53, 55.30, 58.52, cæduntur ab Henrico 59.8, fiunt Chriſtiani 90.34*

*Vngarorum continua in Germaniam excursiones 58.52, crudelitas Bremæ 60.25, & 30,67.18, eius fs. pœna 60.33*
*Vnni Archiepiscopus Hamburg.62.11, exemplar Pontificum 63.41*
*Vnwanus archiepisc.Hamburg.89.5, suspectus de Simonia ibi.8, ritus paganorum tollit ibid.30, thesaurũ Ecclesiæ in quos vsus expenderit 89.54, magnificus 90.52, diligens in officio 93.10, moritur ibid.55*
*Vnwanus episcop.Paderburn. 58.44*
*Volmarus episc.Minden. 140.37*
*Volcmarus episc.Paderb. 64.51*
*Volcquardus episc.Aldenburg. 85.9, abit in Norwagiam ibid.16*
*Volquinus episc.Minden. 226.29*
*Volradus Kransfelder episcopus Halberstad. 214.51*
*Vorda arx Bremensi ditioni accedit 188.19*
*Vordenstein arx à Brunsuccensibus principibus occupatur 197.1, ad Bremensem ditionem quomodo redierit ibid.17*
*Vox in visione à quodam audita de Vrbano Põtifice 272.10*
*Vpsala Metropolis regni Sueciæ 63.13*
*Vrbanus Rom.Pont. 32.44, abroganti consuetudinem de communione bonorum ib.46, martyr ibi.48*
*Vrbanus II. Rom.Pont. 232.8, hortatur ad recuperandam terram sanctam ibid.12, Reinerium successorem designat 137.8*
*Vrbanus III. Rom.Pont. 233.29*
*Vrbanus IIII. Rom.Pont. 234.37, huius elegans dictum ibid.38, Festum Corporis Christi instituit ibid.39*
*Vrbanus V. Rom.Pont. 236.38*
*Vrbanus VI. Rom.Pont.ibid.51, coronatur 271.7, vir fenerus 236.52, 271.25, Plura de eo reperies 272.36, 273.15, 274.48, 275.22, &c. Iubilei tempus contrahit 277.21, B.Mariæ festum instituit ibid.25, moritur 278.15*
*Vrsinorum & Columnensium appellatio non admodum antiqua 144.36*
*Vto Wandalus malè Christianus 95.45, à Saxone transfugâ trucidatur ibi.48*
*Vto creatur rex Galliæ 50.32*
*Wago episc.Aldenbur. 80.52*
*Walbertus epis.Hild. 57.16*
*Waldemarus Lubecenses domare conatur 198.37*
*Waldemarus nobilis cur Bremensibus infensus 246.35*
*Waldemarus Danus cur Bremensis episc. electus 185.53, Romam proficiscitur vt confirmetur 186.4, Excommunicatur à pontifice 186.15*
*Walterus epis.Verd. 58.7*
*Wandali orientales, qui 49.11, ferox gens 164.13, 83.1, &c. postea Winuli & Sclaui dicti 95.40, Hamburgum vastant 60.43, Reliqua de his vide pag.45.9, 82.46, 83.1, &c. 60.55, 61.1, 70.47, 77.18, 79.41, 82.34, 85.8, 86.35, 98.21, 115.19*
*Wandalorum olim sedes quæ 4.47, in Hamburgum irruptio sub Henrico IIII. 60.55, qui scribus Christiani 82.35, principes Christiani qui ibid.41, commotio tempore Henrici tertij 105.26, tertia defectio 115.34, per cometam significata ibid.36, intolerabilis sæuitia 121.32*
*Wandaliæ Regis in fide feruor 49.1*
*Wedekindus princeps Saxonum 3.38, prælio superatur ad Hasam fl. 5.48, 8.49, fugit in arcem ad Wiseram ibid. obsessus elabitur in Daniam ibid. reuersus sit Christianus 5.47, 9.2, mendici habitu stipem petit ibi.3, vnde agnitus ibid. colloquitur cum Carolo ibid. puerum communicantibus à sacerdote dari videt ibid. instituitur in mysteriis Religionis ibid.28*
*Wedekindi arx prope Osnaburgam 3.39, eius reliquiæ ibid. cum Carolo pugna ibid. 42, fuga ibid. arx ad Visurgum communis Episcopo & Duci, vnde Minda 9.34, posteritas & genealogia ducum Saxoniæ 41.43, 49.17*
*Wedekindus de Hoia episcop. Minden. 210.5*
*Wedekindus de Monte episcop. Mind. 253.50, Ducem Brunsuicensem prælio superat 184.3*
*Wedekindus de Wrldegge episc. Osnab. 204.34*
*Wenslaus dux Luneburgensis 285.7, obsidet arcem Cellensem ibi.26*
*Wenslaus Caroli IIII. filius Imperator 283.21, ventri deditus 287.35, captus in arce Pragensi decimetur ibid. destituitur 294.1, cur Germanis infensus 297.28*
*Wentzlaus Bohemus à fratre trucidatus sit martyr 79.27*
*Wernerus episc.Mind. 173.23, Error annalium huius indicanda prosapia ibid.*
*Wernerus Wolmers episc. Suerinensis 322.20*
*Wernerus episc.Mon. 166.19*
*Wernerus vel Wesselus archiep. Magdeburg. 121.2,*

121.2, 123.50, cadit in prælio 124.16, 129.29
Westphalia, vera & vetus Saxonia 4.54, 51.36, 70.29, 97.15, occidua Saxonia ibi. 27
Westphali & Ostphali, qui 124.35, Westphali modestiores Ostphalis ibid.
Wichmannus archiepisc. Magd. 161.48, quatuor arces ditioni adiungit ibi. 54
Wido episc. Osnab. 142.32
Wighertus episc. Hild. 56.13
Wigbertus episc. Verd. 58.16, auget opes eccle siæ multis prædiis ibid. 32
Wighertus episc. Verd. 96.13
Witho Frisius primus episc. Osnab. 3.46
Wilbrandus episc. Magd. 199.37
Wildeshusen Bremensi ditioni iungitur 213.46
Wilhelmus Westphale episc. Lubecensis 337.1, improbat testamentum antecessoris ibi.
Wilhelmus Suer. episc. 208.1
Wilhelmus Mindensis episc. XXX. 198.19
Wilhelmus de Holte episcopus Monasterien sis 223.41
Wilhelmus de Buschе episcopus Mindensis 305.20
Wilhelmus Brunswici dux Gerhardo Oldenborgensi se iungit 316.8, Mauricium prælio superat ibid. 30, Comites Hoiensescapit ibid. 29
Wilhelmus episcopus Mimigardeuordcn. 57.38, quomodo ad episcopatum pertractus ibid.
Wilhelmus Montensis dux ad ecclesiam Paderburnensem postulatur 292.21, 298.37, capitur ab Henrico de Ore ibid. 49, comitibus Lippiensibus quare bellum fecerit 301.23, oppidum Horn obsidet ibid. cogit postulata facere Comites ibid. cœnobium Bodeke reformat ibid. 40, monasterium Petri & Pauli cur quo euentu reformarit ibid. 49, & 302.1 &c. ducit vxorem ibid. 52
Wilhelmus Hollandiæ comes eligitur à quibusdam Imperator 209.15, 215.25, 204.47, coronatur Aquisgrani 212.19, ducit vxorem ibid. 47, Comitissam Flandriæ superat 213.2, opprimitur à Frisonibus ibid. 10
Wilkehadi Anglifruor in propaganda religione Christiana 7.6 &c. discipuli aliquot Bremæ trucidantur ibid. 21, ad ecclesiam Bremensem vocatio ibid. 25, mors 8.42, sepultura ibid. 44
Willericus episc. Bremen. 20.49
Willerici diligentia ib. 53, transitus in Tietb marsiam 12.1
Wilsi, Wandaliæ pars 42.42, cum Storabis Carolo bonam nauant operam 10.23, Albim duobus pontibus iungunt ibidem 24
Wipertus episc. Raceb. 260.1, Romæ vnandecanescit ibid. 8, confirmatur à Pontifice ibid. 10
Wisera fluuius, olim Visurgus, dirimit Orientalem & occidentalem Saxoniam 4.45
Witelo episc. Mind. 160.38
Wolffredus Anglus martyrio coronatur 93.49, memorabile eius facinus ibid. 51
Wolradus de Dorne episcopus Raceburgensis 248.52
Wulbrandus episc. Paderbur. 191.17
Wullebrandus de Hallermundt episco. Mind. 314.54, arces ecclesiæ ademptas vi recipit 315.2
Wulfstrius episc. Minden. 56.38

Zacharias Rom. Pon. 39.26, Longobardorum Regem emollit ibid. 27, Pipinum regem facit ibid. 29
Zegebertus episc. Verd. 132.15
Zephyrinus Rom. Pont. 32.31, moritur ibidem 34
Zosimus Rom. Pont. 35.10, quid constituerit ibid. 11
Zueno Daniæ & Angliæ 108.19, libidini deditus, incestum matrimonium contrahit ibid. 21, dimittit consobrinam ibidem 32
Zueno, ab Ottone Zuenotto dictus, patri bellū infert 82.18, eumq; bis prælio superat ibid. Christianos per Daniam affligit 84.26, bis à Wandalis capitur ibid. 30, Dania exturbatur ibid. 37, redit in regnum 86.6, denuo eiicitur ibid. agit pœnitentiam ibid. 8, Olaum Norwagiæ Regem nauali prælio vincit ibid. 19, populatur Hadeleriam 101.50, Capitur ibid. 53, dimittitur ibid. 55

# Typographus beneuolo Lectori sal.

*HOc toto Krantziana Metropoleos opere, paucis adhuc paginis in Indice restãtibus, excuſo, venit in manus meas exemplar eiuſdem operis apud inclytam Baſileam excuſi, quod cùm aperui, vidi ad calcem illius confutationem Legendæ (ſic enim vocant) de Benedicto papa IIII. cum multis aliis principibus, epiſcopis & nobilibus Hamburgi martyrio coronato, deq; martyrum reliquiis in Ebbeckſtorp monaſterio virginum Ordinis S. Benedicti, per eundem Krantzium conſcriptam. Mirari ſatis non potui, qui factum fuiſſe videretur, quòd exemplari, quale nos in hoc codice imprimẽdo ſequeremur, addita non eſſet, cauſamq; adhuc ſatis ſcire non poſſum, niſi quòd ſuſpicer, illam, quia iam tum in ipſomet opere ſæpius eſſet inculcata, ſuperuacaneam fuiſſe viſam. Ego verò cùm mihi perſuaſerim, eam tibi non ingratam fore, poſt Indicem, tametſi minus commodè fieri poſſe videretur, volui ſubiicere. Tu ſi hoc meum tibi gratificandi ſtudium boni conſules, efficies vt abs te mihi ſatisfactum putem. Bene valebis.*

## DEO DICATIS ATQVE SACRATIS VIRGINIBVS, SVB REGVLA DIVI PATRIS BENEDICTI MILITANTIBVS IN EBBECKſtorpe, Albertus Krantzius inutilis theologus, Chriſtum ſponſum, qui eſt ipſa veritas, in veritate cognoſcere, agnitum diligere, & aſſequi dilectum.

CVM iam pridem antiquitates noſtratum recenſerem, incidi in fabulam occiſi ſummi pontificis cum cardinalibus, epiſcopis, ducibus, & magna nobilitate in Hamburgo: & motus rei indignitate, mecum dolebam, ineptiſſimam narrationem pro veritate enunciari: dedi operam, vt exploſa vanitate, res geſtæ de martyribus ibi tumulatis agnoſcerẽtur, & populo deinceps vt actæ ſunt enunciarentur. Et quoniã fabulator ad vos vſq; ſuas nænias produxit, putaui & vos veritatis rerum geſtarum participes faciẽdas, idq; pet religioſæ memoriæ patrem Henricum de Anckẽ, ordinis Minorum. Cœpi: ſed quoniam ille nobis ſubtractus eſt, nec facilè poteſt inolitæ conſuetudinis amor aboleri, iterum atq; iterum inſtandum mihi fuit, vt agnita veritate fabulam proiiceretis, ſincera deuotione venerantes Chriſti martyres, apud vos quieſcentes: præſertim cum id etiam veſtra depoſcere videretur integritas, nuper admonẽs paruitatem meam per germanam mihi, vobis ſacri ordinis ſororem, vt cœptum perficerem. Ecce pareo imperanti charitati, & quoniam magnus eſt amor conſuetudinis, neque facilè diuellimur ab his quæ à multis annis audire ſolemus, vt omnis ex animo ſcrupulus amoueatur, & radicitus fabula extirpetur: primum erit oſtendere, puerilem fabulationem nulla niti veritate, ſed ſeipſam confodere. Inde conuicta eius fabuloſa vanitate, veram narrationem de ſanctis martyribus apud vos quieſcentibus introducere. In primis conuincit fabulam de falſo, quòd omnium Romanorum pontificũ

exitus

exitus tenemus certissimo testimonio Italorum, qui diligentissimè collegerunt & ingressus & egressus eorum, ex quibus nemo peruenit Hamburgum præter vnum Benedictum quinrum: non sub Ludouico Imperatore, sed Othone primo: non ad prædicandum, aut baptizandum, aut ad pugnandum (vt fingit fabula) sed ad exulandum, cuius causam infrà dicam. Non ibi martyrio coronatus est, sed dolore animi confectus, obiit. Hoc Itali, hoc nostri annales, hoc inscriptio docet sepulchri. Nec venit cum cardinalibus episcopis, ducib. & militibus, vt fabulator garrit: sed eum Adaldago archiepiscopo Hamburgensi, cui Imperator Otho Benedictū commendauit, vt eum apud ecclesiam seruaret exulantem. Sed iam nunc fabulam attingamus, per ordinem monstrantes, quàm falsa, friuola, puerilis, inconcinna sit. Incipit à temporib. Luduici imperatoris, qui filius erat Caroli Magni, asserens tum in Hamburgo grauem excitatam Christianis persecutionē ex duce Baruch Wandalo: cuius vxor biennio prægnans, parturiit infantem monstrosum, gradientem, loquentem: sed mater ob blasphemiam in diuam virginē, in partu sit mortua: puer denuncias matris æternam perditionem, & Christianæ veritatis soliditatem, mox corruerit expirans. Pater versus in iram, Christianorum maleficiis rem adscribit, mouens persecutionem in Christianos, quorum aliquantos extinxit, alios dissipauit: ex quibus nonnulli Romam peruenerint, deponentes querimoniam papæ Benedicto. Fabula confodit seipsam. Nam temporibus Luduici imperatoris nō Wandali, sed Saxones tenuerunt Hamburgum. Nam pater eius Carolus ibi reliquit prefectum Othonem, qui populum seruaret in fide Christi & Imperatoris, quem adhuc viuente Carolo exturbarunt Wilsi Wandali, occisis aliquantis tum Christianis. Sed imperator Carolus oppidum iussit denuò communiri, constituens Herida gum ibi sacerdotem, quem destinauit fieri archiepiscopum in omnem prouinciā Aquilonis: sed festinata mors sacerdotis, & occupatio circa imperium Caroli, hāc rem liquere imperfectam. Filius Ludouicus rem peregit, qui assumptum de Corbeia Saxoniæ beatum Ansgarium, fecit archiepiscopum Hamburgensem. Cuius temporibus Normanni per Albim ascendentes, ciuitatem vastauerunt, ecclesiam incenderunt: cum sanctus pater in Ramsolam se collocaret, donec ad Bremensem ecclesiam facta duárum vnione assumeretur. Ergo sub primo Ludouico viuēte Ansgario nihil tale factum est, quale fabulator introducit: sed mendicat vnde cunq; lecta, vt historiam, imò fabulam suam illustret. Venisset tum ait quosdam ex dissipatis Christianis Romam, sub pontifice Benedicto. Et hic manifestum est mendaciū. Nam circa tempora Luduici nullus erat Benedictus in pontificatu, per centum annos ante & post eum. Dicit querulatos pontifici de sua dissipatione, orasse, vt armis illos vindicaret. Imperitissime mortalium, quando, & vbi legisti Romanum pontificem armatum iuisse in Germaniam, vt incredulos gladio adigeret ad fidem? Vicinas Romæ prouincias aliquanti pontifices impugnauerunt: legatos quoque cardinales aliquando cum exercitu miserunt extra Italiam, ipsi pontifices sedem Petri seruauerunt. Nec erat ea tempestate ea pontificum potentia, vt armatum producerent exercitum, contenti viuere in Italia & vrbe Romā. Admisset huic suæ fabulationi de LX. presbyteris, miserabiliter excruciatis. Hoc furatus est ex alia historia, quæ ex hoc tempore ad CC. penè annos in morte Othonis Imperatoris tertii peracta est non in Hamburgo, sed in Aldenburgo, tunc populosa Wandalorum ciuitate, quæ in Wagria parte Holsatiæ ad mare Balthicum sita est. Ita fabulator vanus confundit loca & tempora. Adiungit: Papam motum querelis dissipatorum, scripsisse Imperatori, vt armatum illi mittat exercitum, ad edomandos Wandalos in extrema Saxonia. Vide imperitiam fabulatoris, vt temporum nullam habet rationem, ita confundit & perturbat situm regionum: quasi imperator commoratus sit vltra Romam, ita petit ab eo exercitum in Wandalos Saxoniæ, cum quo descendat pontifex. Imperitissime nugator, si arma roganda erant in infideles, num propius ex Galliis ab Imperatore illa postulassent? qui etiam tum tenebat ditione Germaniam, num congruentius illa à Cæsare Christianiss. defensore, quàm à pontifice, sacrorum dispensatore petissent? Num ex vicino promptius imperatore, quàm ex longinquo pontifice illa deposcerent? Facit ineptissimus fabulator, imperato-

rem motum literis pontificis, venisse Romam cum splendidissimo exercitu. Tum papam honorificè dimisso imperatore in regionem suam, cum memorato eius exercitu descendisse in Germaniam. Vide prudentiam, imò insciti hominis, prouinciarum situm ignorantis. Ita facit venire Cęsarem in vrbē, quasi ab alia mundi parte illi fuisset veniendum: & non videt, ex Galliis in vrbem penè idem per alpes esse iter, quod ex Germania. Ergo imperator cum exercitu mouet Romam salutandi pontificis gratia? & inde dimittitur in suam prouinciam, quasi non eo itinere esset imperatori per Italiam redeundum in Gallias, quò papa descendit in Germaniam. Stultus fabulator, putat lecturos æquè cum illo esse cæcos, vt cum ille nihil videat, neminem videre aliquid arbitratur. Deinde sequitur: Papa cum exercitu & septē ducibus, totidemq; episcopis non ahtè quieuit, quàm peruenirent in ripam Albis, ibiq; ad quindenam fecit fessos ex itinere respirare. Iam erat in conspectu petita ciuitas in aduersa Albis ripa cōsistens. Dic quæso magister bone, quis tum erat status Germaniæ? quibus principibus regebatur? qui erant pontifices? in exercitu qui duces? nihil horum dicit bipes asellus. Voluntatem mentiendi habuit, artem non habuit. Erat tum Germania tota in ditione Imperatoris Ludouici, sicut antè Caroli patris. Ergo in sua prouincia pontificem Imperator non deseruisset. Vixit tum Widekindi ducis Saxoniæ filius Wickbertus, aut fortè nepos Walbartus, subditus Imperatori. Si aderat, cur ex nomine non cōmemoratur? si aberat, dic, quomodo se excusabat in re tanta? Omittamus ducē, certè archiepiscopus abesse non debuit veniens summo pontifici. Is tum erat Ansgarius. nam ille superuixit Ludouico Imperatori. Si aderat, census est cum Pōtifice: alioquin quomodo poterat abesse in tanto negocio? Si cęsus est, inter martyres est colendus. Errat ergo ecclesia Bremensis cū Hamburgensi, quæ illum veneratur inter confessores: & monstrat ecclesia Bremēsis tumulum eius, recognoscit quoq; ordinationē eius quam fecit obdormiens, cum eadem die qua erat ille commēdatus, Rembertus sit in locum eius surrogatus. Piget commemorare fabulam de simulatione Wandalorū ad fidem suscipiendā, de trucidatione tot millium Christianorū. Verum est, in ea vrbe multis vicibus trucidatos Christianos à paganis Wandalis aut Danis, quorū reliquiæ reconduntur in crypta sub choro maiori: sed ibi cæsum esse papam cum episcopis, ducibus & exercitu, friuolum est, falsum & commentitium. Nam nullus Rom. pontifex mortuus esse memoratur in Germania, nisi vnus Benedictus quintus antipapa: nō sub Ludouico, sed Othone primo, post annos penè cc. post Ludouicum: non cæsus cum exercitu, sed in exilio moriēs animi dolore. Ea res tribuit fabulatori materiam. Audierat Rom. pontificem Hamburgi tumulatum, ignorabat quomodo illò deuenisset. Non poterat aliud coniectare homo imperitus, quàm quod baptizandi gratia descendisset. Ideo cōiunxit illi exercitum cum ducibus & pontificibus: sed omnia tam ineptè, vt fastidium sit ista videre. Res autem vera de Benedicto quinto sic se habet. Otho primus ex gente Saxonum imperator, cum exercitu trāsiuit in Italiam, domiturus Berengarios, qui per Italiam sumpsere imperium. Cū ibi pugnaret imperator, & iam hostes penè subiugasset, Ioannes papa eius nominis XII. sedem apostolicam scelerate viuendo dehonestabat. Nonnulli ex cardinalibus scripsere Imperatori, questi indignam pontifice Ioannis vitam. Orabant per quicquid sanctum est, vt miseratº statum Romanæ sedis, propius admoueret vrbi exercitū. Erat enim Ioannes natus magna Romæ familia, vt nisi armis coactus, ad sanam mentem non rediret. Motus imperator, venit cum exercitu Romā. Ioannes non expectabat aduentum eius, sed cōcessit in deuia, donec abduceret exercitum, sperans familiam suam cætera curaturam, ne quid in se mali statueretur. Otho iussit synodū congregari, in qua discussa sunt crimina Ioannis: & ea probata, sunt inuenta depositione digna. Itaq; per cōcilium deponitur, & in locū eius octauus Leo reponitur. Interim Ioānes suo more viuens, dignum vita inuenit exitū. Nam cæsus in adulterio, periit. Cognatio autem eius in vrbe potēs, declinātē cum exercitu in vicinā prouinciā Imperatore, tumultuatur: vociferās, Leonē per Imperatoris impressionē non legitimè creatū pontificem: & inualuit pualuitq; tumultº, vt destituto Leone, Benedictus v. crearetur pōtifex. Vir pōtificio dignº, nisi malè introisset. Audiēs Imperator, rediit cū exercitu:

& va-

& vastatis in circuitu prædiis omnibus, vrbem obsedit, coegitq; Romanos Leonẽ in suam sedem reponere, Benedictum illi dedere. Malis coacti, faciunt imperatat deditur Benedictus Imperatori. Et quoniam certus erat Imperator, non quieturos Romanos nisi benedictus ablegaretur. Erat Adaldagus Hamburgensis archiepiscopus, Cæsarius cancellarius, iam quinquennio dimissa ecclesia secutus imperatorẽ. Is multis suorum literis ad ecclesiã suam reuocatus, postulauit ab Imperatore missionem. Annuit Imperator. commendans illi Benedictum, vt apud ecclesiam Hamburgensem longe ab vrbe exularet. Ita venit Benedictus Hamburgum per archiepiscopum adductus, nec diu superfuit. Nam dolore animi victus, occubuit, dormiens in pace. Hoc Italiæ catalogi, hoc nostri loquuntur annales. Idem testatur inscriptio sepulchri: & tamen non cessat fabula, cum non sit alius Benedictus in Germania mortuus. Igitur de cœlo ceciderit ille Benedictus oportet, in Hamburgo inter martyres cæsus, quem non agnoscit Rom. pontificum series. Faceßat inanis fabulatio, quam luce clarius exturbat nudata veritas. Omitto cætera, quæ infœlix nugator balbutit de hostili exercitu à Stargardia orientali veniente, de trucidatione tot millium, de abductione captiuorum, de suffixione capitum per muros in Christi natalitio cauentium, deque captiuis per angelum è carcere dimissis: quæ eadem qua cætera finxit leuitate. Si facta sunt, adducat vel vnum testem, cum annales nostri diligenter minora scribentes, tam grandia non præteriissent. Abeat in tenebras belua cum suo figmento. Non indiget Christi ecclesia illis fabulationibus veritate fulcitur, & solido nititur. Eiusdem vanitatis est quod sequitur: Reuersos ex captiuitate fideles, ex sacris ossibus nonnulla abducere voluisse Romam, & in alia loca, vnde nati viderentur qui occubuerunt: venisse in Ebbeckstorp, vbi sancti viri candido habitu seruierunt Deo. Inde verò plaustrum amoliri non potuisse, rotis in terram demersis, cum vrgerẽtur guttas sanguinis emersisse, vt admoniti miraculo relinquerent eo loco quæ abduxerint. Facta & infecta congerit, vt illustret narrationem: sed contingit illi quod in figmentis Æsopi est de cornicula, quę se alienis pennis ornauit, vt cùm repetitũ venisset grex auium plumas, mouit cornicula risum. Oro te, qui sunt, qui Romam ossa deportanda putauerẽ? Romanine, an alij? At Romani in aciem non descenderant. Nam fuisse contendis exercitum Imperatoris, qui venerat cum pontifice: at si Romani interfuissent, cæsi videbantur cum pontifice proximi illi. Si superfuissent, nõ illos reliquiarum cura tetigisset, cum plena sanctis Roma sit reliquiis, minus etiam ab illis quam sit dignũ cultis. Si alios fuisse contendis, quò abducere voluerunt, & quomodo indiscreta cæsorum corpora tumefacta, & vulneribus deformata internoscere potuerunt: quod accidit postea in vera quam dicam historia, de sanctis martyribus ibi cæsis. Sed cum nullus sit in Hamburgo cæsus pontifex, vana est & friuola inde facta reliquiarum deductio. Plus aliquid habet iste locus quàm hactenus norit: coluit martyres sub alieno & emendicato, & (vt verum fatear) mendoso titulo. Iam verò de suis martyribus sancta cõgregatio, vt sciat quo nomine colat suos illos patronos propiore origine, quàm si ab Italia vel superiori Germania aduentassent. Nam quod fabula interserit, habitasse tum in loco religiosos viros, candido seruientes habitu Deo, cæteris figmentis simile est. Nam vniuersa Saxonia non habuit sub Ludouico vllam fratrum congregationem præter Corbeiã, quam ille extruxit, abductis è Corbeia Franciæ fratribus, in quibus erat sanctus pater Ansgarius pòst Hamburgensis archiepiscopus. Ergo iugulatam suo gladio fabulam proiiciamus in tenebras, auscultãtes veritati de sanctis martyribus in Ebbeckstorp.

## VERA HISTORIA DE SANCTIS MARTYRIBVS, IN EBBECKSTORP MONASTERIO.

ANTE omnia statum prouinciæ, & annos à nato Christo commemorare conuenit vera scribentem. Nam qui in tenebris ambulant, suis figmentis innixi, nihil horum faciunt, vt liberius fabulentur, quod nemo possit redarguere. Nam vbi se temporibus coartant, habent vnde teneantur & con

uincantur. Erat post natum Christum annus DCCCXL. cum Ludouicus Pius, Magni Caroli filius reb. excessit humanis, relinquens filiis tribus, Lothario, Ludouico, Carolo latissimas & opulentissimas prouincias: Romanum imperium, Franciam, & vniuersam vsq; ad Danubium Germaniam. Nam is tum erat prouinciæ limes. Filij malè erant concordes de successione, cum Carolus iunior, ex secundo natus matrimonio vniuersam sibi Franciam vendicabat. Ventum est ad arma, & cruentissimo prælio decertatum, in quo Romani pontificis Sergii oratores penè sunt intercepti. Post prælium, in quo superior Carolus videbatur, res in transactionem coniicitur, & dirempta est res partitione prouinciarum. Lothario seniori, qui cum vicente patre imperabat Rom. imperium & vniuersa Lotharingia, quā tum Austrasiam dixere, prouenit. Ludouico Germania à Danubio ad mare nostrū, ingens prouincia, vt rex Germaniæ diceretur, Carolo permansit sua Francia. Igitur rex Germanię duces in suis limitibus habuit, quibus ditionem permisit, in Bauaria Ethiconem, in Saxonia Walbartum, Widekindi nepotem, Wickberti filium: ita tamen vt libera potestate rex dominaretur super omnes, quod apparuit in adunatione ecclesiarum Hamburgensis & Bremensis, cum instantia regis, autoritate Nicolai primi summi pontificis, Bremensis pridem Colonensis ecclesię suffraganea transfunderetur in Hamburgensem metropolim, quam adunatam primus rexit beatus Ansgarius, per omnia tempora Ludouici pii imperatoris, & per magnā partem regnantis filii eius Ludouici, quo regnante Ludouico, scilicet rege Ludouici imperatoris filio, pax erat & summa tranquillitas per Germaniam. Erat enim victoriosus princeps, domitor nationum in circuitu: Polonos, Bohemos, Pannonios regno suo cōterminos, ita bellis attriuit, vt conquiescerent. Wandalos per Pomeraniam & Magnopolim (vt sunt prouinciarum nomina, tum erant Circipani & Obotriti) ita armis conterruit, vt facilè conquiescerent. Danos autem ea tempestate per maria grassantes, & omnia littora Galliarum & Germaniæ infestantes, pactionibus & fœderibus in sua fide continuit: ita missis inuicem muneribus reges, memorabili exemplo tranquillitatem inter se fouebant. Cæterum ad reliquas nationes, quas nauigando Dani adierant, summa infestatio: sed littoribus Germaniæ pax erat propter Ludouicum regem per eius tempora ab Normannis. Hoc enim nomen indiderant genti Franci, abolim dicti Galli, Normannos appellantes omnem gentem ad se ex Aquilone nauigantem. Poterant in agminibus esse Normāni, sed summa rerum erat apud Danos. Vetus erat apud eam gentem consuetudo, vt complures essent regii sanguinis viri, vnus quidem regno præerat. Cæteri per maria nauigantes, liberam prædam vndecunque conuectabant: iustum quæstum arbitrati, quicquid fortiores imbecillioribus adimerent. Sic viuere in salsibus beluas, sic in aere volucres, sic in gurgite pisces. Quo tempore factum, vt Galliarum littora infestantes, reges Franciæ per tempora ita coartarunt, vt eis demum dimitterent prouinciam littoralem & maritimam, quam de suo nomine dixere Normandiam, durante vocabulo in hodiernum: quę omnia plenius in nostra Norwagia sunt explicata. Nunc verò paucis attacta; propter rem quam exponere nūc aggredimur. Ergo ad annum Christi DCCCLXXVI. (vel, ad annum Christi LXXVI. post DCCC. à partu virgineo) victoriosissimus rex Germanię Ludouicus, finem viuendi fecit, & cum eo pariter defecit pax & tranquillitas prouinciarum. Nam quas ille per metum nationes continuit, tum velut fracto repagulo eruperunt vndiq; infestam facientes Germaniam. Filios quidem ille reliquit, Ludouicum patri & auo cognominem, Carolū cognomento Grossum, qui postea peruenit ad imperium: & Carolomannum, cuius filius Arnolphus postea cum ingenti laude imperauit. Sed hi tum reges circa occupationem imperii detēti, minus asseruabant littora Germaniæ, à Danis tum magnis agminibus infestata. Nam Ludouicus & Carolus diuersis agminibus contendebant in Italiam, accepturi coronam imperii de manu pontificis. Nam præuenit ambos Carolus cognomento Caluus, rex Franciæ, amborum patruus. Erat enim primi Ludouici imperatoris iunior filius. Ioannes autem tum Romanus pontifex, eius nominis VIII. (vt semper Romani præsules pro Francorum regibus prompti sunt, quos vocant Christianissimos, non sine suo commodo) obuiam profectus

Carolo

Carolo Caluo Francorũ regi, coronã imperij deferebat. Ibi dum occupãtur Germaniæ reges, Dani nõ ignorãtes abesse illos longius, agmine facto, inuadũt Saxoniam, Christiano nomini (quod tum in Dania prius per Ansgariũ, & tum per Rembertũ, Hamburgenses pontifices, cœpit effloresc ere) infensissimi. Quocirca gens effera, prædæ & violentiis innutrita, odio infectabatur nouã religionem, quæ illa vetabat: & quoniam in regno metu regis Erici, quem diuus Ansgarius Christianũ fecerat, fœuire in Christianos non licebat, acriora odia intentabant in vicinas prouincias Christianas, simul prædæ & opibus inhiantes. In Saxonia tum rebus præerant tres fratres, Otho, Bruno, Tanquardus, filij Ludolphi ducis Saxoniæ, qui patrem habebat Brunonem, auum Walbartum, proauum Wichbertum, abauum verò Wedekindũ: eum principem, qui Carolo Magno diu conflictatus, primus nomen Christianum accepit, cum gente Saxonũ. Sed erant maiores tum vires Saxoniæ vltra Visurgum flumen (nos Weseram appellamus) qua in regione, quia Magnus Carolus Francos præfecit, qui gentem in fide continerent (testimonia sunt Gallica nomina, quæ ad ætatem vsque nostram durauerunt. Nam ante paucos annos eius stirpis nouissimus mortuus est, comes de Pyrmont, hoc est de monte igneo: Gallicum nomen, Gallicam monstrat originem. Tremonia, imperialis hodie ciuitas inde nomen habet, paulisper, vt fieri solet, detortum ab origine. nam Tremont olim appellatam coniectura est, quasi trium montium.) Nobilitas omnis Saxonum non passa parêre Francis, se retraxit vltra Visurgum, & ibi remansit. Cum ergo longe abessent reges Germaniæ, filij Regis Luduici, auditumq; esset de grassatione Danorum, quòd agmine magno inuasissent Nordalbingiam, quæ nunc Holsatia est, formidarenturque transmisso Albi flumine reliquam Saxoniam peruagari (nam Hamburgum oppidum quod erat ante oculos exciderant, occiso omni nomine Christiano) tum Bruno dux ex tribus fratribus Ludolphi filiis alacrior, ad arma vocatis in circuitu pontificibus, cum ea quam educere poterant armatura, & omni nobilitate vndiq; contracta, obiiciendum se putauit venientibus Christiani nominis atrocissimis hostibus. Aderant frequẽtes in circuitu armati, quantis poterant viribus episcopi Halberstadensis, qui tum sedem habebat in Salingsta dio, Hildesemensis, Verdensis, Paderburnensis, Mindensis, Monasteriẽsis, qui tum Mimigardeuordensis, Osnaburgensis. Nam illæ tum fuere sedes in Saxonia episcopales. Magdeburgensis necdum erecta ante tempora primi Othonis imperatoris, qui eam fundauerat. Aberat autem Rembertus Hamburgensis archiepiscopus, insistens prædicationi per prouinciã suam: nec tamen vacauit periculo. Nam dum agmen Danorum vastaret eam Phrisiæ partem quæ paret ecclesiæ Bremensi, fortè tum ibi prædicationi instabat Rembertus, exhortatus populum, vt pro nomine Christi sumerent arma in perfidissimos Christiani nominis hostes, affuturũ Deum protectorem: quo defendente, vnus mille, & duo (vt scriptum est) fugarent decem millia. Animatus populus, ad arma conuolauit. Hostibus occurrit, & viriliter restitit. Sanctus interim Rembertus arma sua intentauit, orationes & lachrymas: quibus dum esset intentus, adfuit populo de cœlo victoria. Nam cæsi magna parte hostes, alij in fugam ad naues conuertuntur. Numerata cæsorum capita, inuenta sunt decem millia trecenta ac septuaginta: alacritas vincentium, & victoriam suam admirantium effecit, vt diligenter cadauera cæsorum, quod alias fieri non consueuit, numerarentur. Monstrarunt diu incolæ locum, in quo sanctus, dum pugnaretur, oraret, perpetua viriditate etiã brumali tempore insignem. Eadum Rembertus patraret in Phrisia, aliud Danorum agmen irritatum clade suorum, acrius incubuit, transmisso amne. Saxoniæ Bruno dux vbi sensit aduentare infinitam barbariæ gentis irritatam & indomitam manũ, solito acrius ferocientem, conuocatos suos, ne multitudine terrerentur, putauit alloquendos. Hac vsus oratione: Videtis, inquit, cõmilitones barbariem nobis imminentem. Neminem moueat insolentium hostium multitudo: potens est Deus omnem illã colluuiem ante pedes vestros prosternere: memineritis, non in pugnantium robore aut multitudine, sed de cœlo victoriam esse. Pro nobis facit iustissima religionis causa, quã defendimus: pro nobis pugnant lachrymæ miserabiliũ per prouinciã Christiano-

rum: qui nisi dextris hodie vestris defendantur, in prædam venient ferocissimorũ hostium. Proinde memor quisque pietatis, pro qua sumpsistis arma, præsenti animo hostes inuadite, certi victoriam in manibus esse. Nam si retrò perfidos egerimus, victores quisque redibimus in suas: sin aliter Deo placitum, sic quoque vincemus, causa superiores, apud Deum martyrium cõsummaturi. Bene igitur mortem, quam alioquin naturæ debemus, autori Deo impendimus, de necessitate facturi sacrificium. Ite mecum alacres in pugnam, cuius non potest esse exitus nisi glorious. Si superamus, terram nostram cum habitatoribus defendimus. At si vincimur est conditori Deo vt superemur, terram accipimus viuentiũ possidendam. Hac oratione commonitos ducit in prælium: concurrerant hostibus in loco qui dicitur Ebbeckstorp. Ibi magnis vtrinque animis diu certatum est. Christianum agmen alacritate pensitauit diu maiorem hostium numerum: demum circumfusi in corona hostium innumera multitudine, cæduntur Christiani ad vnum vniuersi. Placuit Deo ex tertigenis augere sanctorum agmina cœlitum, & de sanguine domesticorum martyrum ditare inopiam Saxoniæ. Iacuerunt pro Christo cæsa corpora: hostes armis, deinde vestibus nudauere, conferentes in aceruum vnum vniuersos. Cumq; vicinis in pagis per proximos grassarentur, saltibus & inuiis locis se rustica plebs vt poterat, contutatur. Nouissimè, vbi de præda sunt hostes expleti, legunt iter retrò, ad mare redeuntes. Hæc est illa sanctorum in Ebbeckstorp martyrum strages. Inde sunt sacratæ sanctorum quæ coluntur reliquiæ, non aliunde aductæ, sed in loco cædis, & peracti pro Christo martyrij tumulatæ. Testes sunt annales plurium in circuitu ecclesiarum. Nam Mindenses, cum se pro suo pontifice Theodorico, viro sanctitatis eximiæ, ad stragem cæsorum corporum, pro illo apud ecclesiam suam honorificè tumulando contulissent, iam erat indiscreta corporum congeries. Inflicta vulnera, secutus inde tumor, mortuæ & iam putrescentis carnis discrimen non reliquerunt. Idem passi Hildesemenses pro suo pontifice Marquardo, ordine quinto, diligentiam facientes. Nec dubium quin principes eius temporis, Tanquardus atque Ottho, cæsi ducis Brunonis fratres germani, similem in suum quoque Germanum pietatem intentarint, cupientes extractum de congerie cæsorum principali ritu tumulare, sed non erat quo internosceretur nobilis a plebeio: dispensante Deo, vt qui in vna Christi causa cecidere, vno in loco tumulati colerentur, expectantes nouissimam tubam. Hic est ille Bruno Dux Saxoniæ, abnepos Widekindi, filius Ludolphi, qui primus libera potestate principatus est, cum se reges Germaniæ in superiori Germania continerent: & creuit paulatim potentia, cum stirps Caroli Magni se in Franciam retraheret. Hic inquã Bruno Germanus senis Othonis, qui filium habebat Hinricum, primum de stirpe Saxonum regem Romanorum, patrem Othonis Magni Imperatoris: & perinde eiusdem Hinrici regis patruus extitit Bruno, qui & secundum seculi dignitatẽ, & secundum Christi sanctissimam religionem, nomen in terris reliquit maximũ iam quidem penè temporum incuria sepultum, sed in lucem denuò reuocandum, quòd vir ille præstantissimus de repub. Christiana, & de terreno nihilominus principatu meritissimus, suo iure deposcit. Nam quod Christo Domino vitam impendit, sacrum fecit de suo corpore holocaustum. Quam cum omnibus lucem accepit, autori suo cum commilitonibus referebat. Apud seculum verò nomen sibi conquisiuit, quod insignis vrbs Brunswicensis eius seruat vocabulum. Brunswicũ enim velut Brunonis vicus sonat: non detorta aut ad casum deflexa (vt fieri solet) interpretatione, sed vera deriuatione, ac certa origine. Tradunt enim annales, quod cum Bruno atque Tanquardus, germani fratres, cernerent glebæ vbertatẽ, ac loci opportunitatem, ad Onacram fluuium, cœpere altrinsecus moliri fundamenta nouæ vrbis. Et Bruno quidem deuexiora ad amnem elegit loca, vbi excurrens fluuius sinum quendam faciebat, quem vernacula lingua Wyck appellamus. Tanquardus autem editiora inde non longè loca prætulit, arcem firmans eo in loco vbi nunc Ecclesia D. Blasij cernitur, eamq; cinxit muro, atque inde permansit in hodiernum, vt in arce vocabulum teneret, Danquerode tum appellatã. Brunonis autem sinus, eo in loco vbi prima sunt iacta fundamenta, nomen aliquantũ variauit,

variauit, vt nunc vetus sinus Oldewyck vocitetur. Nam ex alia fluminis parte constructa molitio, pristinum rapuit vocabulum, vt Brunswick diceretur, quæ nunc vetus est ciuitas. Adaucta deinde per tempora vrbs insignis, cum alias sibi partes adsciscceret, vetus & originale à fundatore mutuatum vocabulum non amisit, vt nunc vnis mœnibus incluſæ partes vrbis quinque, vno censeãtur vrbis nomine, in quo sui recordatur Brunonis. Hæc sunt quæ de sanctis apud vos reliquiis, Deo sacratæ virgines, sentiatis, proiecta & execrata veteri fabella de aduectis ex Hamburgo. Nam hoc friuolum est, & inane, quod luce clarius monstrant superiora. Quod verò miraculum ferunt contigisse, dum ex eo loco tentarent amoliri sanctas reliquias, non hoc Romanis (vt fert fabula) qui hic nulli fuerunt, sed nostratibus potuit contigisse, dum & principes partem sacrarum poscerent reliquiarum, & singulæ pro suis pontificibus vrbes sollicitè quærerent inde portionem, vt omnipotens Deus, suæ voluntatis decretum tali monstraret miraculo, de sanguine qui de terris eruperit: quasi testaretur, quòd insignes suos milites, qui pro sui nominis gloria sanguinem ibi suum consecrassent, indiuiso voluerit ibi tumulo perdurare ad tubam vsque nouissimam, & finem seculorum.

FINIS.

FRANCOFVRTI AD MOENVM
EXCVDEBAT ANDREAS WECHELVS,
ANNO SALVTIS M D LXXVI.

AO 1470061